UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clavis Aurea Thesauri Partheno-Carmelitici, Sive Dissertatio Historico-Theologica, Referans atque Exponens Antiquitatem & originem, confirmationem ac propagationem, beneficia ac privilegia, gratias & ...

Paulus <Ab Omnibus Sanctis>

Viennæ Austriæ, 1669

urn:nbn:de:hbz:466:1-64293

Visual Library

N III. 19.
30
Th. 4882.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAVIS AUREA

THESAURI PARTHENO-CARMELITICI,

SIVE

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

Reserans atque Exponens

Antiquitatem & originem, confirmationem ac propagationem, beneficia ac privilegia, gratias & indulgentias, munera & obligationes celeberrimæ Confraternitatis Scapularis Mariani Deiparæ Virginis de monte Carmelo:

PER QUAM ETIAM

Norma ac Methodus, in quarumcunq; Confraternitatum ac Sodalitiorum institutione atq; aggregatione, administratione & gubernio, meritorum communicatione, privilegiorum & indulgentiarum adeptione, necessariò observanda, juxta summorum Pontificum Constitutiones, Purpuratorum Patrum decisiones, Theologorumq; selectiores opiniones, compendiosè ac solidè traditur atq; declaratur.

Collegij Soc. Jesu

AUTHORE R. P.

PAULO AB OMNIBUS SANCTIS,

Carmelitâ Excalceato, Provinciæ Germaniæ Definitore.

Paderbornensis 1678

Præsens hoc Opus in octo Partes distinctum, non solum Marianis Sodalibus, ac quorumvis Sodalitiorum Institutoribus atq; Præfectis, verùm etiam Divini Verbi Præconibus, ad Parthenios Confratres dicturis, perutile.

Cum Facultate Superiorum, ac Privilegio Cæsareo,

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Matthæi Cosmerovij, Sacræ Cæsareæ Majest. Aulæ Typ.
Anno Domini 1669.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAVIS AUREA

SERIES TOTIUS OPERIS,

SEU INDEX SINGULARUM PARTIUM ET CAPITUM.

PARS PRIMA.

De Institutione Confraternitatis beatissimæ Virginis MARIÆ de monte CARMELO, primoq; ejus Beneficio.

Cap. I. DE Beneficentia DEI ergà creaturas. Pag. 1.

II. De Beneficentia beatiss. Virg. MARIÆ in communi ergà homines. pag. 7.

III. De beneficentia speciali Deiparæ Virg. MARIÆ ergà suos Confratres de monte CARMELO. p. 12.

IV. De Origine Confraternitatis beatiss. Virg. MARIÆ de monte Carmelo in Oriente. p. 17.

V. De Origine ac propagatione ejusdem Marianæ Confraternitatis in Europa. p. 23.

VI. Pontificia Mariani Scapularis, S. SIMONI Stockio cælitùs collati, comprobatio. p 31.

VII. Theologorum ac Historiographorum suffragijs eadem veritas confirmatur. p. 38.

VIII. Alijs argumentis eadem revelatio, Marianiq́ue Scapularis donum illustrantur ac roborantur. p 51.

IX. Ostenditur qualis fuerit hæc revelatio B. SIMONI nostro exhibita. p. 58.

X. Primum Confraternitatis sacri Scapularis beneficium, illis Deiparæ verbis: *In quo quis moriens, æternùm non patietur incendium*, comprehensum expenditur, & in quo sensu hæc propositio verificetur, exponitur. p. 66.

XI. In quo consistat præfatú speciale DEIPARÆ Virginis auxilium? pag. 80.
XII. Enodantur dubitationes ex præcedentis Capitis doctrina emergentes. p. 87.
XIII. Declaratur aliud fundamentum, ex quo oritur prædictum DEIPARÆ Virginis speciale auxilium &c. p. 94.
XIV. Satisfit difficultati ex superiore Capite procedenti. p. 99.
XV. Tertium fundamentum, ac ratio particularis auxilij DEIPARÆ Virg. in liberandis Confratribus ab infernali incendio aperitur & exponitur. p. 105.
XVI. Explicatur uberiùs doctrina Capitis præcedentis, & ex SS. Patribus confirmatur. p. 109.

PARS SECUNDA.

De altero Partheno-Carmeliticæ Confraternitatis beneficio, Privilegio scilicet Bullæ Sabbatinæ.

Cap. I. De Privilegij Sabbatini sodalitio Mariani Scapularis concessi origine. p. 120.
II. Quid censendum sit de revelatione facta Pontifici JOANNI XXII. circa privilegium Sabbatinum? p. 123.
III. Quo tempore hæc revelatio *Ioanni* exhibita fuerit? p. 129.
IV. Refertur tenor Bullæ Sabbatinæ à *Ioanne XXII.* primum promulgatæ, aliorumque Pontificum Diplomata eidem suffragantia. p. 134.
V. Examinantur & ponderantur producta supra Diplomata. p. 145.
VI. Bulla *Ioannis XXII.* & *Alexandri V.* authenticis instrumentis asseritur & confirmatur. p. 150.
VII. Enodanturdifficultates, quæ contra asserta in superioribus Capitibus moveri solent. p. 155.
VIII. Quid sentiendum sit de privilegio animarum &c. per Bullam Sabbatinam manifestato?
Asseritur Divini Officij, Pontificia, purpuratorum Patrum, Antistitumque authoritate & suffragio. p. 172.
IX. Confirmatur Bullæ Sabbatinæ privilegium ex doctrina S. Thomæ, communique judicio ac sententia celeberrimarum Uni-

Universitatum, plurimorumque Doctorum, per IV. ætates sibi succedentium, p. 184.
X. Sabbatini Privilegij veritas & firmitas alijs suadetur argumentis. p. 199.
XI. Confirmatur Sabbatinum privilegium argumento à simili, & exemplis deducto. p. 105.
XII. Qua certitudine credendum sit, animas Confratrum B. V. &c. è purgatorio liberari, ratione privilegij Bullæ Sabbatinæ? p. 212.
XIII. Quo modo è piacularibus flammis liberentur animæ, vi privilegij Bullæ Sabbatinæ? p. 222.
XIV. Utrùm alij Ordines & Confraternitates, virtute communicationis mutuæ privilegiorum, participes sint privilegij Bullæ Sabbatinæ? p. 232.
XV. Relatio historica de controversia in Lusitania mota circa Bullam *Ioannis XXII.* anno 1610. deque ejus compositione facta Romæ &c. p. 236.
Expositio Bullæ Sabbatinæ, & Annotationes in eandem &c. *pag.* 265.

PARS TERTIA.

De tertio Carmelo-parthenia Confraternitatis beneficio, Communicatione videlicet bonorum operum.

Cap. I. An præter generalem Sanctorum Communionem detur alia specialis in Ecclesia DEI? p. 271.
II. In quo consistat hæc particularis bonorum operum Communicatio? p. 274.
III. Utrùm sit aliqua specialis Communicatio bonorum operum in Ordine Carmelitarum, & quænam illa sit? p. 279.
IV. De Communicatione bonorum operum, quæ fit in Ordine Carmelitar. per *Literas Filiationis* seu *Fraternitatis*. p. 282.
V. De altera speciali bonorum operum in Carmeli Ordine Communicatione, ratione scilicet *Scapularis* Parthenij. p. 291.
VI. Resolvuntur alia quædam circa eandem materiam dubia. *pag.* 302.
VII. Qua authoritate hæc Communicatio in Ordine fiat? p. 309.
VIII. Christi Fideles manus adjutrices domibus & Fratribus Ordinis Car-

Carmelitarum porrigentes, participes redduntur omnium bonorum spiritualium totius Ecclesiæ militantis. *pag.* 312.

PARS QUARTA.

De quarto Beneficio, sive de Indulgentijs Confraternitatis beatissimæ V. MARIÆ de monte Carmelo, à Romanis Pontificibus concessis.

Cap. I. De Indulgentijs in communi. *pag.* 322.
II. De Indulgentijs Confraternitatis Carmelo-Partheniæ. p. 327.
III. Utrùm omnes indulgentiæ, Confraternitati nostræ olim per Romanos Pontifices concessæ, his temporibus sint tutæ & validæ? p. 330.
IV. Indulgentiæ personales, quibus nunc Confratres nostri Sodalitij sacri Scapularis frui possunt, recensentur. p. 335.
V. Compendium indulgentiarum à *Paulo V.* per superiores Bullas Confraternitati Matriani Scapularis concessarum. p. 340.
VI. Declarantur præfatæ Indulgentiæ. p. 342.
VII. Recensentur indulgentiæ locales à diversis Romanis Pontificibus concessæ, visitantibus Ecclesias Ordinis Carmelitarum. *pag.* 353.
VIII. Methodus traditur, ac conditiones proponuntur in prædictarum indulgentiarum lucro necessariò observandæ. p. 355.
IX. Declarantur indulgentiæ Stationum, quas consequi possunt omnes Christi Fideles, visitando Ecclesias Ordinis Carmelitarum, & modus in hac visitatione usurpandus. p. 357.
X. Recensentur indulgentiæ, quæ in diebus Stationum Romæ habentur. p. 365.
XI. Quæ sit ista indulgentia, & peccatorum omnium venia, quàm verè pœnitentibus (*uti suprà Capite VII. dictum est*) pollitici sunt *Honorius III.* & *Nicolaus IV.* & quæ pro illius consecutione præstanda sint? p. 374.
XII. Utrùm Christi Fideles visitando Ordinis Carmelitarum Ecclesias, aliquando consequi valeant indulgentiam plenariam, præter illas, de quibus tribus proximis Capitibus egimus? *pag.* 377.
XIII. De indulgentijs ab *Urbano VI.* cunctis Fidelibus, intuitu Ordinis Carmelitarum, concessis. p. 381.

XIV. Re-

XIV. Referuntur aliæ eximiæ indulgentiæ à diversis Pontificibus in perpetuum concessæ. *pag.* 386.

XV. Dissolvuntur nonnullæ circa præfatam indulgentiarum materiam dubitationes. p. 390.

PARS QUINTA.

De alijs Privilegijs seu beneficijs eidem Confraternitati à Sede Apostolica indultis.

Cap. I. Nonnulla privilegia, quibus hoc tempore Parthenij Confratres sacri Scapularis ex concessione *Clementis VII.* frui valent compendiò recensentur. p. 397.

II. Quanam approbatione indigeat Confessarius eligendus à nostris Confratribus? p. 400.

III. De plenaria indulgentia, & absolutione peccatorum Confratribus Sodalitij parthenij Scapularis à Confessario electo impertienda. p. 404.

IV. Proponitur & exponitur formula concedendi plenariam indulgentiam Confratribus Carmelo-parthenijs in mortis articulo, ab electo ab eis Confessario. p. 410.

V. Amplior electi Confessarij potestas exponitur, & nonnullis è supradictis emergentibus dubijs respondetur? p. 413.

VI. Referuntur, & examinantur reliqua Confratribus concessa à Sede Apostolica privilegia. p. 418.

PARS SEXTA.

De alijs nonnullis sacri Scapularis Beneficijs.

Cap. I. De temporalibus quibusdam beneficijs supra naturam sæpiùs Confratribus collatis. p 422.

II. Marianum Scapulare jugis scatebra spiritualium donorum, signum salutis æternæ, nota prædestinationis. p. 429.

III. Scapulare Carmelo-Parthenium ob memorata in superioribus beneficia, ac privilegia apud summos Pontifices, Antistites, Cæsares, Reges, Principes, &c. omnesque gradus semper in pretio fuit, ac piè usurpatum. p. 437.

IV. Satisfit objectionibus contra dicta in præcedenti Cap. p. 447.

PARS

PARS SEPTIMA.

De muneribus seu obligationibus Sodalium Carmelo-partheniorum.

Cap. I. Quidnam Parthenijs Sodalibus faciendum sit, ut frui valeant singulariſſimo illo beneficio, de quo in prima hujus Operis Parte actum est? p. 456.

II. Quænam requirantur à Confratribus, ut Privilegio Sabbatino participes reddantur? p. 462.

III. Proponuntur & dissolvuntur nonnulla dubia, ac difficultates circa asserta in superiori Capite. p. 467.

IV. Quænam præstanda sint Confratribus, ut recensitis in tertia, quarta, & sexta hujus Operis Partibus, beneficijs ac privilegijs gaudere queant? p. 476.

V. Utrùm in prædictis muneribus atque obligationibus dispensari, aut illæ commutari valeant: & quomodo, & à quo? p. 480.

VI. Satisfit alijs quibusdam controversijs, ac difficultatibus, ac terminantur hæc Pars, & Caput quadam ad Confratres Paræneſi. pag. 493.

PARS OCTAVA.

De Carmelo-partheniæ Confraternitatis erectione, Sodalium admissione, Scapularis benedictione, atq; elargitione, forma, colore, gestandiq; modo &c.

Cap. I. Bulla *Clementis VIII.* de erectionibus Confraternitatum, & communicationibus privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum &c. cum necessarijs ad illam scholijs atque observationibus. p. 507.

II. Adducuntur complura sacræ Congregationis Decreta circa hoc idem argumentum, & satisfit nonnullis circa id quæsitis, ac dubitationibus. p. 520.

III. Expenditur Bullæ *CLEMENTIS VIII. Quæcunq; à Sede &c.* vis & efficacia. p. 529.

IV. Cujus sit erigere, instituereque Carmelo-partheniam Confraternitatem? p. 536.

V. Quæ-

V. Quænam in erectione Confraternitatis noſtræ obſervanda ſint? *pag.* 544.
VI. Quibus competat Confratres admittere, Scapulare benedicere ac diſtribuere? p. 548.
VII. Satisfit alijs quibuſdam dubitationibus circa dicta in ſuperiori Capite. p. 552.
VIII. De Scapularis forma, materia, colore, geſtandi modo, &c. *pag.* 558.
IX. Modus benedicendi Scapulare, recipiendiąue Confratres. p. 565.
X. Modus impertiendi generalem Abſolutionem moribundis Confratribus B. MARIÆ Vi g. de monte Carmelo, de qua ſupra *Parte V. Cap. 3. & 4.* egimus. p. 574.

F. PHILIPPUS à SS. TRINITATE, Præpoſitus Generalis FF. Diſcalceatorum Congregationis S. ELIÆ, Ordinis beatiſſimæ Virg. MARIÆ de monte CARMELO, ac ejusdem ſancti montis PRIOR.

CUm Librum, cui titulus, Clavis aurea Theſauri Parthenо- Carmelitici, *ſive* Diſſertatio Hiſtorico- Theologica *&c. à R. P. Paulo ab Omnibus Sanctis, Provinciæ noſtræ SS. Sacramenti in Germania Definitore, conſcriptum, duo ejusdem noſtræ Congregationis Theologi recognoverint, & excudi poſſe probaverint, facultatem, quantùm ad nos attinet, impertimur, ut typis mandetur. In quorum fidem præſentes dedimus ſigillo noſtro munitas, ac propria manu ſubſcriptas. Romæ in Conventu noſtro S. MARIÆ de Scala, die 27. Octobr. An. 1668.*

F. Philippus à SS. Trinitate.

F. Fauſtus à S. Baſilio Secretarius.

CENSURA THEOLOGORUM ORDINIS.

EDidit in lucem aliquot ab hinc annis, præsentis Operis Author, R. admod. P. F. *Paulus ab Omnibus Sanctis*, Provinciæ nostræ Germaniæ Definitor, *Thesaurum Parthenо-Carmeliticum*, diversis in locis pluries recusum, qui tanquam *Scriba doctus*, *de Thesauro suo* protulit *nova & vetera*. Nunc item pro faciliori usu, & ampliori fructu tam pretiosi Thesauri, *Clavem auream*, sive *Dissertationem Historico- Theologicam*, &c. adjecit. Quàm cum ex commissione R. adm. P. Philippi à *SS.* Trinitate, Præpositi nostri Generalis attentè provolvissem, deprehendi sapientissimum Patrem Lezanam in *Appendice ad Tom.* 4. *Annalium Ord. Carmel. ad an. 1337. pag. 1042.* hujus libri Authorem, jure & verè, *diligentem valdè in Ordinis Historijs Scriptorem* appellasse. Addo ego & jurium Carmeli peritissimum, ac Privilegiorum ejusdem, adversus æmulos, propugnatorem zelantissimum esse. Tantumque abest, ut aliquid liber iste, vel Orthodoxæ fidei, vel bonis moribus adversum contineat, quinimò divite Thesauro opulentus, Lectores suos divites reddere valeat. Et cum juxta Hugonem Cardinalem, clarissimum sacrarum Literarum interpretem, in *Cap.* 13. Matth. *Thesaurus* sit *de raris*, tanquam apertiùs diceret, Thesaurum ex pretiosis ad stuporem usq; admirandis rebus conflari: Ita *Clavis* hæc *aurea*, raros ac pretiosos Thesauros gratiæ, à Matre gratiarum Carmelo-Mariano *Ordini* collatos referat, opesq; amplissimas Bullæ Sabbatinæ nonminus doctè, quàm dilucidè edisserit. Habent proinde in hoc libro reconditos Thesauros, quibus fruantur Sodales Carmeli, alliciantur quilibet devoti, ditentur universi. Ac vel ideò ad majorem Carmeli Decorem, dignum censeo, qui imprimatur; rarum, qui æstimetur: utilem ut legatur. In quorũ fidem præsens testimonium, manu propria subscriptum dedi. Viennæ Austriæ in Collegio nostro die 20. Julij, S. Patriarchæ nostro ELIÆ sacro, Anno 166[illegible].

Fr. Joannes Thomas à S. Cyrillo, Definitor Provincialis.

EX Commissione R. admodum P. N. P. Philippi à SS. Trinitate Præpositi Generalis &c. studiosè, avideque legendo, cum voluptate pervolvi Librum (*Clavis aurea Thesauri Partheno-Carmelitici &c.*) nuncupatum, ab admod. R. P. *Paulo ab Omnibus Sanctis*, Provinciæ nostræ Germaniæ iterum atq; iterùm Definitore, præclaro studio elucubratum, in quo non modo Catholicæ fidei nihil dissonum, aut Conciliorum ac summorum Pontificum Decretis adversum, vel bonis moribus contrarium deprehendi; sed vel maximè ijs omnibus undecunq; consonum, cunctis Ecclesiæ Fidelibus utilissimum, præsertim devotis Mariophilis, sacri *Scapularis* aureo vellere insignitis Sodalibus exoptatissimum reperi. Ut exindè in prioribus excusis Opusculis, eruditissimus Author sibi semper in devotione ac pietate Mariana similis, in hoc seipsum quodammodo superasse videatur, quod indefessum, in evolvendis aliorum scriptis, laborem adhibuerit, in opinionibus seligendis maturum judicium adjunxerit, & in propugnando, propagandoque sacri *Scapularis* Sodalitio, cum styli claritate, gratam brevitatem, amico fœdere sociârit. Sedulum planè Thesauri Carmelitici indagatorem, & dispensatorem fidelem agens, dum quæ apud multos dispersa & diffusa fuêre: ea ipse hoc in libro, velut prædiviti ærario, acuratè recluſit, clarè distinxit, & compendiosè congessit: nec non *Clavi* sua *aurea*, reconditas Carmeli gazas doctè reseravit, easq; omnibus divites esse volentibus, sine invidia communicavit. Quamobrem ad communem Fidelium, singulariter verò Carmelo-Marianorum Sodalium utilitatem, dignissimum lucis aspectu censeo, ut quò celeriùs, eò salubriùs, sub hac *Clavi aurea*, latentes Thesauri Mariani Ordinis referentur atque dispensentur. Ita sentiebam & subscribebam, Viennæ Austriæ, ipso S. Remigij Festo 1. Octobr. an. 1668.

F. Remigius à S. Athanasio, SS. Theologiæ Professor.

APPROBATIO

Facultatis Theologicæ antiquissimæ, celeberrimæque Universitatis Viennensis.

EGo *infra scriptus fidem facio, Librum hunc, cui titulus est*, Clavis aurea Thesauri Partheno-Carmelitici *&c. Authore admod.* R. P. Paulo ab Omnibus Sanctis, *Ordinis Carmelitarum*

litarum Discalceatorum &c. à pluribus Clarissimis Inclytæ Facultatis Theologicæ DD. Doctoribus esse perlectum; qui cum nihil à fide Catholica alienum, aut bonis moribus contrarium contineat, Typo dignus iudicatus est, ut in omnium manibus fructuosè versetur. Viennæ in Domo Professa Societatis JESV, die 28. Novembr. An. 1668.

Thomas Grasser Soc. Jesu, SS. Theologiæ Doctor,
& p. t. ejusdem Facultatis Decanus.

FACULTAS R. admod. P. Provincialis Germaniæ,
cum Privilegio Cæsareo.

F. PETRUS MARIA â S. ALEXIO, Provincialis Provinciæ SS. Sacramenti in Germania, Fratrum Discalceatorum Ordinis beatissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo Congregationis S. ELIÆ.

QVm Decreto sacræ Cæsareæ Majestatis omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcunq; librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterq; inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Carmelitis Discalceatis hactenus editos, aut imposterùm edendos, vel eosdem in diversas linguas ab alijs hominibus translatos, aut in Compendium redactos, intra Sacri Romani Imperij, Regnorumq; & Dominiorum suæ Sac. Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut forma, sive in toto, sive in parte excudere, vel recudere &c. sine Facultate Provincialis Ordinis nostri, pro tempore existentis, in scriptis habenda, sub pœna Confiscationis omnium librorum, & alijs gravioribus audeat, vel præsumat: Tenore præsentium Facultatem concedimus, Matthæo Cosmerovio Sac. Cæsareæ Majestatis aulæ Typographo, excudendi Clavem auream Thesauri Partheno-Carmelitici &c. *à R. P. Paulo ab Omnibus Sanctis conscriptam. In quorum fidem has Literas manu nostra subscriptas, ac sigillo munitas dedimus, Viennæ Austriæ, 6. Martij, An. 1669.*

F. Petrus Maria à S. Alexio.

CLAVIS

CLAVIS AUREÆ
THESAURI PARTHENO-CARMELITICI,
SIVE
DISSERTATIONIS HISTORICO-THEOLOGICÆ
PARS PRIMA,
De institutione Confraternitatis Beatissimæ Virginis MARIÆ *de monte* CARMELO, *primoq; ejus beneficio.*

CAPUT I.
De Beneficentia Dei erga creaturas.

DEUM Optimum Maximum, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, æquali sapientiâ & bonitate omnia administrare, atq; bona sua, cùm naturæ, tùm gratiæ diffundere certissimum est, juxta illud Sapientiæ capite 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus.* I. *Sap. 6. cap.*

Nihilominùs non omnibus æqualia bona dispensat; donorum quippe DEI mensura est amor Divinus, quo licet omnia existentia universim diligat, quædam tamen præ alijs amat: non quòd hæc inæqualitas & differentia amoris se teneat ex parte ipsius actûs voluntatis divinæ, cùm omnia uno & simplici actu diligat; sed ex parte objecti, seu ipsius boni voliti ab ipso creaturis quibusdam. Ita ut illas DEVS præ alijs diligat, quibus majora beneficentiæ suæ dona vult, & cõmunicat, *quamvis non magis intensâ voluntate,* ut loquitur S. Thomas. Amor Dei erga creaturas, qualiter æqualis & inæqualis sit, exponitur. 1. *p. q.* 20. *a.* 3.

2. Ad dignoscendum verò in communi, quibus creaturis Deus præ alijs hæc præstet, apposita est doctrina, quam S. Dionysius Areopagita tradit, libro de *cælesti Hierarchia*, qui perpendens, Deum substantijs omnibus non æqualia dona & bona communicasse, imò verò quibusdam altioribus maxima, & ab alijs admodùm differentia contulisse, omnem diversitatis hujus, & inæqualitatis rationem in majorem propinquitatem & conjunctionem, quam habent creaturæ in suo genere cum Deo, sapienter refert. Adeò ut creaturæ illæ, quæ Deo sunt propinquiores, & conjunctiores divinæ beneficentiæ dona copiosiùs receperint.

c. 4. & 7.

Eandem tradit doctrinam Angelicus Doctor varijs in locis, notanter verò *cap. 6. de ente & essentia* docet, *unam substantiam separatam convenire cum alia in immaterialitate, differre autem ab invicem in gradu perfectionis, secundùm recessum à potentialitate, & accessum ad actum purum.* Et quæstione unicâ *de Scientia* Dei dicit, quòd *quantum creatura accedit ad* Deum, *tantum habet de esse; quantum verò ab eo recedit, tantum habet de non esse.* Et in *summa* universaliter ponit hoc principium: *Quantò*, inquit, *aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tantò magis participat de influentia ipsius.*

art. 3. ad 16.

3. p. q. 7. a. 1.

Quibus creaturis Deus se ampliùs communicârit?

Regula igitur ad dignoscendum, quibusnam creaturis pleniùs ac perfectiùs dona sua Deus communicârit, est major illarum ad ipsum propinquitas, seu accessus. Quod sanè tam in ordine gratiæ, quàm naturæ videre est, & ex subsequenti discursu ampliùs patebit.

3. Ac primo quidem in ordine naturæ *Sancti cælestium illarum naturarum ordines*, uti loquitur S. Dionysius, *majoribus ac pluribus Divinitatis muneribus ac beneficijs, quàm eæ naturæ, quæ tantùm in rerum natura, quæ rationis expertes sunt, & quæ apud nos ratione utuntur, aucti ornatiq; sunt.* Angeli enim naturâ suâ & gradu essentiali sunt perfectiores & excellentiores homine, adeòq; quoad potentiam naturalem, vimq; intelligendi nobiliores. Unde S. Augustinus, *Angelica*, inquit, *creatura, omnia cætera quæ* Deus *condidit, naturæ dignitate præcedit.* Et S. Thomas, *quantum*, ait, *ad conditionem naturæ, Angelus est melior homine;* hujus autem majoris præstantiæ ac dignitatis Angelicæ ratio ex majori propinquitate & conjunctione ad Deum sumitur; uti docet idem S. Thomas, his verbis: *Est talis ordo naturæ, ut unumquodq; agens naturale per prius & magis diffundat*

Cap. 4. cælestis Hierarchiæ. Excellētia naturæ Angelicæ. *lib. 11. de Civit. Dei cap. 15.* *1. p. q. 20. a. 4. ad 2.* *2. 2. q. 31. a. 3. ad 2.*

fundat suam actionem ad ea, quæ sunt sibi magis propinqua, sicut ignis calefacit magis rem sibi magis propinquam; & similiter DEVS *in substantias sibi propinquiores per priùs & copiosiùs dona suæ bonitatis diffundit; ut patet per B. Dionys. 7. cap. cæleſt. Hierarch.*

4. Humanæ naturæ præstantia.

POST Angelicam naturam nulli DEUS tot ac tanta naturæ dona concessit, quot ac quanta homini; ejus rei argumentum evidens, vel sola potest esse animæ rationalis, qua præditus est excellentia: spiritualis siquidem est & independens à corpore in suo esse, intelligens ac volens, & ideo gratiæ, virtutum atque beatitudinis capax.

Accedunt ad hoc nobilissimæ ejus facultates, ac potentiæ vitales: sensus præsertim interni elevatiores; & demum quidquid naturam ejus quâ excellit cætera animalia consequitur. Cujus quidem excellentiæ ratio similiter ex majori ad DEUM accessu, & propinquitate supra cæteras creaturas metienda est. Quod sanè vel ex eo intelligitur, quod post Angelum, qui *signaculum similitudinis* dicitur, homo ad *imaginem DEI* factus sit, quod nulli alteri creaturæ, si propriè loquamur competit; ideoque ratione hujus, propius ad DEUM Angelo excepto, quam ulla creatura, accedit, propinquiorque evadit. *Ezech. 28.* *S. Thom. 1. part. q. 93. a. 2.*

5. In quibus animata excedant inanimata?

POST hominem sequuntur cætera viventia, quibus DEUS perfectiora præ non viventibus naturæ ornamenta contulit. Unde habent animam diversis organis præditam pro diversitate operationum exercendarum, virtutem intrinsecam, per quam se movent, potentias vitales, aliaque ad naturæ suæ perfectionem & dignitatem attinentia, quibus cæteras creaturas excedunt; hujus verò excessus ratio pariter petenda est ex majori ad DEUM accessu, & propinquitate; magis enim DEO assimilantur viventia, & ad ejus imaginem propius accedunt, quam ea, quæ solum communiter sunt entia, juxta eundem S. Thomam: *Assimilantur*, inquit, *aliqua DEO: primo quidem & maximè communiter in quantum sunt, secundo verò in quantum vivunt; tertiò verò in quantum sapiunt, vel intelligunt.* *1. p. q. 93. a. 2.*

6. In quibus corpora cæleſtia?

POSTREMO sequuntur corpora cælestia, quæ supra cuncta inanimata, miris ac præclaris naturæ donis ornavit DEUS. Habent quippe imprimis formam perfectissimam totaliter eorum materiam

seu naturam perficientem, ratione cujus juxta S. Thomam 1. p. q. 70. a. 3. nobiliora sunt secundum quid creaturis anima præditis, licet ex alio capite, uti diximus, simpliciter sint imperfectiora.

Habent præterea motum circularem perfectissimum; figuram similiter excellentem, virtutem quoque influendi & operandi admirabilem, ornamenta ex varijs stellis, ex Zodiaco circulo duodecim signis splendente, sub quo planetæ omnes incedunt: lucem inter qualitates corporeas perfectissimam: demum incorruptibilitatem competentem sibi ex principijs intrinsecis; quæ quidem perfectio & dignitas etiam ad majorem ad DEUM accessum & propinquitatem referenda est. Quippe cum cælestia corpora sint naturæ simplicis, & ab accidentibus, quibus Elementa, & mixta, non sine reali compositione subjacent, specialiter expedita, magis accedunt ad id, quod est omnino & per essentiam simplex, nempè DEUM.

In perfectione itaquè naturæ DEUS est supremus Rex & Princeps, qui maxima cum perfectione, plenitudine & eminentia continet omnes rationes entis. Omnes verò aliæ creaturæ ordinantur inter se in gradu perfectionis naturalis, per majorem vel minorem rationem entis participatam ab isto summo & supremo Principe & Principio, cum ratione distantiæ, vel propinquitatis ad ipsum DEUM; quod sub alijs terminis Philosophia sacra explicat; majorem videlicet vel minorem perfectionem creaturæ, intrinsecè & formaliter attendi, penes aliquid intrinsecum participatum à summo Ente, per quod illi assimilatur extrinsecè; vel per distantiam à summo Ente; aut accessum seu appropinquationem ad ipsum.

Unde procedat major vel minor perfectio in creaturis?

7. JAM verò in ordine gratiæ idem omninò deprehendere licet. Et imprimis nulli DEUS creaturæ dona sua supernaturalia, & ad ordinem gratiæ attinentia magis, copiosiùsque communicavit, quam CHRISTO Domino Servatori nostro. Cujus equidem argumentum evidens est plenitudo gratiæ quam habuit, ei propria, & quantum ad essentiam gratiæ, & quantum ad virtutem ad omnes gratiæ effectus. Hujus autem dignitatis ac eminentiæ ratio in CHRISTO Domino ex majori cum DEO conjunctione & propinquitate desumitur, fundata in unione Hypostatica; ut expressè 1. p. q. 20. a. 4. ad 2. docet S. Thomas

Unde derivetur plenitudo gratiæ, quæ est in Christo Domino?

Thomas his verbis : *dicendum, quod naturam humanam assumptam à* DEI *VERBO in persona Christi,* DEVS *plus amat, quam omnes Angelos, & melior est, maximè ratione unionis.*

8. CHRISTUM sequitur DEIPARA Virgo, cui DEUS tot, talia ac tanta suæ beneficentiæ dona contulit, ut non tantum singulorum hominum atque Angelorum Hierarchias in perfectione, tam gratiæ quam gloriæ excedat, verum etiam probabiliter omnium omninò, tametsi simul & collectivè sumantur. Pulchrè Petrus Damianus: *Virgo*, inquit, *inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & evecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit.* Hæc verò admiranda DEIPARÆ supereminentia similiter ex majori supra cæteras creaturas cum DEO conjunctione, & accessu pensanda est, quã quidem habet ex officio & dignitate MATRIS DEI; hæc enim conjunctio, si moraliter consideretur, & secundum omnia, quæ illi quodammodo ex natura rei debentur, & secundum ordinem Divinæ Sapientiæ est omnium suprema post unionem Hypostaticam, imò ad hujus ordinem quodammodo pertinet, atque illum intrinsecè respicit. Appositè ergo Laurentius Justinianus : *Tanto*, inquit, *dignitate cæteris est essecta excellentior MARIA, quantò propinquior erat VERBO.* Et S. Anselmus *cap. 2. lib. de excellent. virg.* inquit, *Hoc solum de Sancta Virgine prædicare, quod DEI Mater sit, excedit omnem altitudinem, quæ post DEVM dici vel cogitari potest.* Undè non immeritò, post Augustinum, Anselmum, Ildephonsum & alios, S. Thomas plenitudinem gratiæ in hac Virgine refert, & metitur ex hac conjunctione & dignitate Maternitatis Divinæ, seu MATRIS Unigeniti FILII DEI.

Serm. de Assumpt. Unde Beatiss. Virg: Mariæ ?

Serm. de Assumpt.

3. *p. q. 7. a. 10.*

9. POST Christum & sanctissimam ejus Matrem, certum est etiam in ordine gratiæ plurima dona quibusdam sive Angelis, sive hominibus præ alijs DEUM contulisse. Ac primo quidem de Angelis, ita docet S. Thomas agens de ordinatione eorum secundum Hierarchias & ordines : *In societate*, inquit, *Angelorum omnia possidentur communiter, sed tamen quædam excellentius habentur à quibusdam quam ab alijs.* Expressiùs verò idem declarat S. Doctor tractans de eorum perfectione in esse gratiæ & gloriæ : *sicut*, inquit, *natura Angelica facta est à* DEO *ad gratiam & beatitudinem consequendam; ita etiam gradus naturæ Angelicæ ad diversos gradus gratiæ & gloriæ ordinari videntur.*

1. *p. q. 108. a. 2. ad 2.*

1. *p. q. 62. a. 6.*

10. *Ad Ephes. 4. c. Epist. 57. ad Dardan. 4. Reg. 2.*

De hominibus verò idem expressit Apostolus inquiens: Ad Rom. 12. *habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes.* Et alibi: *unicuiq; nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Undè S. Augustinus: *DEVS*, inquit, *etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat. Nam undè est illud, quod Elisæus popposcit ut duplex in eo fieret Spiritus DEI, qui erat in Elia? Et undè in omnibus Sanctis sunt alij alijs sanctiores, nisi abundantius habeudo habitatorem DEVM?*

11. Vnde desumatur gratiæ diversitas in Angelis & hominib? ? 1. *p. q. 62. a. 6. 2. 2. q. 24. a. 3.*

Hæc verò prærogativa, tam in Angelis, quam in hominibus, ex majori eorum conjunctione, & ad DEUM propinquitate similiter deducitur. Etenim licet tam in Angelis, quam in hominibus, totus excessus seu quantitas gratiæ, quam præ cæteris aliqui sunt consecuti, refundi debeat in voluntatem ac motionem Divinam: adeoque major propinquitas & accessus per conatum naturalem liberi arbitrij in Deum, non possit esse ratio inæqualitatis gratiæ ac donorum supernaturalium, seu cur nonnulli ex Angelis & hominibus majorem præ cæteris gratiam sint consecuti: nihilominus aliunde major propinquitas & conjunctio hic desumitur. In Angelis quidem ex conditione perfectioris naturæ. Voluit enim DEUS Angelis perfectioris naturæ & sibi propinquioris majus & intensius auxilium conferre, ut majorem consequerentur gratiam & gloriam, juxta ea, quæ varijs in locis docet Angelicus Præceptor.

12. Quare Apostolis & cæt. majora præ cæteris gratiæ dona collata? 3. *p. q. 27. a. 4.*

In hominibus verò hæc major propinquitas, ut plurimum fundatur in dignitate, seu munere ad quod à DEO assumuntur, juxta illud ejusdem S. Thomæ: *Quos*, inquit, *DEVS ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur inveniantur idonei.* Tametsi enim dona gratiæ in se perfectissima sint, dantur tamen à DEO, ut perfectiones necessariæ ad exercenda munera, quæ ad Deum pertinent, & juxta munerum exigentiam conferuntur. Hac enim ratione, tot gratiæ privilegia communicavit Deus præ alijs S. Joanni Baptistæ, propter munus præcursoris; Apostolis, propter dignitatem Apostolatus; alijsque plurimis propter similem quandam rationem. Unde cum secundum hæc munera hominibus beneficentiæ suæ dona conferat Deus: & juxta horum proportionem munerum plus vel minus fiant illi propinquiores: sequitur pensandam esse eorum prærogativam ex tali ad Deum propinquitate. Quamvis etiam secundùm

cundum orthodoxam doctrinam sumi possit hæc major propinquitas ex propria uniuscujusque dispositione & cooperatione ; ita ut illi majora beneficentiæ divinæ dona percipiant , qui per conversionem perfectiorem ex auxilio gratiæ propinquiores fiunt DEO , & horum donorum capaciores , juxta illud *Jacobi* cap. 4. *Appropinquate* DEO *& appropinquabit vobis*.

CAPUT II.

De Beneficentia Beatiss. Virginis Mariæ in communi erga homines.

CONSIDERATA DEI erga creaturas beneficentia , facilè quilibet deducere poterit creaturis beneficentiæ capacibus proprium , & debitum esse ad imitationem sui Conditoris , sibi quoque conjunctioribus & propinquioribus magis benefacere ; sive id fiat ex dilectione naturali , sive charitatis. Quod quidem etiam ratio suadet ; enimverò quo aliquis nobis est conjunctior , eo magis ad nos pertinet & quodammodo unus nobiscum efficitur. Quemadmodum ergo dilectio naturalis , vel charitatis inclinant , ut post DEUM primò nosmetipsos amemus , adeoque nobis ipsis benefaciamus , præsertim in spiritualibus ; ita etiam inclinant , ut post nosmetipsos priùs ac magis amemus eum , qui maximè nobiscum est unus, atque ad nos pertinet , eique potiùs benefaciamus. *Sicut*, inquit D. Thomas , *Vnitas potior est quam unio , ita quod homo ipse participet bonum divinum , est potior ratio diligendi quam quod alius associetur sibi in hac participatione : & ideo homo ex charitate debet seipsum magis diligere , quam proximum.* Et eadem quæstione : *non minus est ordinatus affectus charitatis , qui est inclinatio gratiæ , quam appetitus naturalis , qui est inclinatio naturæ. Videmus autem in naturalibus , quod inclinatio naturalis proportionatur actui , vel motui , qui convenit naturæ uniuscujusq;* &c. *Oportet ergo quod etiam inclinatio gratiæ , quæ est affectus charitatis proportionetur his , quæ sunt exterius agenda , ita scilicet , ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus , quibus convenit nos magis benefícos esse.* Et inde est quod S. Doctor 2. 2. q. 31. a. 3. docet cæteris paribus magis benefaciendum esse conjunctis , quam extraneis, magisque conjunctis, magis quoque benefaciendum.

13.

Creaturæ pro suo modulo æmulari debent divinam beneficentiã.

Quis ordo in amando ac benefaciendo servandus sit?

2. 2. *q.* 26. *a.* 4.

Ibid. a. 6.

Magis conjunctis magis benefaciendum.

ACCE-

14. ACCEDIT alia ratio non minus efficax ; communiter enim obligantur homines speciali ex virtute diligere sibi magis conjunctos, eisque beneficentiæ suæ dona amplius exhibere , V. G. ex pietate filiali erga parentes , ex officio parentum erga filios , ex gratitudine ob accepta beneficia , ex fidelitate ob promissa facta , & ita de alijs , quam etiam rationem 2. 2. q. 26. art. 7. adducit S. Thomas : *Est*, inquit , *& alius modus , quo plus diligimus ex charitate magis nobis conjunctos , quia pluribus modis eos diligimus ; ad eos enim , qui non sunt nobis conjuncti , non habemus nisi amicitiam charitatis : ad eos verò , qui sunt nobis conjuncti habemus aliquas alias amicitias secundum modum conjunctionis eorum ad nos*, &c. *Et ita ex charitate eliciente , cum imperante , pluribus modis diligimus magis nobis conjunctos.* Et in *articulo sequenti* hæc habet : *dicendum , quod illi , qui sunt nobis magis conjuncti , sunt ex charitate magis diligendi ; tum quia intensiùs diliguntur , tum etiam , quia pluribus rationibus diliguntur.*

15. JAM verò si omnibus creaturis beneficentiæ capacibus proprium sit & debitum , sibi invicem benefacere , imò verò propinquioribus ac conjunctioribus , præ cæteris alijs , ad imitationem sui Conditoris : dubio procul convenit hoc ipsum imprimis primæ ac nobilissimæ inter omnes puras creaturas , DEIPARÆ nimirum Virgini cælorum Reginæ , cujus dilectio , adeoque actus ejus exterior , nempe beneficentia perfectissima fuit , juxta illud S. Bernardi : *Quis*, inquit, *dubitare poterit omnino in charitatis affectum transisse viscera* MARIÆ , *in quibus ipsa , quæ DEUS est , charitas novem mensibus corporaliter requievit?* Et quidem beneficentiam imprimis convenire DEIPARÆ Virgini, non quomodocunque , ac prout cæteris hominibus , sed singulariter ; quippe in hominibus beneficentia nō se extendit in speciali ad omnes, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 31. a. 2. *Dicendum*, inquit , *quod simpliciter loquendo non possumus omnibus benefacere in speciali* : At in DEIPARA Virgine omnes omninò comprehendit , uti copiosè tradunt SS. Patres.

S. Bernard. Serm. de Assumpt.

Quid SS. PP. senserint de beneficentia MARIÆ?

Totis , inquit idem D. Bernardus , *medullis cordium , totis præcordiorum affectibus , & votis omnibus* MARIAM *hanc veneremur , quia hæc est voluntas ejus , qui totum nos habere voluit per* MARIAM. Et alibi : MARIA, inquit , *omnia omnibus facta est , sapientibus & insipientibus copiosissimá charitate debitricem se facit , omnibus misericordiæ sinum aperuit , ut de plenitudine*

Serm. de Nativitate M. RIÆ.

Serm. de Verb. Apoc. B. Ioan.

ejus

ejus accipiant universi; captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, deniq; tota Trinitas gloriam; Filij persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Et iterũ alibi: *Quis, ô Benedicta, misericordiæ tuæ longitudinẽ & latitudinem, sublimitatem & profundum queat intelligere? nam longitudo ejus usq; in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoq; misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem: & profundum ejus, sedentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem. Per Te enim cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data.*

S. Germanus DEIPARAM compellans sic infit: *Non est revera finis tuæ magnitudinis, non est ulla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est, qui salvus fiat, nisi per Te, Virgo sanctissima: nemo est, qui liberetur à malis, nisi per Te, ô purissima: nemo est cui donum concedatur, nisi per Te, ô castissima: nemo est cui misereatur gratia, nisi per Te, ô honestissima.* *Serm. de zona Virg.*

Idiota vir sanctus: *Thesaurus Domini est*, inquit, *& Thesauraria gratiarum ipsius: cæteri Sancti jure quodam patrocinij, pro quibusdam sibi specialiter commissis, plus possunt prodesse in curia Altissimi, quam pro alienis: Beatissima verò Virgo MARIA, sicut est omnium Regina, sic etiam omnium Patrona, & Advocata est, & cura illi est de omnibus; & sic non est, qui se abscondat à calore ejus; id est, charitate & dilectione ipsius.* *De contemplat. Virg. in Prolog.*

S. Thomas: *Magnum*, inquit, *est in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando habet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum: & hoc est in Christo, & Beatissima Virgine. Nam in omni periculo potes obtinere salutem ab ipsa Virgine gloriosa. Unde* Cant. 4. *mille clypei, id est, remedia contra pericula, pendent ex ea. Item in omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium; & ideo dicit ipsa* Ecclesiastici 24. *in me omnis spes vitæ & virtutis.* *Opusc. 8.*

Idipsum unanimi consensu omnes ferè sancti Patres & Doctores affirmant: è quibus nonnulli eam *Salutem totius mundi & Servatricem omnium fidelium*: Nonnulli *Radicem bonorum omnium*, & *Reparatricem sæculorum*: Alij *Causam salutis universi humani generis*, & *Coadjutricem Christi in redemptione hominum*: Quidam *Fontem gratiarum & totius consolationis*: Alij *Fontem lucis omnem hominem illuminantis*: Alij *Fontem universo Orbi* Nota eximios honorum ac beneficentiæ Marianæ titulos.

medicinam afferentem: Alij *Gaudium certum universi, vitæ largitricem, maledictionis interemptricem, & benedictionis conciliatricem* nuncupant, alijsque sexcentis ejusmodi titulis concelebrant, quibus apertè demonstrant beneficentiam Virginis ad omnes omninò singulariter sese extendere: idque admirabili prorsus cum affectione: *Nunquam enim*, inquit D. Antoninus, *fuit aliquis sanctus, vel sancta ita affecta ad salutem, & omne bonum populi Christiani, sicut B. Virgo Maria.*

4. part. Summa tit. 15. c. 2.

16. PETES, in quo fundetur hæc DEIPARÆ Virginis præ cæteris creaturis singularis beneficentia, & donorum collatio? RESP. *Proximè* quidem non in aliqua efficacia principali, vel instrumentali fundari posse, quia Beatissima Virgo non potest esse causa principalis efficiens donorum cælestium, cùm hoc sit proprium solius DEI: juxta illud Jacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*; neque etiam habet efficientiam instrumentalem; quia sola Christi humanitas tale est instrumentum DEO conjunctum: Sacramenta verò separata sunt instrumenta; uti egregiè explicat *3. p. q. 62. a. 5.* S. Thomas. Fundatur ergo hæc Virginis Beneficentia singularis in virtute ejus impetratoria ac meritoria, non quidem de condigno, cùm ea soli Christo competat, sed de congruo. Ita ut orando & impetrando, & quàmdiu fuit in via promerendo, *suo*si modo mysterio nostræ redemptionis cooperando, nobis beneficentiæ suæ dona singulariter diffundat: non velut cæteri Sancti aliquibus duntaxat, sed omnibus omninò, uti modò dictum fuit. *Remotè* autem seu in radice hæc Virginis beneficentia singularis fundatur in eo, quod sit Regina omnium constituta, ut suprà laudatus *loco citato* videtur asserere sapientissimus *Idiota*; vel quòd communis sit omnium & amantissima Mater, ut passim loquuntur SS. Patres: sive hoc sit, quia, cùm sit Mater Christi, est etiam & membrorum ejus parens, ut vult Augustinus; sive quia culpis nostris in causa fuimus, ut ipsa in Matrem DEI eligeretur, cui debito non videtur posse aliter satisfacere, nisi maternè nos amplectendo, ut tradit Anselmus; sive quia dolores, ut parturientis sustinuit in passione Unigeniti sui, omnium nostrûm salutem suo modo pariendo, ut ait Rupertus Abbas *lib. 14. commentar. in Ioan. c. 19.* S. Antoninus & alij.

Cap. 1.

In quo fundetur admiranda Deiparæ Virg: beneficentia?

Lib. de S. Virginitat.

in Tractatu de Excellentia Virginis c. 1.

17. DUBIO itaq; procul DEIPARA Virgo in omnes omninò beneficentiæ

neficentiæ suæ dona confert; ita tamen quod ad imitationem sui Conditoris, non omnibus æqualia dona exhibeat, sed alijs plura & majora, alijs pauciora ac minora. Ita unanimi ferè consensu SS. Patres loquuntur. Imprimis verò S. Joannes Damascenus *Oratione de dormitione B. M. V.* affirmat, quòd per Deiparam conferatur *Angelis, atq; omnibus mundo sublimioribus virtutibus arcana quædam, atq; omni dicendi facultate superior lætitia, Patriarchis sempiterna oblectatio, perennis Prophetis exultatio, mundo benedictio, rebus omnibus sanctificatio, laborantibus requies, mœstis consolatio, ægrotantibus medicina, tempestate jactatis portus, peccantibus venia, ijs, qui in mœrore versantur, blandum solatium, omnibus poscentibus promptum subsidium,* &c. Et *Orat. 2. de Assumpt.* Sanctissimam Virginem his verbis universos alloquentem inducit: *Qui morborum sanationem, vitiosarum animi affectionum depulsionem, peccatorum obliterationem, calamitatum omnium submotionem, regni cælorum quietem sitit, cum fide ad me veniat, gratiæq; donum magnopere efficax & utile hauriat. Quemadmodum enim aquæ, terræ, aëris ac splendidissimi solis actio, simplex licet atq; una sit, variè tamen atq; accommodatè ad earum rerum, quæ ipsius participes fiunt, naturam immutatur, fitq; in vineæ vinum, in olea oleum: ad eundem modum gratia quoq;, quamvis simplex & unæ sit, variè tamen & congruenter ad unicujusq; utilitatem, eos à quibus percipitur, beneficio afficit,* &c.

S. Bernardus loquens de aquæ ductu, per quem intelligit Virginem MARIAM: *Descendit,* inquit, *per aquæ ductum vena illa cælestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, alijs quidem plus, alijs verò minus.* *Serm. de Nativit. B. M. V.*

Idiota: MARIA, inquit, *longè positos illuminat radijs misericordiæ suæ: sibi propinquos per specialem devotionem consolationis suavitate; præsentes sibi in patria excellentiâ gloriæ; & sic non est qui se abscondat à calore ejus,* &c. Idipsum cælorum Regina S. Birgittæ revelare dignata fuit, inquiens: Aliquibus respondeo per infusiones divinas, aliquibus autem loquor secretiùs, sicut beneplacitum est DEO, *&c.* *In Prolog. de Contemplat. B. V.*

RATIONEM verò, in qua fundetur hæc circa aliquos specialis DEIPARÆ beneficentia, SS. Patres non eodem modo explicant. Aliqui enim referunt hoc ad specialem quorundam erga Beatiss. Virginem dilectionem, juxta illud: *Ego diligentes me diligo.* Ita S. Anselmus *de Excellentia Virginis cap.* 4. & S. Bonaventura *Serm.* 1. de Virgine To- **18.** *Prov. c. 8. v. 17.*

In quo specialis in quosdam Deiparæ Virg. beneficentia? *Eccles. c. 24. Serm. de Nativ.*

mo 3. Alij verò adscribunt illud ipsum ijs, qui speciali devotione eidem Virgini præ cæteris famulantur; ita idem S. Bonaventura *in Speculo c. 3.* & Idiota *loco suprà citato.* Nonnulli referunt ad adoptionem quandam communem, qua omnes in gratia existentes assumit ad suam hæreditatem, quæ est hæreditas Domini & æterna, juxta illud Ecclesiastici: *In hæreditate Domini morabor.* Ita Guericus Abbas.

Nos autem doctrinæ S. Thomæ insistentes, quam *præcedenti capite* fusiùs protulimus, dicimus Virginem MARIAM ijs potissimùm beneficentiæ suæ dona communicare, quibus ipsa propinquior & conjunctior est. Verùm cùm in præsenti de sola propinquitate seu conjunctione, quam habent Confratres Beatissimæ Virg. MARIÆ de monte CARMELO cum eadem superbenedicta Virgine, in speciali agere proposuerimus, & ex alio capite, juxta præfatum S. Doctorem, *propinquitas unius hominis ad alium possit attendi secundùm diversa, in quibus sibi ad invicem communicant,* eapropter restat, ut hanc ipsam propinquitatem ac ejus gradus declaremus.

2. 2. q. 31. art. 3.

CAPUT III.

De Beneficentia speciali DEIP. *Virg.* MARIÆ, *erga suos Confratres de monte Carmelo.*

19. Innumera, singularissimaq; beneficia Sac. Carmeli Ordini contulit Deipara Virgo.

PRÆCLARA, compluraque hoc loco dici possent de Beneficentia SS. Virginis MARIÆ erga sacrum suum Ordinem de monte Carmelo: sunt enim innumera, eaque planè singularissima charismata, ac beneficia, quæ huic sibi sacrato Ordini munificentissimè concessit. Verum cum id singularem integrumque necessariò exigeret, mereturque Tractatum, & nos in præsenti de Marianis duntaxat beneficijs Carmelo-parthenijs Sodalibus indultis differere statuerimus, ab illis recensendis nunc consultò abstinemus. Disseruerunt inter cæteros de hoc argumento (qui consuli poterunt) R. P. Lezana in opere nuncupato MARIA *Patrona* &c. maximè *cap. V.* ac R. P. Daniel in sua fertilissima *Vinea Carmeli* &c. *parte V.* potissimum, & in *Corona de panitica* &c. & ego ipse suppresso nomine compendiosè admodũ in opusculo pluries variis in

locis

locis ac linguis recuso, atque inscripto: *Funiculus triplex viginti quatuor præcipuorum beneficiorum nodis* DEIPARÆ *Virg. Carmelitas suos obligans ad festum Commemorationis solemnis 16. Julij vel Dominica subseq. gratitudinis ergo instituendum ac celebrandum*: agamque, DEO propitio, diffusiùs in Tractatu, cui titulus erit, *Epiphania* DEIparæ *in Carmelo*, sive *Apparitiones ac favores à Dei Parente Carmelitis exhibiti.*

Quàm sit antiqua Deiparæ Virg. de monte Carmelo Confraternitas?

Supponimus inter sacras Confraternitates seu Sodalitia, quibus vel maximè sancta universalisque Ecclesia, his temporibus illustratur, circumdata varietate, numerandam esse, omnium fortè antiquissimam, Confraternitatem B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO. Nec de hoc ullus ambigendi locus supereſſe videtur; licet enim plerique originem, & alia pleraque ad hanc Confraternitatem attinentia ignorent, de quibus, DEO favente, sigillatim & distinctè infra differemus, alij verò circa eadem gravissimè hallucinentur: nihilominus satis, superque per totum terrarum Orbem notum est, dari Confraternitatem DEIPARÆ Virginis MARIÆ de monte CARMELO.

20.

Lib. cont. Helvid. 3. p. q. 28. a. 3. ad 5.

Quot modis aliqui inter se Fratres dici possint?

ITAque ut ad alia gradum faciamus, notanda est ex D. Hieronymo, quem sequitur & refert S. Thomas, quadripartita fraternitas; videlicet, *natura*, *gente*, *cognatione*, & *affectu*. Fratres *natura* dicuntur, qui eodem paterno maternove sanguine progeniti sunt; qualiter Esau & Jacob. Fratres *gente* vocantur illi, qui ejusdem sunt nationis, seu nativi soli, qualiter *Deuteronomij* 17. *&* 22. omnes Israëlitæ *Fratres* dicuntur. Porrò Fratres *cognatione* sunt illi, qui sunt de una familia, & ex una radice prodeunt, qualiter *Genesis c.* 11. Abraham & Loth dicuntur *Fratres*. Loth enim non erat frater naturalis Abrahæ, sed filius fratris ejus Aran; *Tharè* quippè *genuit Abram*, *& Nachor*, *& Aran*. Nihilominus quia Abraham & Loth ex eadem familia, & ex eadem radice, nempè Thare prodibant, ideo fratres *cognatione* nuncupantur. Denique Fratres *affectu* vocantur, qui singulari amoris vinculo, inter se copulati sunt, qualiter. 2. *Regum cap.* 1. David & Jonathas *Fratres* nominantur: & *Matthæi* 12. ac *Joannis* 20. Christus Apostolos suos *Fratres* appellat.

21.

S. Elias ex eadē cum Deipara

NOTANDUM est *secundò*, sanctum Prophetam ELIAM sacræ Carmelitarum Familiæ Fundatorem & Authorem, ex eadem prosapia & domo cum DEIPARA Virgine progenitum fuisse. Etenim cer-

V. familia ortum duxit.

tum est, & quidem de fide, Virginem ortam esse ex progenie regia, seu Davidica, uti notat S. Thomas 3. p. q. 31. a. 2. his verbis : *Sic ergo credimus nos etiam* MARIAM *fuisse de cognatione David, quia scripturis credimus, quæ utrumq; dicunt, & Christum ex semine David secundum carnem, & ejus Matrem* MARIAM *non cum viro concumbendo, sed Virginem.* &c. Nec ex sola familia Davidica fuit sanctissima Virgo, sed insuper de stirpe sacerdotali seu Levitica ab Aaron sacerdote summo. Ita tradit idem S. Thomas 3. p. q. 29. a. 1. ad 4. & q. 31. a. 2. ad 2. & SS. Patres Epiphanius *Hæresi* 78. Hilarius in *Matthæum*, Ambrosius in *Lucam lib.* 3. & Augustinus *lib.* 2. *de consens. Evangelist. cap* 1. Quod vero S. Propheta ELIAS fuerit ex domo & familia sacerdotali tradit S. Epiphanius *in Historia de Prophet. vita & interitu.* & cum eo alij nonnulli sancti Patres. Fuisse etiam ex stirpe regia sive Davidica probatur; nam Rex Salomon dedit Achimam sive Sobac Patri sanctissimi Prophetæ ELIÆ, filiam suam Bassemathem in uxorem, illumque præsidem constituit super tribum Nephtali; uti affirmant Didacus de Coria *lib.* 5, *c.* 2. Alegre in Paradiso Carmel. decor. *statu.* 1. *ætate.* 1. *cap.* 1. Michaël Munnoz in propugnaculo ELIÆ *lib.* 3. *Tit.* 1. *Cap.* 2. *art.* 1. *num.* 6. Gabriël à S. Vincentio in opere de gratia *Tract* 3. *disp.* 10. *quæst.* 5. *nu.* 71. ubi etiam pro hac sententia refert P. *Simonem à Spiritu sancto*, & alij non pauci. Ex quo sequitur Sanctissimum Prophetam ELIAM, & Beatissimam Virginem cognatione propinquos esse, juxta dicta in præcedenti notabili. Ex quo ulterius deducitur, juxta doctrinam Angelici Doctoris 2. 2. q. 26. a. 8. Utrumque nempè sanctum ELIAM & B.mam MARIAM Virginem specialiter se invicem diligere, & multò magis quam si nulla cognatione sibi essent propinqui; quia quibus sumus conjuncti, sunt ex charitate magis diligendi; propinquitas verò ex cognatione est quædam conjunctio, & quidem talis, quæ proximè accedit ad unionem, quam secum quisquam habet, & idcirco proximè etiam accedit ad debitum propriæ dilectionis.

Fuit S. Elias nepos Regis Salomonis, juxta quorundam opinionē. *Lib.* 3. *Reg. cap.* 4. *n.* 15.

22. NOTANDUM est *tertio* Fraternitatem quæ fundatur in affectu, præter benevolentiam, includere dilectionem charitatis, seu amorem; qui quidem amor secundum quod spectat ad appetitum intellectivum, *importat*, uti docet S. Thomas, *quandam unionem secundum affectum amantis*

2. 2. *q.* 27. *a.* 2.

mantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo ut unum sibi, vel ad se pertinens, & sic movetur in ipsum.

Ubi duo sunt specialiter advertenda. *Primum* quandocunque amans declaravit, sive expressit verbis aliquibus, vel signis, amatum quodammodo esse sibi unum, vel ad se pertinere, eo ipso colligi aperte ibi adesse fraternitatem affectus. *Secundum* cum in hac fraternitate, ex vi unionis affectuosæ amans moveatur in amatum, ad se, suaque bona ei communicandum, à posteriori optimè colligi, ibi specialem ac majorem affectus fraternitatem intervenire, ubi se ac sua bona copiosius communicat amans.

Fraternitas in affectu fundata quid includat, & unde colligatur?

23.

His prænotatis, facilè erit declarare specialem B.mæ Virginis MARIÆ beneficentiam erga suos Confratres de monte CARMELO. Et quidem haud incongruè imprimis dici potest, eo ipso, quo sanctus ELIAS ac B.ma Virgo MARIA cognatione inter se sunt propinqui, uti dictum est in secundo notabili, adeoque & dilectione naturali & charitatis specialiter se invicem amare: eo, inquam, ipso Confratres DEIPARÆ Virginis MARIÆ de monte Carmelo, qui ad familiam præfati S. ELIÆ suo modo velut filij & successores legitimi pertinent, specialiter etiam diligi ab eadem Beatiss. Virgine, & consequenter specialem ejus beneficentiam experiri, quandoquidem beneficentia sit dilectionis sive charitatis effectus, & actus exterior.

Confratres Mariani Scapularis qualiter ad S. Eliam pertineant?

Quod verò dicti Confratres ad Elianam seu Carmelitanam Familiam pertineant, & sint veluti membra ejusdem mystici corporis, si non nativa & congenita, certè per adoptionem ac consertionem satis constare videtur ex ipso *Confratrum* nomine: & licet non sint filij naturales ac proprij, sunt tamen adoptivi & gratiosè acciti: atque ex quo per adjunctionem legitimam sunt cooptati, habentur ut Fratres Ordinis, & bonis ejus spiritualibus participant.

Fundamentum verò principalis asserti eruitur ex Doctrina S. Thomæ, qui 2. 2. q. 23. a. 1. tractans de charitate hæc tradit; *Amicitia*, inquit, *se extendit ad aliquem dupliciter. Uno modo respectu sui ipsius, & sic amicitia nunquam est, nisi ad amicum ipsius. Alio modo se extendit ad aliquem respectu alterius personæ: sicut si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem: ratione illius diligit omnes ad illum pertinentes, sive filios, sive servos, sive qualitercunq; ei attinentes.*

Unde

Unde cum Confratres Beatiss. Virginis MARIÆ de monte Carmelo ad S. Prophetam ELIAM specialiter, uti dictum est, attineant; ratione illius specialiter etiam à Beatiss. Virgine MARIA illos diligi sequitur, cum qua speciali, uti dictum est, & cognatione, & amicitia conjunctus est Sanctiss. Propheta ELIAS. Nec refert, quod frequenter nonnulli, ex his Confratribus sint moribus discoli, & vitæ liberioris, nam, ut tradit *ibidem* S. Thomas: *Tanta potest esse dilectio amici, quod propter amicum amentur hi, qui ad ipsum pertinent, etiamsi nos offendant, vel odiant.* Idem repetit in solutione ad aliud argumentum. *Amicitia*, inquit, *honesti non habetur, nisi ad virtuosum sicut ad principalem personam: sed ejus intuitu diliguntur ad eum attinentes, etiamsi non sint virtuosi.*

Loco sup. citato.

Ibid. ad 3.

24. PRÆTEREA si de Fraternitate, quæ fundatur in *affectu*, sit sermo, nullo negotio specialem B. Virginis erga eosdem Confratres beneficentiam etiam colligemus. Habemus quippe per revelationem expressam Beatiss. Virginem æstimare, ac habere hanc Confraternitatem, ut aliquid ad se pertinens, in quo, uti diximus supra, ex Sancto Thoma, ratio propria hujus *Fraternitatis per affectum* consistit. Quid verò hoc ipsum per revelationem cæitus habeamus, constabit ex infra dicendis, ubi de revelatione B.mæ Virginis facta S. SIMONI *Stock* agemus, in qua quidem revelatione his verbis usa est eadem Sanctiss. Virgo conferens dicto B. SIMONI nostro propriũ habitum seu signum hujus Confraternitatis: *Recipe*, inquit, *fili dilectissime hoc tui Ordinis scapulare, meæ Confraternitatis signum.* & c. Notanda sunt hæc verba: *Meæ Confraternitatis*, quibus designat Beatiss. Virgo suam esse hanc Confraternitatem, adeoque specialiter ad se pertinere.

Specialiori ratione ad Deiparam V. pertinent.

Simile quippiam reperitur in celebri revelatione ejusdem Sanctiss. Virginis facta JOANNI XXII. Pontifici Maximo, de qua prolixius in *secunda Tractatus hujus parte* agendum erit.

Cum autem ex fraternitate seu unione per affectum amans moveatur in amatum ad ei benefaciendum, uti similiter ex sancto Thoma ostendimus, & re ipsa S. Dionysius Areopagita tradit, ea de causa hanc unionem vocans *amatoriam motionem*; ex alia verò parte, prout modo dicebamus, talis fraternitas, sive unio, & quidem specialis, in casu nostro reperiatur: sequitur B. Virginem, quæ hoc

De Divinis nomin. cap. 4.

loco

loco, amantis nomen obtinet, beneficentiæ suæ dona hisce Confratribus suis specialiter etiam communicasse; ex vi, inquam, hujus Fraternitatis *per affectum*, quæ quia propinquitatem suo modo inducit, juxta S. Thomam: sicut & suo modo Fraternitas *per cognationem*, remanebit paucis expositum, quod in fine præcedentis capitis promissum fuerat. 2. 2. q. 24. art. 4.

Ut autem magis pateat specialis hæc beneficentia, lubet in hoc Tractatu in particulari declarare beneficia, quæ sanctissima hæc Virgo liberalissimè eidē suæ Confraternitati de monte Carmelo cōtulit, ideòque in hac *prima parte* de primo & potissimo ejus beneficio agendū erit.

CAPUT IV.

De Origine Confraternitatis Beatiss. Virginis MARIÆ *de monte Carmelo in Oriente.*

ANTEQUAM ulterius progrediamur, observandum est Patribus nostris adhuc in Oriente commorantibus, & multis ante eorum in Europam transitum sæculis, fuisse in usu vestem illam religiosam, quam SCAPULARE nuncupamus. Patet hoc imprimis ex D. JOANNE XLIV. Patriarcha Hierosolymitano, qui in libro suo de *institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium* de illa in hunc modum scribit: *Superhumeralibus*, inquit, *etiam prisci vestræ Religionis professores tempore legis veteris utebantur. Præceperat enim Judæis lex in quatuor angulis suarum vestium fimbrias, & in fimbrijs funiculos facere, quas fimbrias cum funiculis dicti professores, juxta legis præceptum in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant: erat autem superhumerale vestis sine manicis, usq; ad renes descendens, in utroq; latere aperta, brachijs etiam ea nudatis, cujus posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. novæ autem legis tempore huic vesti in apertura colli junctum fuit caputium, tegens caput & scapulas. Quam nostræ Religionis professores (fimbrijs & funiculis ab ea resecatis) usq; nunc summa cum diligentia diebus ac noctibus indesinenter gestabant.* Hactenus ille. 25. Quo tempore Carmelitæ S. scapulare gestare ceperint? *Cap. 39. aut 46.* Extat hic liber in Bibliotheca vet. SS. Patrum.

Hic verò duo advertenda sunt. PRIMUM professores nostræ Religionis tempore legis veteris gestasse vestem quandam sine manicis in 26. An & quale gestarint tempore legis scriptæ?

cis in utroque latere apertam, cujus posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori; non quod illa vestis revera fuerit Scapulare, quod modo gestamus, sed ad modum & similitudinem Scapularis, uti egregiè tradit Sixtus Senensis his verbis: Ephod, *Septuaginta interpretes* ἐπωμίδα, *Aquila*, ἐπωμαμμα, *nos superhumerale appellare possumus, quod humeris utrinq; superponitur, elegans palliolum est, absq; manicis in modum monastici scapularij sine cuculla, habens humeralia duo; hoc est, constans duabus partibus æqualibus quarum una tergum, altera pectus ad umbilicum usq; tegit.* *Lib. 3. Biblioth.*

SECUNDÒ advertendum est, eosdem professores temporè novæ legis fimbrijs & funiculis ab illa veste resectis, verum & proprium scapulare gestasse, uti disertè fatetur idem JOANNES Patriarcha differens de melote; *loco*, inquit, *ejus tunicam lanæ non pretiosæ, sed mediocriter asperæ ejusdem coloris, cujus existebat melota, subtus scapulare gestare assumpserunt*, &c. Monachos Orientales in primis Ecclesiæ sæculis Scapulare gestasse attestatur, præter nostrum Joannem Patriarcham, S. Ephrem in *vita S. Juliani*, & S. Dorotheus, qui illud Græco nomine *analabum* appellant. Hic enim exponens vestes Monachorum sui temporis, earumque rationes & mysteria: *Habitus noster is est, tunica, zona pellicea, analabus*, &c. & infra, *Habemus & analabum, id est, scapulare ab humeris pendens*, &c. Sed de hoc *cap. 8. part.* VIII. sermo redibit. Idem habemus ex vita S. ANGELI martyris, Ordinis nostri manu scripta, quæ in Bibliotheca Vaticana Romæ asservatur, ubi dicitur de præfato S. ANGELO, & de ejus germano fratre JOANNE nuncupato: *Supra nudam carnem camisiam ferream gestabant, postea verò unam vestem laneam albam, & desuper aliam griseam cum* SCAPVLARI, *more Monachorum.* Constat autem S. ANGELUM Hierosolymæ Carmelitarum habitum assumpsisse quadraginta septem circiter annis ante datum B. SIMONI Anglico à SS. Virgine Scapulare. Idipsum tradunt & docent *Thomas Bradlæus*, ex Carmelita Episcopus Norvicensis, laudatus à P. Irenæo à S. Jacobo in *Tract. Theolog. de sing. Virg. protect. pag.* 4. & à P. Daniele à Virg. MARIA in Vinea Carm. *part.* 5. *cap.* 3. *num.* 794. ubi hæc *Bradlæi* verba ex eius *Tract. de fundat. Ord. Carm. cap.* 2. in quo agit de habitu Ordin. refert *superhumeralibus etiam in veteri testamento usi fuerunt* ELIAS & ELISÆVS, JOAN. *Baptista, aliiq; Carmelitæ, eorum sequaces* &c, Floruit hic tempore Evgenii *Cap. 38. aut 45. juxta novissimā emendatioremq; editionem. Doctrin. cap. 1.*

GENII IV. P. Leo à S. Joanne in *Typo vestis religiosæ sect. 9.* Solet etiam citari Joseph Falconius in suo *Chronico Ord. Carm.* alijque non pauci: estque hæc communis, magisque recepta sententia.

27. Didacus de Coria *lib. 3. cap. 5. & lib. 9. c. 29.* Irenæa à S. Jacobo in *proleg. Tr. de pro. tect. virg. & sect. 3. cap. 1.* Lezana & alij. Deiparam Virginem Carmelit. Ordinem produxisse *Sixtus* IV. hic affirmat, & illius merita extollit.

OBSERVANDUM est *secundò* in Oriente extitisse longè ante tempora B. SIMONIS Confraternitatem seu Sodalitium aliquod Ordinis nostri. Quod ut cum fundamento stabiliatur, operæ pretium erit, Bullam SIXTI IV. in medium proferre, Apostolica authoritate Romæ promulgatam anno 1477. hujus tenoris.

SIXTUS *Episcopus servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.*

DUM attenta meditatione pensamus, quod gloriosissima DEI Genitrix MARIA, Virgo venustissima, & omnium virtutum floribus insignita, cujus inæstimabilem pulchritudinem sol & luna mirantur, cujus precibus juvatur populus Christianus, & quæ florem pretiosissimum, immarcessibilem, & æternum Dominum nostrum IESVM Christum immensa sancti Spiritus cooperante virtute genuit, produxitq; sacrum Ordinem B. MARIÆ de monte CARMELO, à sancta Sede Apostolica, & pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & etiam à nobis multipliciter approbatum, quem ejusdem gloriosissimæ DEI Genitricis semperq; Virginis MARIÆ speciali titulo voluit insigniri; ut ob ejusdem Virginis reverentiam Ordo ipse à Christi fidelibus, meritò peramplius veneraretur, ipsiq; Christi fideles propterea ejusdem Virginis MARIÆ suffragijs adjuti, æternæ retributionis præmia facilius consequi mererentur; dumq; sublimium dicti Ordinis utriusq; sexus personarum, virtutum merita DEO quidem grata, & in conspectu prædictæ Sedis accepta, digna memoria recensemus, ac Ordinem ipsum, ac illius personas sub Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, ac inter cæteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam Religionis speculum & exemplar speciali charitate fulgentes, sanctorumq; Prophetarum ELIÆ, & ELISÆI & Enoch, nec non & aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta ELIÆ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes; fructus quoq; uberes, quos dictus sacer Ordo in agro militantis Ecclesiæ, in propagatione Religionis & fidei Orthodoxæ hactenus produxit utiliter, & producit, ac in futurum producturum forè indubitanter speramus, paterna charitate intuemur, dignum quin potius debitum reputamus, nos ad illa debere nostros dirigere cogitatus, per quæ ea, quæ pro divini cultus gloria, & dicti Ordinis incremento, ac Christi fidelium animarum salute, à quam plurimis Romanis Pontificibus, Prædecessoribus

nostris concessa dicuntur, sublatis ambiguitatibus, quæ exinde emersisse noscuntur, in sua integritate persistant, & tanto firmius observentur, quanto erunt prædictæ sedis sæpiùs munimine stabilita.

Sanè sicut exhibita nobis pro parte dilecti Filij Christophori Martignoni, dicti Ordinis Generalis Magistri, ac Sacræ Theologiæ Professoris, petitio continebat, licet multi Romani Pontifices Prædecessores nostri ob reverentiam gloriosissimæ & intemeratæ DEI Genitricis semperq; Virginis MARIÆ de monte CARMELO, & singularem devotionem, quam ad illam, & prædictum Ordinem ejusdem DEI Genitricis titulo specialiter insignitum gesserunt, diversas indulgentias & peccatorum remissiones, ac privilegia & indulta ipsi Ordini, & illius domibus concesserint, quæ in eisdem domibus sunt recepta, & quorum continentia in pluribus scripturis, & dicti Ordinis Ecclesijs apertissimè reperiuntur, sub hac videlicet verborum forma.

LEO Papa IV. omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias Beatiss. DEI Genitricis semperq; Virginis MARIÆ de monte CARMELI, hujusmodi in festis, Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Apostolorum Petri & Pauli, Pentecostes, Assumptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis ejusdem Beatæ DEI Genitricis semperq; Virginis MARIÆ, Sancti Michaelis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Ioannis Baptistæ, Sanctorum martyrum Fabiani & Sebastiani, & in die Paraseves, & per octavas prædictarum festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis devote visitaverint, &c.

ADRIANUS II. STEPHANUS V. SERGIUS III. JOANNES X. JOANNES XI. SERGIUS IV. & INNOCENTIUS IV. *qui dictum Ordinem confirmavit, omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, contritis & confessis, qui prædictas Ecclesias piè visitarent, in prædictis festivitatibus, & earum octavis, &c. Vel* CONFRATRIAM *dicti Ordinis assumerent, & eam intrarent, &c. tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.* Et post plurima alia, quæ brevitatis studio intermitto, concludit tandem, *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1477. Kalend. April. Pontificatus nostri anno 6.*

Hoc Pontificium diploma integrum refert Emman. Rodericus in suo *Bullario* pag. 190. edition. Antuerp. R.P. Ildephonsus à JESU-MARIA Congregationis Hispanicæ Generalis lib. *de privilegijs Ord. Carmel.* Vrcesæ in Hispan. an. 1624. excus. & ab eo scholijs illustratis *pag.* 116. & Philibertus Fezayus in *Appendice ad Controvers.* 17. *privileg.* 2. *pag.* 340. qui illud reperiri affirmat *in Constitut. Ord. Ioan. Soreth,* & in

Speculo

Speculo Carmelitar. fol. 95. & apud Hieron. Sorbum Capucin. *in Cõpend. Privileg.* Verb. *Indulgentiæ quoad sæcul.* §. 32. *& seqq.* Vide etiam noſtrum Auguſtinum à Virgine MARIA *in Privileg. omnium Ordin.* V. *Indulgentiæ pro extraneis.* Joan. Paleonydorum *lib.* 3. *antiquit. cap.* 9. & alios.

Multa ſunt in hac Bulla, quæ attentiùs diſcuſſa non parùm ſplendoris Confraternitati, de qua agimus, afferunt. Verùm ut debitum ſervemus ordinem, ſingula ſuis proprijs locis diſcutienda relinquemus. In præſenti ſolum advertendum erit, è ſeptem mox memoratis Romanis Pontificibus, qui uti teſtatur SIXTUS IV. in ſuo diplomate, indulgentias ingredientibus Carmelo-Parthenium Sodalitium conceſsêre, quinque priores aliquot ante ſæculis in Apoſtolica S. Petri Sede ſediſſe, priuſquam in Europa originem haberet hæc Confraternitas per revelationem Beati SIMONIS noſtri Anglici.

28. Antiquitas inſignis Senenſis Cœnobij Carmelitarum.

Ex quo manifeſtum evadit anno 867. jam extitiſſe in Oriente dictam Confraternitatem; & licet verum ſit, quod nonnulli ſcribunt de Conventu noſtro Senenſi in Hetruria, ſcilicet tempore ADRIANI II. & STEPHANI V. jam extitiſſe, imò præceſſiſſe, utpote, qui fuerit fundatus anno 797. uti probant ex Chronico quodam authentico Senenſi, & alijs authenticis ſcripturis Ordinis noſtri Hiſtoriographi, maximè Lezana *Tom.* 3. *ad an.* 707. *&* 797. & complures ab ipſo relati. Nihilominus prædicti Pontifices, non de Conventu aliquo particulari in ſuis conceſſionibus loquuntur, ſed de toto Ordine, ejuſq; Eccleſijs & Confratria, uti ex verborum contextu apparet. Vnde cùm eo tempore Ordo noſter ſedem præcipuè haberet in Oriente, conſequenter de ejus Eccleſijs, ac Confratria inibi exiſtentibus ſunt intelligendi, ſaltem primariò ac principaliter.

29.

Ex his prænotatis duplex jam oritur quæſtio. *Prima.* Quandonam incœperit hæc Confraternitas in Oriente? *Secunda.* An Confratres ibidem geſtârint habitum Ordinis, ſeu Scapulare, quemadmodum nunc in Europa geſtant?

Vnde colligere liceat ſummam antiquitatem Carmelo-partheniæ Con-

Quantum ad primum nihil certi habemus. Verum quidem eſt, ADRIANUM II. qui ſedit anno Domini 867. fuiſſe è primis Pontificibus Romanis concedentibus indulgentias huic antiquiſſimæ Confraternitati, uti ſuprà ex Bulla SIXTI IV. retulimus: ſimiliter STEPHANUS V. qui ADRIANO III. ſucceſſit anno 885. vel juxta nonnullos alter STEPHANUS ejus nominis V. dictus IV. qui ſucceſſit

fraternitatis in Oriente? *Annal. Eccles. Baronij in annũ 816.*

LEONI III. & sedit anno 816. Ita ut ab octingentis & ampliùs annis necessariò extitisse hæc Confraternitas censeatur. Cæterùm dicti Pontifices non eam inchoarunt, aut instituerunt, sed inchoatam ab alijs, Apostolicis gratijs & privilegijs illustrârunt. Vnde altiùs repetenda est ejus origo, & principium, de quo latiùs, DEO favente, alibi. Ex his manifestè liquet, quàm parum veritati consona sit opinio Francisci Bordoni *Tom. 3. oper. moral. Resolut. 72.* asserentis, Confraternitates nullas in Ecclesia extitisse ante Ordines Mendicantes SS. Dominici & Francisci, sed primùm sub Ordinibus Mendicantibus cæpisse: si enim attestante SIXTO IV. ADRIANUS II. ann. 867. & alij supramemorati Pontifices tot sæculis ante exortas Religiones Mendicantes, ingredientibus Carmelo-partheniam Confraternitatem tam liberales indulgentias largiti sint, quomodo verum erit nullas ante Religiones Mendicantes Confraternitates in Ecclesia fuisse? Ex his quoq; patet, & eruitur summa antiquitas Carmelo-partheniæ Confraternitatis, quam ideò suprà *cap. 3. num.* 19. omnium fortè antiquissimam esse affirmavi.

Reijcitur opinio Bordoni de antiquitate Confraternitatum.

30. QVANTVM ad alterum quæsitum, an videlicet Confratres nostri in Oriente gestarint habitum Ordinis seu SCAPULARE? probabile videtur non gestasse subjectas ob rationes.

Cur non gestârint sacrum Scapulare, Orientales Carmelo-partheni Confratres?

Primò, quia in Oriente non indigebant signo aliquo distinctivo, quandoquidem non videntur inibi fuisse eo tempore multiplices Confraternitates, seu Sodalitia, sicut hoc tempore in Europa. Quo argumento utitur S. Thomas *3. p. q. 70. a. 4.* ex S. Damasceno *lib. 4. c. 26.* ad excusandos Israëlitas, qui in deserto per quadraginta annos non sunt usi circumcisione, ut habetur Josue 5. c. *Quia*, inquit, *non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cùm seorsùm ab alijs populis habitabant.*

Secundò, quia hic habitus seu SCAPULARE est signum fœderis & pacti singularis (de quo infrà) quod contraxit Beatiss. Virgo cum Confratribus nostris in Europa: sicut proportione servatâ, circumcisio fuit signum fœderis inter DEUM & Patriarcham Abraham, ut scitè advertit ex *Genesi* 17. S. Thomas. Vnde quemadmodum ante dictum Patriarcham non fuit necessaria circumcisio: ita neq; ante hanc Confraternitatem in Europa institutam, videtur fuisse necessarius dictus habitus seu Scapulare pro ijsdem Confratribus.

1. 2. *q.* 102. *a.* 5.

Postremò,

Postremò, quotiescunq; meminerunt hujus Confraternitatis Summi Pontifices, qui eam in Occidente varijs Apostolicis indultis, & gratijs illustrârunt, uti CLEMENS VII. GREGORIUS XIII. & PAULUS V. semper in suis Apostolicis Bullis seu Diplomatibus exprimunt hunc habitum seu Scapulare; secus verò illi, qui eandem in Oriente similibus gratijs ornârunt: uti videre est in Bulla superiore SIXTI IV. ex quo præsumendum videtur ac deducendum, solitum non fuisse dictum habitum gestari in Oriente à Confratribus nostris. Quanquam aliàs illis contingere potuisset hoc ipsum, quod Religiosis nostris, qui dictum habitum etiam in Oriente gestârunt, uti suprà ostensum fuit; ad eum modum, quo de Iride seu arcu cælesti loquuntur Doctores in illud Geneseos: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit in signum fœderis. Ponam*, inquit, non absolutè, ut existat, quandoquidem præcesserat jam pridem arcus cælestis diluvium; sed ut modò sit *in signum fœderis*, quod DEUS hic contrahit cum Patriarcha Noë, *&c.* cujus ante signum haud erat.

In quo Marianum Scapulare cum arcu cælesti conveniat?

CAPUT V.

De Origine ejusdem Marianæ Confraternitatis ac propagatione in Europa.

TRANSITURO Sacro Carmeli Ordine in Europam ex Syria, alijsq; Orientis partibns, ob Barbarorum continuas infestationes, gravissimasq; persecutiones, uti *S. Cyrillus* III. à *S. Bertholdo* dicti Ordinis Generalis, oraculo didicerat divino, præmissi sunt aliquot è monte CARMELO Religiosi, primò quidem in Cyprum, deinde in Angliam, & alias Europæ partes: sive autem hoc contigerit circa *annum Domini* 1191. juxta supputationem Polydori Virgilij, quando Richardus Anglorum Rex, absolutâ sacrâ expeditione, è terra sancta rediturus in Angliam, solvit Accone: sive potiùs ac veriùs aliquot post annis, videlicet 1212. ut tradit *Thomas Bradlæus*, sive *Scropus* Episcopus Dromorensis in Hibernia, *Tract. de fundatione, antiquitate, &c. Ord. Carmelitarum cap.* 2. Catalogus Scriptorum Britanniæ, Magnum speculum Ordinis, *fol.* 60. alijq; complures Ordinis Historiographi. Certum nihilominùs est Marianum nostrum Ordinem majori ex parte perseverasse in CARMELO monte,

31. Carmelitæ gravissimas à Saracenis in Oriente persecutiones patiuntur. *in Hist. Anglican. lib.* 14.

Quo tempore in Occidentem migraverint?

monte, nativo solo, alijsq; Provincijs Orientis usq; ad ultimam & totalem ruinam civitatis Aeconensis, quæ contigit circa *annum Domini* 1290; tametsi, uti dictum est, aliqui, maximè ex partibus Occiduis oriundi, qui in CARMELO parthenium S. ELIÆ assumpserant institutum, jam ante in Europam transierint.

B. SIMONIS STOCH. compendiosum elogium ex Paleonyd.

Fuit autem in diebus illis, ut verbis Palæonydori utamur, *in Anglia quidam solitarius in trunco solus residens, DEO acceptissimus, nomine SIMON, natione Anglicus, spiritu Prophetiæ clarus. Hic prænoscens Carmelitarum in Angliam adventum, dimissa solitudine, regnum Anglicanum, velut sidus, verbo pariter & exemplo illustrans, perambulabat. Hic post assumptum Ordinis nostri habitum, in tantum scientia & vita cæteros fratres præivit, ut in Capitulo Generali in Anglia celebrato, in Generalem Ordinis Priorem eligeretur. Erat enim compositis moribus, charitate fervens, in societate mansuetus, fortis ad patientiam, ad miserandum pronus, eloquentissimus, tam vehemens, tam efficax quoq; divinorum eloquiorum enucleator, ut Anglorum animos à vitijs ad virtutes mirabiliter commutaret. In judicio certus, & eloquio modestus, strenuus in agendis, humilibus & minoribus se blandum, pœnitentibus benignum, rigidum superbis, & inflexibilem reddens obstinatis. Fuit autem electus ultimo anno INNOCENTII Papæ III* Et hæc quidem Palæonydorus *lib. 3. de antiquit. & sanctimonia Eremitar. mont. Carmel. Cap. 7.*

Non absimili encomio illum extollit Abraham Bzovius *Tom. XIII. Annal. Eccles. ad an. Christi* 1217. *n.* 13.

32.

QUIA verò ab hoc sanctissimo, laudatissimoque viro *inchoata* aut propagata fuit Mariana Confraternitas Ordinis nostri in Europa, de quo in hoc capite inquiritur: ideo ad pleniorem rei intelligentiam, operæ pretium erit vitam ejus sanctissimam, è pluribus ac probatissimis quibusque authoribus, à R. P. Theophilo Raynaudo collectam, compendiò referre.

lib. de Scapulari Mariano 1. part. cap. 1.

Natus est B. SIMON in majoris Britanniæ toto Orbe divisæ Provincia, cui nomen *Cantia*. Parentes habuit genere nobiles. Nec defuit, qui pro usu aliquorum, insignes quosque gentis viros à Regia necessitudine celebrandi, eum in Regiam prosapiam transcriberet. Quod tamen decus carneis hominibus magnum, sanctis DEI nullo est loco; qui sciant veram nobilitatem non ad majorum apices, etiam regios, esse admetiendam: sed ad virtutes, quas interni hominis sublime genus atque prosapiam indigitavit S. Ambrosius. Cœlestem hanc nobilitatem exhibuit, jam ab infantia B. SIMON, animo jam tunc ad divina propensissimo; & secundum DEUM B. MA-

S. *Simon Stock* nobili, sive Regiâ, juxta alios, prosapiâ in Anglia ortus. *lib. de Noë cap. 4.*

Fuit ab infantia cul-

RIÆ,

RIÆ, Matris cunctorum viventium, studiosissimo. Vix duodennis, exemplo Baptistæ, è paternis laribus secessit in Eremum: ubi domus illi fuit cavus arboris truncus, vnde illi cognomentum *Stock*: quæ vox, Britannis *truncum* sonat. Arborem produnt fuisse quercum annosam; cujus cavum cum adjacente solo, dumis aculeatis inhorrescebat. Hæsit eo in loco vir DEI per annos non paucos, herbis in solo inculto sponte nascentibus, ac pomis sylvestribus famem sedans: sitim verò restinguens frigidâ, ad testandam DEI magnificentiam (ut Philo *a.* differit) etiã in avia eremo ac tesquis scaturiente. Fuit etiam cum allato per canes venaticos pane (Angelicà haud dubiè instigatione Homini DEI prospiciente) cibaretur. In ea escarum terrestrium tenuitate vel jejunitate, interiorem hominem opiparè saginabat, dulci orationis propè assiduo pabulo mentem nutriens: & jugis in cælestibus epulis per illustrationes divinas & benedictiones dulcedinis, quibus suavissimè perfundebatur; pensante DEO, de more, corporeæ tractationis imbonitatibus refertæ, damnum. Angeli super B. SIMONEM ascendentes ac descendentes, cavum illud frequentabant: & docente sanctum suum DEO, mixta ex mortali homine & immortalibus illis spiritibus schola conflabatur; ut à Salviano *b.* de Moyse in Sina cum DEO colloquente, est proditum.

Quantæ capacitatis dicemus fuisse illud arboris cavum, non SIMONEM modò inquilinum: sed ipsum quoque DEUM & tot Angelicas turmas excipiens? Abietem tantæ crassitudinis, ut quatuor ulnas complectentium impleret, & æqualis propè crassitudinis cedrum Cypriam, Plinius *c.* describit. Qui item prædonum Germanorum, singulis arboribus cavatis homines ad triginta ferentibus navigantium, vastissimas arbores memorat. Vix tamen aliquo sit loco ea vastitas præ amplitudine illius apud *d* Indos occiduos castaneæ; quã textor cum textrina sua, totoque opificij apparatu inhabitabat: ejusque concavum Equites octoni subibant, indeque nullo suo obstaculo prodibant; tanta erat vastissimæ arboris cavitas. Sed ego ampliorem supra omnem comparationem fuisse dixerim quercum illam; quæ sedem in ea SIMONE figente, DEO & cælestibus Aulicis pro Regia fuit, instructa contra Satanæ acies propugnaculis; qualis illa apud Prussos patentissima quercus, præsidio firmata, & bellicis munimentis, validæ arcis instar, in longam belli remoram instructa, ut

tui Deiparæ impensè addict?. Duodennis in eremum secessit. Vnde cognomen *Stock* illi adhæserit? Herbis ac pomis silvestribus famem sedat: & sitim aquâ restinguit. *a. Lib. 1. Allegor.* Nonnunquam cælitùs illi de pane prospicitur. Angelorũ consortio frequenter perfruitur. *b. Lib. de prouident.* Nota mirandam quarundã arborum crassitudinem. *c. Lib. 16. c. 40.* *d.* Acosta *lib. 4. Histor. Ind. c. 30.*

In Europæ cap. 29. memorat Æneas Sylvius. In sua quercu longè alias acies fregit SIMON. Verè *Sanctiva* quercus, non illa Druydarum ac Dryadum, execrandis sacrificijs dehonestata: & inde à rusticis (ut lex Luitprandi loquitur) nomine *Sanctivæ* donata. Ne cujus verò fides titubet, circa SIMONIS in trunco commorationem diuturnam, procul ab omnibus suppetit exemplum afferre. *Gerardus* ex Diœcesi Coloniensi profectus in Ægyptum de consilio *B. Lyduvinæ*, ibi reperit in vasta Eremo, cellulam in arbore structam, quam incoluit per annos 17. in rerum omnium caducarum egestate, sed in ubertate cælestium deliciarum. Vix sit reperire aliquid affinius ijs, quæ de B. SIMONIS secessu scribuntur. Lege sis Acta B. Lyduvinæ *lib. 2. cap. 11.* Sanctus item *Beo* longè ante tempora B. SIMONIS in saltu Beth, annosæ fagi veluti alvum, in modum fornicis cameratam, quæ hominem certum possit excipere, tanquam locum ab Angelis sibi præparatum, inhabitare delegit, ut scribit in *ejus Actis* Theodoricus S. Trudonis Abbas, & ibi diutiùs hæsisset, nisi populorum frequentia illuc adventans, virum DEI captare sedem quietiorem coëgisset. B. SIMON nemine interpellante, cavum quod subierat, quietè incoluit & longè diutiùs.

Elias Schedius de Dijs German. syngram. 2. c. 24.

33.

Adventus Carmelitarum in Angliam divinitùs Simoni innotescit. Eorũ sanctimoniâ illectus, ijs aggregari postulat. Palæstinã petit loca sancta religiosè lustraturus. In Carmelo delitescens mannâ cælesti

JAM complures annos in suo cavo hærentem SIMONEM, DEIPARA edocuit de adventantibus in Angliam è Palæstina Fratribus suis Filijsq; SS. vatis ELIÆ: magnâ viris sanctimoniâ & religione, in quorum cœtum cooptari ipsum placeret. Itaque de trunci suo cavo egressus, ad eos visendos festinavit. Nec longâ cum eis assuetudine, adeò illos sibi devinxit, adeò ipse captus est eorum alloquijs, ut ad eos aggregari expetierit, & exoraverit. Aggregatus autem Spiritum DEI, quem per tempus diutinæ secessionis plenè hauserat, effudit in proximos; discurrens quaquaversum in magnum animarum bonum, & non exiguam dilatationem Ordinis Carmelitani; qui propterea SIMONIS præsertim operâ, per Angliam universam optimo odore fragravit. Cùm verò subijsset animum sancta cupiditas, adorandi in loco, ubi steterunt pedes Domini, cum bona Majorum venia, migravit in Palæstinam. Spelæum Bethleemiticum, & sanctum Golgotha, & loca cætera Christi vestigijs signata, religiosè lustraturus. Quam universam peregrinationem, ex quo è navi exscendit, obivit nudipes. Pastus animo locorum sanctorum cardinalibus Christi operibus illustrium conspectu, CARMELUM subijt; ubi per annos aliquot, in exi-

gua

gua cella conclusus delituit, cælesti mannâ per DEIPARAM sexennio refectus, ut graves Scriptores à Delrio *a.* notati prodiderunt.

à Deipara reficitur.

a L. 2. Mag. disq. c. 21. in fin.

34.

Redit in Angliâ, & mirè DEI gloriâ animarumq; salutem promovet.

Ibi velut manucodiata & avis cæli mystica, vitam exegit sanctissimam: multus imò totus, cum DEO ac Cælitibus, mundo nullus; donec inde digressus, & in Occidentem regressus, pristina amplificandæ apud proximos divinæ gloriæ studia resumpsit. Et extitit fructus laborum commensus zelo hominis DEI, cujus verba erant *veluti stimuli, & quasi clavi in altum defixi,* juxta *b.* Sapientem. Vnde non mirum quòd tantus fieret ab eo motus animorum, & tanta morum compositio in Auditoribus consequeretur.

b. Eccles. 12

Deiparâ cælitùs jubente *Honorius III.* Carmelitarum Ordinem confirmat. Ejus æmuli repentinâ morte divinitùs plectuntur.

Magnum quoque inde Ordini Carmelitano ornamentum accessit, imò & præsidium eo tempore peropportunum; ut præsertim deprehensum est in ea procella, quæ sedente ad Ecclesiæ clavum Honorio III. in Carmelitanum cœtum detonuit. Patres enim in Oriente quidem perspectissimi, at in oris Occiduis vix noti, & pro recens exortis habiti, non levi turbine sunt exagitati; quasi peccassent in sanctionem Concilij Oecumenici, ob inductum citra assensum Pontificis Ordinem novum, cui extremum imminebat periculum; nisi HONORIUS per visum à DEIPARA edoctus, & de exitio crastinò duorum ex ardentioribus Ordinis hostibus admonitus, omnes obices perrupisset, & urgenti negotium SIMONI confirmationem Ordinis pro voto concessisset; demiratus Viri pietatem, ac cælestem sapientiam.

35.

Cælitùs doctissimus evasit.

Vnde litteras sciverit, qui non didicerat vel cavo abditus, vel in cella conclusus, vel gyrans per provincias, & in modum fulguris coruscantis discurrens; si quis in controversiam vocet, recolat Θεοδιδάκτους illos, de quibus Raynaudus in *Bernardo* Ape Galliæ, & in *Symbolis Antonianis*. Ijs annumeratus SIMON, quomodo Sapientiam citra humanum studium comparatam obtinuerit, dubitatione vacabit. Fuisse verò à Theologica doctrina optimè constitutum, idque apud omnes fuisse compertum, monstratur ex laurea Doctoris, quam in Oxoniensi Academia emeruit; cùm urgentibus Sodalibus ad acceptandum illud publicum Doctrinæ testimonium, à lubentissimis Academiæ Magistris delatum, juvandis cum majori authoritate proximis, ad nittendum censuit. Quid quòd emissis quoque in publicum Libris, inter Scriptores Ecclesiasticos celebritatem est adeptus? Recensentur hæ B. SIMONIS Lucubrationes publico datæ apud Pitsæum

Ac complures libros conscripsit.

Lib. de Scriptorib. Anglic. ad an. 1265.

Canones cultûs divini, libro uno comprehensi: *Homiliarum ad populum de Christiana pœnitentia*, volumen unum: *Unum item Epistolarum ad Fratres: Ad Christiparam Virginem Antiphonæ.*

Prov. 11. Verum laus doctrinæ, nisi accedat vitæ integritas & nitor, sordet apud DEUM, & ex Spiritûs sancti oraculo, *circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & formosa*, id est, interprete Cassiano, qui animæ ex scientia cultum incompositis moribus dehonestat, non secus facit, quàm sus immunda aureum circulum naribus applicitum, in volutabro luti demergens, ac fœdè conspurcans. Ideò SIMON eruditionem sacram, quâ prænitebat, gemma sanctimoniæ, quam studiosè inoculabat; tum demum commendabilem ratus esse sapientiam, cum morum compositione, & virtutum radijs colluceret; qui fuit semper sensus Sanctorum omnium verèque Sapientum.

Collat. 14. *cap.* 16.

36. Eligitur in Generalē Ordinis.

Præ tam clara apud omnes fama sanctimoniæ, tantâ luce sapientiæ, tanto divini honoris studio, & de sacri Ordinis profectibus solicitudine, homo octogenario major, cùm Generalia Ordinis Comitia haberentur, in Anglia, circa annum 1245. variant enim Autores de hujusmodi Comitiorum tum tempore, tum loco. Ut ut sit in ijs Comitijs SIMON non admodum longo tempore intra sacrum Ordinem exacto, ut qui implessèt tempora multa, electus est in moderatorem Ordinis Generalem, magnâ omnium consensione, uno ipso deprecante sarcinam, & quantum potuit satagente pro retinenda loci sui humilitate.

Legum Regularium observationem, & Deiparæ cultum apud omnes sibi subditos mirificè promovet.

Evectus ad Ordinis fastigium expolire, & componere in sacro Cœtu omnia, & ad Majorum sanctam æmulationem opportunè, importunè accendere universos ac singulos pro munere institit. Sed nominatim affectum erga DEIPARAM altè in suorum cordibus defigi, quantâ potuit accuratione fategit. Nihil ille quidem remiserat de suo flagrantissimo in DEIPARAM studio, quod cum lacte hauserat. Attamen ex quo sacro Cœtui est adscriptus, & ex quo præsertim ad ejus clavum sedere cœpit; sub DEIPARÆ tutelam & se privatim, & communiter Ordinem ardentissimo studio collocavit. Vt autem Præfecto sacræ Familiæ, qui vacuum nomen non portet, nullo propè loco sunt propria commoda, præ sibi conereditì communis boni, fovendi & amplificandi desiderio; illud præsertim ab amantissima sibi DEIPARA assiduis precibus expoſcebat SIMON, ut pius affectus sui

A Deipara singularis benevolētiæ suæ in suum Or-

erga

erga sacrum Cœtum, cui ipse præerat; & munimentum tutelæ perpetuò exhibendæ, assignare non gravaretur. Id quod maximè optandum habuit in tot Decumanis Ordini sacro infestis per aversam nonnullorum voluntatem, quorum in dies auctior concitatio timebatur.

dinem tes-seram petit, & obtinet.

37.

Deipara Angelis multis comitantibus SIMONI apparet, & sacrum eidem SCAPVLARE confert.

NON defuit clientis sui humillimis votis DEIPARA. Itaque cum SIMON Camtabrigiæ esset, anno 1251. annis jam aliquot totius Ordinis præfecturam obiens, cælesti viso recreatus est. Obversans enim ei conspicuè DEIPARA, Angelicis stipata cohortibus, & coruscans splendore, qui solem ipsum perstringeret, auditas abs se voces renunciavit. Nec modo tutelam, qualemcunque suam spospondit, sed etiam benevolentissimè professa est, ascisci à se in filios quotquot in Ordinem adscripti, vel adscribendi, aut etiam adoptandi forent. Pignus autē tam singularis benevolentiæ à SIMONE precante expetitum esse voluit Ordinis SCAPULARE; sic affata fusum in genua, & præ gaudio in pias lacrymas colliquescentem SIMONEM. *Dilectissime Fili, recipe tui Ordinis SCAPVLARE, meæ Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis Privilegium; in quo quis moriens, æternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, & pacti sempiterni.*

Tanti miraculi, subjungit celebris nostri cui scriptor, Aubertus Miræus (postquam jam dictam revelationē recensuerat) *famam excepit cum admiratione Orbis universus; veritatem confirmarunt summi Pontifices non pauci, Ioannes* XXII. *Clemens* VII. *Gregorius* XIII. *Sixtus* V. *Gregorius* XIV. *Clemens* VIII. *&c. Sanctitatem coluerunt Reges, Principes, populi, qui in sodalitium seu Confraternitatem sacri hujus Scapularis, passim in toto Orbe Christiano, non sine magno pietatis fructu curant adscribi.*

Lib. de Origine & incremento Ord. Carmel. cap. 6.

QUOD verò mox ex hoc facto, & tempore Originem ac incrementum sumpserit, sacri Scapularis Confraternitas in Anglia, & universa Europa, communis est traditio omnium Ordinis nostri Historiographorum, qui de ea scripsêre, inter quos Segerus Pauli in *Chronologia vitæ S. SIMONIS Stock ad ann.* 1251. sic attestatur: *Ob præfatum tam nobile ac magnificum privilegium sacri habitus, sive Scapularis, quod DEIPARA Virgo S. SIMONI tradidit, per quod etiam mox eodem die illustria patrari cœperunt miracula, & vetustissima hujus Ordinis Confraternitas, hactenus B. Virginis MARIÆ de monte CARMELO nuncupata, renovari, propagari, ac novo*

38.

Ex hoc facto & tempore cæpit antiqua B. Virg. de monte Carmelo Confraternitas *Sacri Scapularis*

nuncupari, & mirificè in Europa propagari.

novo titulo sacri SCAPULRIS, *insigniri cœpit. Multi etiam Reges, ac Principes, præter vulgus innummerabile, successivè eidem Confraternitati incorporati sunt; quos deinde ipsi quoque summi Pontifices, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alij ex Clero plurimi sunt imitati &c.* de quibus nos infra *part.* V I. *cap.* I I I.

Paulus quoque Zehentner illustris Societatis JESU Theologus & scriptor in *Promontorio malæ spei, lib. 3. paragr. 13. num. 15*, idipsum testatur, & affirmat his verbis: *Notandum venit, tametsi Deipara Virgo unum dumtaxat SCAPVLARE tradiderit S. SIMONI: solere nihilominus plura alia, ad similitudinem illius accepti SCAPVLARIS Ordinem Carmelitarum diversis quoq; Fidelibus in Ecclesia distribuere. Atq; ita fatentur statim fecisse ipsum SIMONEM, nemine reclamante: deinde posteros ejus, approbantibus etiam Pontificibus & facultatem amplissimam concedentibus, ut Carmelitæ Fraternitates sub titulo B. Virg. &* SCAPULARIS *ejus erigere possint. Nec tantum hodie per Italiam, Germaniam, Belgium, aliasq; Orbis partes, omnis ætatis, sexus ac conditionis homines gestant collo appensum SCAPVLARE; sed etiam olim quoq; idem facere receptum fuit Principibus personis. Nam & S. LVDOVICVS Galliæ, &* ODOARDUS *Angliæ Reges &c. diu noctuq; hoc Mariani favoris insigne protasse memorant.* Hactenus ille.

Omnis conditionis, sexûs & ætatis homines, per omnes Christiani orbis partes, olim gestarunt, ac hodie gestant sacrum Scapulare.

Priusquam verò hujus Carmelo-Partheniæ Confraternitatis privilegia, ac beneficia, atque privilegiatæ hujus vestis prærogativas & excellentias discutere exponereq; incipiamus, necessarium erit, ad ad obviandum, & satisfaciendum ingenijs quibusdam tumultuosis ac pruriginosis, atque à Mariana pietate alienis, quæ omnibus concutiendis, aut novandis, quælibet audere præsumunt, partim vocando in dubium, partim falsiloquij ac figmenti insimilando, necessarium inquam, atque operæ pretium erit, cælestis visi, doni, ac revelationis B. SIMONI nostro exhibitæ veritatem ac subsistentiam examinare, stabilire ac confirmare, quod in proximis capitibus præstabimus.

Quando, ubinam, & quomodo obierit S. SIMON STOCK?

Verum hoc antequam aggrediamur, juvat sanctissimum B. SIMONIS nostri decessum, locumque ac tempus ejus vel paucis subindicare. Cum ann. 1265. qui vitæ ejus (juxta P. Segeri Pauli Chronologiam) erat centesimus, pastorali ex munere provinciæ Vasconiæ cænobia visitaret, & Burdegalim attigisset, febri correptus fuit, ingravescenteque morbo, sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta, morituris præberi solita, maximo pietatis sensu recepit. Prænunciatis die, horaque

raque obitus sui, adstantem sibi Religiosorum coronam verbis tenerrimis, ad eximium Deiparæ, Carmeli decoris & Dominæ cultum, continuumq; gratitudinis erga eam studiũ, ob collatũ cælitùs privilegiati Scapularis donũ, certissimum amplissimæ affectionis ejus in Ordinem pignus, impensissimè cohortatus est. Et ut Marianæ pietatis, (cujus innumera toto vitæ decursu ijs præbuerat heroica exempla) in ipsa quoque morte exhiberet, salutationem Angelicam, sibi semper dilectissimam, recitare cœpit, ac sub illis verbis, *nunc & in hora mortis nostræ*, immaculatam efflavit animam, die 16. Maij ann. jam dicti: quam non pauci è præsentibus ibidem Religiosis à sereniſſima Virgine Cælitum Imperatrice iuscipi, offerri & præsentari viderunt supersanctissimæ Triadi. Idem se conspexisse testati sunt paralitici duo, illo ipso tempore ab eo divinitùs curati. Alij, teste Thoma Saraceno, *informatione* 20. *Historiæ sacræ de Confratr. B. M. de mont. Carmel. part.* 1. conspexêre animam ejus, ineffabili cum gloria, inter Angelorum agmina cælos conscendere. Remansit corpus post transitũ sanctissimæ animæ, formosum, suavissimum exhalans odorem, ad cujus sepulchrum complura celebriaque postmodum patrata fuêre miracula.

Commendat sibi adstantibus pietatem & gratitudinem in Deiparam.

Mira in ejus transitu, &c.

Hæc refert ex Joan. Cherone Casanate in *Paradiſ. Carm. dec. Statu* 4. *etat.* 14. *cap.* 16.

Refert idem P. Thom. Saracenus de Simone adhuc infante ac lactente rem planè admirandam aliasque inauditam: quod scilicet matris ubera nunquam fugere voluerit, nisi prius vidisset ipsam flexis humi genibus Deiparæ Virgini per recitationem Angelicæ salutationis honorem cultumque exhibuisse.

Nota rem admirandã de illo adhuc infante.

CAPUT VI.

Pontificia Mariani Scapularis, S. SIMONI Stockio cælitùs collati, comprobatio.

39. Quàm celebris evaserit in universo Orbe Mariani Scapularis Confraternitas.

NONNULLIS visio ac revelatio, atque cum ea privilegiati Scapularis *S.* SIMONI divinitùs donati existentia, & veritas sufficienter comprobari ac confirmari videtur, ex famæ celebritate; quæ non modo per Angliam, verum etiam reliquas omnes Christianorum Regiones sparsa, vires acquisivit eundo, adeoque increvit, ut ad nostra usque tempora pervenerit, ita ut nullum inter Catholicos sit regnum, nulla provincia, urbs

urbs nulla, nulla civitas, ac vix ullum oppidum, in quibus non vigeat sacrosancta Mariani SCAPULARIS Confraternitas, cum omnium plausu, ac fructu non modico. Hanc universalem famam valere amplius plusque authoritatis habere illi credunt, quam quamlibet librorum ac rationum multitudinem: & ex hac famæ celebritate veritatem hujus apparitionis stabiliunt & confirmant, attestante *Philiberto Fezayo* in duplici privilegio sacri Scapularis &c. *Privileg. 1. controvers. 8.* Joannes Paleonydorus *Lib. 3. de antiq. & sanctim. Ord. Carm. Cap. 7.* Joan. de Carthagena *Homil. 2. de B. Maria de monte Carmelo.* & Franciscus Voërsius in *Horto spirituali pag. 401.*

Verum juxta receptum in Christi Ecclesia stylum, ejusmodi visa & apocalypses à Pontificibus Christi Vicarijs comprobandæ sunt. Cum ne ipsæ quidem Scripturæ (tametsi literæ de cœlo ad nos delatæ juxta *D. Augustinum*) ratæ haberentur, nisi Ecclesiæ comprobatio, & (ut loquuntur) verificatio accederet. *Evangelio non crederem*, (ajebat *Augustinus* sanctus) *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas.*

In Psalm. 131. ad §. 4. & in Psalm. 149. ad §. 2.

Et Doctor gentium, quamvis non ab hominibus, neque per hominem, Evangelium suum didicisset, sed per revelationem JESU Christi, essetque de veritate doctrinæ, quam annuntiabat, adeo certus, ut vellet inferri anathema cuicunque secus prædicanti, vel si esset Angelus de cælo: attamen ne qua vacillandi ac nutandi causa daretur audientibus, ascendit Hierosolymam videre Petrum, & ut ab eo tanquam visibili Ecclesiæ Capite, comprobatum Evangelium, quod disseminabat, nulli pateret vel calumniæ, vel tergiversantium cavillo. Itaque similiter, tametsi, ut ferebat privata revelatio facta B. SIMONI, Scapulare Marianum erat secundum se instrumentum sacrum exploratæ pietatis: tamen ut quoad nos faceret omnis ambiguitas, necesse fuit, accedere cælesti illi viso, Ecclesiæ per suos Rectores, legitima comprobatio: qualem continent varia Pontificia diplomata, quæ exhibitum venio, pauca de plurimis.

40. Recensentur Pontifices Mariani Scapularis donũ ac collati-

JOANNES XXII. natione Gallus, ante assumptum pontificatum, dictus *Jacobus de Ossa*, Cardinalis Portuensis, ob exhibitam sibi DEIPARÆ visionem ac revelationem, imò ex ejusdem jussione SCAPULARE Carmelo-Parthenium, quod in suo Apostolico diplomate, incipiente *Sacratissimo uti culmine.* vocat *Sancti habitus signum*, anno 1317. die tertia Martij, authoritate sua suprema communivit. Nec

obest

obest quod JOANNES XXII. in sua Bulla non meminerit B. SIMONIS, ejusque visionis, ac collati eidem à DEIPARA muneris; sicut enim cum *Liberius* Pontifex à SS. Virgine per visum monitus est de constructione templi Mariani in Exquilijs, quod idem visum eadem nocte *Joanni Patricio* obtigit, nihil decessit veritati visi utrique eorum seorsim objecti, quod *Liberius* nihil à DEIPARA accepisset, de simili viso *Joanni* exhibito, neque *Joannes* de apparitione facta *Liberio*. Quare haud dubiè visio IOANNIS XXII. observata pro confirmatione Scapularis spectavit illudmet Scapulare, de quo ante annos circiter sexaginta, visum B. SIMONI objectum fuerat. De diplomate verò JOANNIS XXII. quo sacrum hoc Scapulare communivit, ejusque veritate & subsistentia in *in secunda hujus Operis parte* uberius agemus.

onẽ comprobantes, *Ioannes XXII.*

ALEXANDER V. ex *Petro de Candia*, Ordinis Minorum Summus Pontifex, dato anno 1409. diplomate, quo IOANNIS XXII. autographum abs se inspectum, & diligenter recognitum testatur, ejusdemque autogtaphi apographum verbatim exscriptum, suo diplomati inserens, veritatem visionis IOANNI objectæ confirmat, & concurrere in B. SIMONIS apparitionem, fidem facit. Ex hoc porrò ALEXANDRI diplomate, liquidum esse potest diploma IOANNIS XXII. ab ALEXANDRO firmatum, non minus cadere in Scapulare, quam ipsum ALEXANDRI diploma: quod æquè dicendum est, de posteriorum Pontificum Bullis, quibus IOANNIS & ALEXANDRI diplomata memorant, sacrum Scapulare comprobando, ut mox dicemus.

Alexander V.

CLEMENS VII. in diplomate anno 1530. edito, & in alio, quod refert Emmanuel Rodriquez *Tom. 2. qq. Regul. q. 7.* allegat Bullas IOANNIS & ALEXANDRI, easque ratas habet, aliorumque antecessorum suorum diplomatibus easdem esse firmatas testatur. Cumque aliqui contra mussarent, & fidem diplomatum IOANNIS & ALEXANDRI vocarent in dubium, discussionem causæ Alexandro Riario Cameræ Apostolicæ Auditori Generali ac Patriarchæ Alexandrino commisit; ac per hunc judicem suum delegatum, silentium perpetuum obstrepentibus indixit.

Clemens VII.

PAULUS III. pontificatus sui anno primo, Christi verò 1534. 3. non. Novemb. novo diplomate incipiente *Provisionis nostræ*. Cui Bullam CLEMENTIS VII. inseruit, eamque confirmavit, ac totum hoc negotium comprobavit.

Paulus III.

Paulus IV. Idem præstitit, teste Raynaudo, PAULUS IV. suo diplomate IOANNIS XXII. Bullam *Sacratissimo uti culmine*, inserendo, atque Mariani Scapularis religiosam observantiam de novo confirmando.

Pius V. PIUS V. *motu proprio*, ut loquitur, authoritate Apostolica approbavit anno 1566. 12. Calend. Maij per Bullam, cujus initialia verba sunt, *Superna dispensatione*, præfatorum omnium Pontificum circa hoc negotium Constitutiones, ratasque habuit &c. Diplomatis PII V. meminit GREGORIUS XIII. mox adducendus.

Gregorius XIII. GREGORIUS XIII. Pontificij sui anno sexto, Christi verò 1577. verbis ampliſſimis Confraternitatem Mariani Scapularis commendat, in suo diplomate incipiente, *Ut laudes*. Dato Romæ apud S. S. Petrum die 18. Septemb. Nec tantum literas Apostolicas IOANNIS XXII. ALEXANDRI V. ac CLEMENTIS VII. in actu signato memorat tanquam legitimas, verum etiam Apostolica authoritate approbavit, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur de novo adjunxit patrocinioque suo communivit.

Paulus V. PAULUS V. ab anno 1606. multiplici diplomate, prædecessorum suorum vestigijs inhærendo, negotium hoc probavit, illustravit, communivit. Et cum Inquisitor Avenionensis, negotium facesseret Carmelitis circa diploma IOANNIS XXII. vetaretque proponi de sacro suggestu contenta illius, monitus Pontifex stetit pro antiqua possessione: obstrepentesque compescuit, decreto in Generali sacræ inquisitionis Congregatione edito, de quo in *secunda parte* fusiùs disseremus.

41.

Idem asseritur divini Officij authoritate.

AD Pontificiæ seriem comprobationis, de qua nunc agimus, pertinet divini Officij authoritas à Sede Apostolica emanans, in lectionibus verò secundi Nocturni festivitatis *Commemorationis solemnis B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO* hæc habentur: *Nec verò nomenclaturam tantum manifestissima Virgo tribuit, & tutelam, verum & insigne sacri SCAPVLARIS, quod B. SIMONI Anglico præbuit; ut cœlesti hac veste Ordo dignosceretur, & à malis ingruentibus protegeretur*, &c. Hic duo discutienda veniunt. *Primùm*, unde præfatis lectionibus asseratur authoritas? *Secundò*, quam authoritatem ac fidem apud Fideles promereantur.

Ad *primum* Respond. Eandem prorsus lectionibus his, quæ alijs divini Officij libris authoritatem inesse. Illas quippe Sacra Rituum Congregatio pluries examinavit, probavit, dignasque censuit, quæ

Cano-

Canonicis Ecclesiæ precibus insertæ essent. Purpuratorum Patrum decreto accessit summorum Pontificum oraculum, *primum* anno 1609. die 10. Junij Ecclesiam regente PAULO V. Eminentissima sacrorum Rituum Congregatio, Præside *Dominico Episcopo Ostiensi, Cardinali Pinello*, detractis veteribus, præfatas ab Eminentiss. *Cardinali Bellarmino diligenter recognitas & subscriptas* lectiones simul cum alijs ibidem descriptis approbavit; recitandi quoque, atque imprimendi facultatem dedit. *Secundò* idipsum anno 1628. die 12 Junij ab eadem Eminentissima Congregatione repetitum fuit, Claves Petri tenente Urbano VIII. Pontifice maximo.

Et Sac. Rituum Congregationis.

Quod testantur Romæ Sacræ Congregationis Ephemerides, nec non authenticæ ejusdem litteræ, tum apud Calceatos, tum apud Discalceatos Carmelitas conservatæ.

Consonant lectionibus prætatis Officij *Commemorationis solemnis B. M. V.* lectiones Officij festivitatis B. SIMONIS *Stockij*, quod Officium à ducentis & amplius annis, affirmantibus Lezana, lib. *de patronatu Mariano cap. 5. num. 10.* & alijs, Burdigalæ in usu fuit: in quo *lectione* VI. hæc leguntur: *Precanti ei Deipara Virginem, ut Ordinem jam confirmatum, qui sacro titulo ejus gaudet, singulari aliquo privilegio à cæteris discerneret; apparuit ipsa Virgo benedicta Angelorum multitudine comitata, tenens manibus* SCAPVLARE *Ordinis, dicens: Hoc erit signum tibi, & cunctis Carmelitis privilegium; quod in hoc moriens æternum non patietur incendium.*

Confirmari hæc videntur Oratione in Breviario Carmelitarum pro festo S. SIMONIS die 16. Maij apposita, & ab ijsdem Purpuratis Principibus probata & confirmata, sequentis tenoris: *Plebs Tibi Domine Virginiq; Matri dicata, B. SIMONIS, quem ei Rectorem & Patrem dedisti, solemnitate lætetur: & sicut per eum tantæ protectionis signum obtinuit, ita prædestinationis æternæ munera consequatur.*

Suspicabitur forsan quispiam, me divina quasi fide, sanctam, tenendamque stautere S. SIMONIS revelationem; eo quod Romanorum Pontificum decretis probatam ac communitam affirmem: quibus errorem adscribere, vel refragari, videtur piaculum. Ego autem id minimè contendam; etsi majorem ex ejusmodi decretis certitudinem, quam ex relatione privati cujuslibet Authoris, colligi velim. Hoc quippe duo evincere videntur. *Primum* Purpuratorum Patrum maturum examen. *Alterùm* Summi Pontificis in tale Patrum decretum

Quanta sit Romani Pontificis & Sacræ Rituum Congregationis authoritas è

eretum consensus. Enimvero si authoris nomen, si ingenium, si pietas atque diligentia pondus faciunt, quis suspectam habeat sententiam tot Eminentissimorum Principum munitam probatamque suffragio: qui celeberrimos quosque Theologos, Jurisperitos, aliosque viros doctissimos, in consilium adhibere consueverunt: quosque sapientia, ingenio, diligentia, imò & zelo divinæ legis, sacrorumque Rituum cæteris eminere, ut purpurâ, nescit nemo? Quis reijciat quod *Bellarminus*, ex ipso nomine Illustrissimus, post maturum valdè examen probavit, atque propria subscriptione communivit? Num in cæteris concedemus cautos, sapientes, diligentes, in hac una visione ac revelatione dijudicanda desides, negligentes, ac deceptos; ut rem, quam non legerint, aut lectam sufficienti assertam fundamento non putaverint, suo probaverint ac confirmaverint suffragio? sanè permulta recensentur vera, quæ divinis Officijs non censentur inferenda. Ne quid verò ijs immisceatur falsi, summa est Illustrissimæ sacræ Rituum Congregationis cura, cui hoc muneris à Sede Apostolica commissum fuit.

Vide Lezanam *Tom.* 3. *qq. Reg.* Verb. *Congregatio.*

Progrediamur nunc ad assensum Pontificis, per quem Sac. Congregationis decretum (uti moris est) confirmatur. Summi Pontificis suffragium ex consensu non minus colligitur, quam si expresse & directè ea de re tulisset sententiam, juxta illud, *omnia nostra facimus, quibus authoritatem impertimur &c.*

Idem uberiùs exponitur.

Cum ex Cathedra loquitur Sanctissimus, divina (ut docent Theologi) effatur oracula, quibus adversari impium esset ac hæreticum. Cum privatim disserit, privatum agit Doctorem, cui nihilominus authoritatis splendor accrescit: tum ex dignitate, ad quam ij evehuntur, qui eruditione ac pietate præcellunt; tum ex copia doctissimorum hominum, quorum colloquijs, consilijsque passim utitur Pontifex.

Vide sis Bellarminum *l.* 4. *de summ. Pontif. cap.* 5.

Quandonam verò ex Cathedra loquatur perdifficile videtur definire; id maximè evenire concedunt, cum mysterium divina fide tenendum proponit. Quid verò cum indulgentias impertitur, dispensationes concedit, vota relaxat, Sanctorum solemnitates instituit & officia, aliaque ejusmodi peragit? infallibilem adhuc defendit sanior, potiorque Theologorum pars, si enim in eis, quæ ad universam spectant Ecclesiam, errare possit, ruit tota Ecclesiastici Thesauri dispen-

satio,

satio, singulisque aperitur via dubitandi de rebus sacratissimis, atque refellendi Summi Pontificis authoritatem in ijs etiam, quæ Religionem, divinam pietatem, Sanctorumque cultum concernunt, quem ne abeamus in errorem, Sanctorumque apotheoses ac officia, pro arbitrio damnare liceat atque reijcere, dicendum Pontificis sententiam, præmisso potissimùm Cardinalium eruditissimorum (uti hîc contigit) examine, fidem facere majorem saltem, quàm si privato ab authore eadem emanaret. Inferret alius eam inde nasci certitudinem, quæ absque temeritatis nota reijci non posset: quod negare non ausim; etsi id, quod puto apud omnes indubitatum, duntaxat concluserim. Consulatur noster THOMAS Waldensis *Tom. 3. de Sacramentalibus. tit.* 114. *Cap.* 122. Ubi de infallibilitate quoad Canonizationem SS. disserit: & eodem Tom. *titul.* 4. *cap.* 37. ubi sic loquitur: *Quia claves Ecclesiæ ipsi* (Papæ) *dedit, & tantæ potestatis dominum fecit, & Religionis cultum in eo principaliter collocavit, ideo si non eximiè servaretur, omnes casum ejus lugeremus difficilem*, &c.

Malden. *de fide q.* 1, *tract. de Sum. Pontific. disp.* 6. Suarez *Tr.* 1. *de fide disp.* 5. *sect.* 8. *n.* 7. Duvalium *Tract. de Sum. pontif. part.* 2. *q.* 1.

Ex jam dictis satis superque stabilita videtur Scapularis nostri cælitùs facta B. SIMONI collatio. Discussam quippe, suoque firmatam decreto Sacra Congregatio, ut fit in similibus, exposuit Pontifici: Pontifex Congregationis sententiam supremâ probavit, communivitque authoritate, divino officio inserendam, atque Ecclesiasticis ab exedris recitandam proposuit. Quid plura? Authorum numerus, si moveat, Eminentissimos damus plurimos. Si gravitas? PAULUM V. & VRBANUM VIII. Summos Pontifices: aliosq; appellamus, Cardinales, cæterosq; Christianæ Religionis Principes viros, qui attestentur, suumq; dum defendent decretum, nostrum pariter vindicabunt assertum. Nec jam ampliùs nostra res agitur, cùm B. SIMONIS visio disceptatur; sed Summi Pontificis, ac Sacræ Rituum Congregationis disputatur authoritas, imò totius divini officij Ritus, dispensationum certitudo, indulgentiarum, aliorumq; hujusmodi impugnatur Religio: cùm in ijs errare dici possint, qui in B. SIMONE, ejusq; Officio asseruntur decepti. Deceptos etenim in Officio præfato *Commemorationis solemnis B. V.* Pontificem & Cardinales, si objcias, deceptos ego cæterorum in Officio, cur non apponam? Recurres ad Authores, quorum ex Annalibus Sanctorum deprompserunt Historias? Quæram ego, an sine authore, eoq; sufficienti, & probato id

42. Præfati Authores infallibilẽ faciũt Pontificem in ijs, quæ ad mores spectãt, & Ecclesiam universalẽ; maximè si sint ad salutem necessaria, vel per se bona, aut mala. In indifferentibus verò falli posse fatetur *B. Harminus*. Divinum autẽ officium,

preces publicas, & similia, quis cum indifferentibus enumeret?

asserverint de nostro SIMONE? Hoc si concesseris, imprudentissimos facies, quæ summa erit summam in Purpuram injuria, atq; argumentum efficax, eandem in reliquis suspicandi incuriam; si negaveris, parem cum cæteris Sanctorum historijs (quod intendimus) Carmelo-Parthenij Scapularis fateberis certitudinem.

Mitto suffragari pariter graviſſimorum Authorum copiam, de quibus inferiùs. Mitto, si lubet, primæ Sedis authoritatem: Pontificem & Cardinales, dignitate & infulis destitutos considero: eosdem tamen viros doctissimos ac sapientissimos visionem asserentes, post maturum examen, quis non audiat Doctores? illorum sententiam, privatæ facultatis decreto, aut duorum Doctorum, quis audeat imparem asserere?

In Scapul. Mariano part. 1. cap. 2.

Tandem ad caput Pontificiæ comprobationis, inquit Theophilus Raynaudus, *in qua versamur, pertinet Concessio largissima indulgentiarum Sodalibus Virginei Scapularis collatarum, quâ illecebrâ innumeri per universam Ecclesiam Sodales, accedente promissione à DEIPARA factâ S. SIMONI in favorem Sodalium, pium hunc ritum religiosè usurpantium, magnâ voluntate in Sodalitium dant nomina: & observationes sacras in eo præscriptas, singulari pietate frequentant. Unde potens argumentum, & meo judicio ineluctabile ducitur, pro veritate visionis Stockianæ*, &c. Hactenus ille.

CAPUT VII.

Theologorum ac Historiographorum suffragijs eadem veritas confirmatur.

43. Recensentur Theologi ac Historiographi ejusdē veritatis testes.

ILLVSTRIVM Scriptorum, qui B. SIMONIS nostri Marianam visionem ac revelationem, privilegiatiq; Scapularis traditionem probârunt, posteritati ac literis mandârunt, agmen ducit Venerab. *Petrus Swaningtonus*, ejusdem sancti Viri socius ac confessarius, natione Anglus, patriâ Norfolcensis, SS. Theologiæ Doctor & Professor primùm Oxonij in Anglia, deinde Burdigalæ in Vasconia. Scripsit hic vitam B. SIMONIS, atque divinitùs traditi sacri Scapularis, primiq; per illud patrati miraculi historiam: quam R. P. *Ioannes Cheron* in Vindicijs privilegiati Scapularis *pag. 165. & seqq.* adduxit. Hic *Petrus* admodùm celebris est, non solùm apud Carmelitas, verùm etiam apud *Harpsfeldium*

ſtidium Hiſtoriæ Anglorum *ſæculo* 13. *cap.* 15. Antonium Poſſevinum in *Apparatu Sacr. Tom.* 2. Joannem Pitſæum de *illuſtr. Angliæ Scriptoribus ætate* 13. *ad ann.* 1270. qui illum eximio exornat elogio, aliósq; non paucos. Tradit *Thomas Saracenus*, eum à S. SIMONE Comitijsq; Generalibus Aliſfordiæ celebratis delegatum fuiſſe Oratorem ad INNOCENTIUM IV. Pontif. à quo non modicos, pro ſuæ Religionis incremento obtinuit favores, ac beneficia. *In Vita S. Simonis.*

Guilielmus Coventrienſis, natione Anglus, Ordinis noſtri Coventriæ alumnus: *Vir*, verbis utor Pitſæi, *acutus ingenio, comptus ſtylo, maturus judicio, ſententijs gravis, & in meditandis ſacrorum eloquiorum myſterijs aſſiduus, in eiſdem percipiendis felix, in explicandis dexter, clarus, perſpicuus; quicquid protulit, eleganter locutus eſt; quicquid chartis commiſit, polito ſcripſit ſtylo*; & quibuſdam interjectis ſubjungit: *Omnia ejus ſcripta ſonant elegantiam, redolent pietatem, ut ab eximio Religioſo ſententijs inſtructo profecta, nemo, qui legerit & intellexerit, unquam dubitaverit.* Scripſit præter complura opera à Pitſæo & alijs relata, *de Adventu Carmelitarum in Angliam* librum unum, ac *Scutum Carmelitarum* libris tribus circa ann. Domini 1348. in quo SIMONIS noſtri Beatiſſimi viſionem *&c.* compendiò recenſet. *S. SIMON de Anglia*, inquit, *Generalis Ordinis ſextus, qui DEI gloriosiſſimam Genitricem jugiter deprecabatur, ut Carmelitarum Ordinem, qui ſpeciali gaudet ipſius Virginis titulo, aliquo communiret privilegio, dicens voce devotiſſimâ: Flos Carmeli, Vitis florigera, Splendor Cæli, Virgo puerpera ſingularis, Mater mitis, ſed viri neſcia, Carmelitis da privilegia, Stella maris.* Cui Beatiſſima Virgo cum multitudine Angelorum apparuit, SCAPULARE Ordinis in benedictis manibus ſuis tenens, & dicens: *Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, quòd in hoc moriens æternum non patietur incendium*: id eſt, (ſubjungit præfatus Guilielmus, & Joannes Groſſius mox adducendus, exponendo illa poſtrema *SS.* Virginis verba) *in hoc moriens ſalvabitur.* *In Catalogo Scriptorum Angliæ ad ann.* 1360.

Ioannes Groſſius, natione Gallus, patriâ Tholoſanus, Ordinis noſtri Generalis electus ann. 1389. quem Trithemius *inſignem divinarum ſcripturarum Doctorem* nuncupat, ſcripſit præter recenſitos ab eodem Trithemio libros *Tractat. de Sanctis Ordinis*, in quo de *S. Scapulari* B. SIMONI noſtro à DEIPARA collato, eadem omninò habet, quæ mox è *Guilielmo Coventrienſi* retulimus. *Lib. de illuſtr. Carmelit. ſcriptor.* & Poſſevin. *in Appar. Sac.*

Ijſdem

Ijsdem penè verbis, quibus *Coventrienſis* & *Groſſius* jam laudati, Scapularis divinitùs traditi hiſtoriam deſcribit *Thomas Bradlæus* ſive *Scropus* Tract. *de inſtitutione Ord. Carmel.* cap. 2. Hic è nobiliſſimo inter Anglos ſanguine procreatus, claritatem generis litteris & virtutibus plurimùm illuſtravit. Primùm Ordinis S. Benedicti Monachus fuit, deinde arctioris vitæ deſiderio flagrans ann. 1430. ad Carmelitas tranſijt in Norwicenſi aſceterio ſolemni profeſſione emiſsâ: vitam duxit in auſteritate penè incredibili, populo diligenter prædicans non verbo ſolùm, verùm etiam exemplo: extra prædicationis tempus ferè ſemper cellâ reeluſus ad annos 20. vitam ibi egit anachoreticam. Tandem ab EUGENIO IV. ann. 1446. Epiſcopus Dromorenſis in Hibernia creatus, & poſtmodum ab eodem Legatus Apoſtolicus ad Rhodienſes miſſus, vivendi finem fecit anno ætatis ſuæ plus minùs centeſimo, Chriſti verò nati 1491. die decimo quinto Januarij, non ſine inſignis opinione ſanctitatis. Ita ferè cum alijs Joannes Pitſæus *lib. de Illuſtr. Angliæ Scriptoribus ad ann.* 1491. ubi etiam operum ejus catalogum attexit.

Horum veſtigijs inhæſit *Balduinus Leerſius* circa ann. 1460. *in Collectaneo exemplorum ac miraculorum cap.* 4. in quo de S. SIMONE & apparitione DEIPARÆ illi exhibitæ diſſerit.

Gerardus Edamus ſeu *ab Edam* Harlemenſis circa ann. 1490. *in* lib. verſ. heroic. conſcripto. *cap.* 2.

Circa idem tempus *Nicolaus Simonis* etiam Harlemenſis, ſcripſit vitam S. SIMONIS *Stockij*, teſte Pitſæo *ætat.* 13. operis ſupra laudati *ad ann.* 1265. & Joanne Molano in *Martyrol. Vſuardi ad diem* 16. *Maj.*

Joannes Currifex & *Petrus Brunius*, hic in *Oratione ad Patres Capituli Provincialis Franciæ* excuſ. Aloſti: ille in *Catalogo Scriptorum & Sanctorum Ordinis*, adducuntur à Lezano in *Patronat. Mariano cap.* 5. *num.* 10. tanquam teſtes hujus veritatis.

Arnoldus Boſtius ſcripſit ann. 1479. inſigne opuſculum *de Patronatu SS. Virg. Mariæ*, in quo *cap.* 10. eleganti ſtylo viſionem Stockij, ac receptionem Mariani Scapularis proſequitur. Author eſt, non ſolùm à Trithemio, ſed pleriſque alijs apud Petrum Lucium, Poſſevinum, &c. plurimùm commendatus.

Joannes Paleonydorus Batavus, quem de *Aqua veteri* appellat Trithemius *lib. 2. de Scriptor. Carmelit. num. ultimo*, ſcripſit ante annum 1492.

1492. ut probat P. Irenæus à S. Jacobo, opus tripartitum *de antiquitate & sanctimonia Eremitarum montis Carmeli*, in quo *cap. 7. libri 3.* totam S. SIMONIS visionem commemorat. Nuperus quidam auctor parum piè in Divam Carmelitanam, aliosque nonnullos Sanctos affectus, putat præfatum Stockij visum admittendum haud esse, eo quod illud non legerit apud ullum Paleonydoro antiquiorem. Verùm, ut nihil dicam de argumento adeo levi & futili, vindices habet Paleonydorus eos omnes, quos supra recensuimus, Swaningtonum, Coventriensem, Grossium, Bradleyum, Leërsium, Harlemensem, Bostium &c. *Lib. de protect. D. Virgin. sect. 1. §. 6.*

Robertum Balè Carmelitam Brunhauiensem ann. 1497. composuisse Ecclesiasticum *S.* SIMONIS nostri Officium affirmat ex Molano *loco supracit.* Theophylus Raynaudus. Officium verò *S.* SIMONIS supra ducentos jam annos Burdegalæ in usu fuisse perhibet Lezana *loco supra citato.* *In Scapul. Mariano part. 1. c. 1.*

Monaldum Rosarium, Vasconem, & *Rolandum Bouchiarium*, Hannonium, affirmantibus Molano & Pitsæo *loc. supra citatis, vitam S. SIMONIS* graphicè delineasse, nec præfatam visionem omisisse manifestum est. Utrumque appellat Molanus *viros suis temporibus claros.* *Circa ann. 1508.*

Petrus Royuella Hispanus, circa an. 1584. præter *Tractat. de origine & quatuor prærogativis Ordinis Carmelit.* & gratijs, quibus illum Romani Pontifices illustrarunt, scripsit *Compendium de antiquitate gratijs & indulgentijs &c. Confraternitatis sacri Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo*, in quibus causæ nostræ patrocinatur.

Christophorus Sylvestranus Veronensis, circa an. Domini 1585. præter complura, quæ Pollevinus recenset opera, *de excellentijs sacri Scapularis à SS. Virgine B. SIMONI Anglico dati, & inconsutilis togæ Christi, comparationeq; cum illa Tractatum*, ut inquit Aubertus Miræus, *eruditione, subtilitate & spiritu* plenissimum evulgavit. *Cap. 7. lib. de orig. Ordin. Carm.*

Didacus Martinez de Coria an. 1590. in suo *Dilucidario Historico lib. 10. Cap. 12.*

Thomas à JESV Hispanus, quem *sanctimonia & eruditione ævo nostro Carmelum illustrasse* affirmant complures, an. 1599. edidit Salmanticæ lib. *de antiquitat. Ord. Carmelit.* vide sis. *Cap. 8. & lib. 2. de Confraternitat. Cap. 1.*

Emmanuel Rodericus, Ordinis Minorum ann. 1601. *Tom. 2. qq. Regul. quæst. 97. art. 7.*

Aubertus Miræus, Bruxellensis, ob quàm plurima eruditionis su monumenta Orbi notissimus, ann. 1610. edidit Antuerpiæ *lib. de Or gine & incremento Ord. Carmelit.* vide sis *Cap.6.* ubi compendium vitæ S. SIMONIS, & ejus visionem describit.

Circa eadem tempora *Ioannes de Carthagena*, Ordinis Minorum eruditione, pietateque clarissimus, *Tom. 4 sui Marialis tres habet Homil de B. M. V. de monte Carmelo*, in quibus de S. SIMONIS nostri visio fusiùs differit.

Sylvester Marulus Abbas Ord. Cisterciensis ann. 1613. in *Ocea Religionum lib.* 4.

Marcus Guadalaxara seu *Xaverius*, Hispanus, ann. 1616. in *Thesa spiritual. Religion. Carmelit. cap.* 13. & 15.

Benedictus Gononus, Cælestinus, ann. 1625. *lib.* 4. *de vitis PP. O cidentis:* iterumque in *Chronico DEIPARÆ ad an.* 1250.

Leo à S. Joanne, Visitator Apostolicus Ord. Carmelit. & Eccl siastes Regis Galliæ, edidit Parisijs ann. 1625. *Typum vestis Religiosæ*, n quo *sectione* 9. agit de hac S. SIMONIS *Stockij* visione: & iterum in *Pa dere Mariano* 25. vicibus in Gallijs recuso.

Christophorus le Roy, Doctor S. T. Parisiensis, in suo *Nemore sacro* seu *Horto vitæ contemplativæ*, edito Parisijs ann. 1626. *Tom. 2. discurs. 11.*

Petrus Thomas Sarracenus, Doct. Theol. Colleg. Bononiæ, & Sac. Inquisit. Consultor, an. 1627. in *Menologio Carmel. in vita S. SIMONIS Stock* qui liber (licet aliam ob causam) à Spondano cōmendatur *ad an.* 1245. *num.* 22. Et in alio opere, cui titulus: *Historia sacra de Origine & progress Confraternit. B. M. V. de monte Carmelo*, 1. *part. informat.* 17. & *part.* 1 *informat.* 3. & *seqq.*

Cyprianus à S. MARIA, Belga, edidit eodem anno Coloniæ *Thesaurum Carmelitarum*, in cujus *prima parte* per complura capita agit de hac revelatione.

Franciscus Poiræus, Societ. JESV Theologus, anno 1630. edidit gallicè *Triplicem DEIPARÆ Coronam.* Vide *Tractat.* 1. *cap.* 12. *§* 7. *n.* 14 & *Tractat.* 4. *cap.* 12. *§* 2. *num.* 5.

Laurentius Beyerlinch, Protonotarius, Canonicus & Archipresbyter Antuerpiensis, edidit ann. 1631. *Theatrum vitæ Humanæ.* Vide *lib.* 16.

Philocalus Caputus, Italus, *Vir*, (ut de illo in sua *Bibliotheca Mariana part.* 2. testatur Hippolytus Marraccius) *pietate & sapientiâ clarus, &*

Sacri

Sacri Collegij RR. PP. Magiſtrorum Theolog. Neapoli olim Decanus, edidit *lib.* inſcriptum *Mons Carmelus*, in quo pluribus agit de ſacr. Scapulari: & in ſuo *Quadrageſimali* habet pro ſingulis Sabbathis Quadrageſimæ inſignem *Concionem de eodem Mariano habitu.*

Ioannes Baptiſta Novatus, Italus, Relig. Cleric. Regul. miniſtrantium infirmis *Tom.* 2. de Eminentia DEIP. V. M. &c. *cap.* 12. in praxi colendi B. V. obſequio quinto.

Michaël Munnoz, Hiſpanus, in *Propugnaculo* ELIÆ an. 1635. Romæ edito, *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *art.* 2. *num.* 10.

Elias à S. Tereſia, Antuerpienſis, in ſuo opere inſcripto, *Legatio Eccleſiæ Triumphantis ad militantem*, edito primùm Antuerpiæ an. 1638. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 19. *& cap.* 36. *num.* 10.

Cornelius à Lapide, Societ. JESV, in *Cantica Cantic.* ad verſum, *Caput tuum, ut Carmelus.*

Georgius Colvenerius, Duacenæ Univerſitatis Cancellarius, in *Calendario Sacratiſſ. Virginis ad diem Ianuarij* 30. *& Martij* 3.

Paulus Zehentner, Germ. Societ. JESV, in *Promontorio malæ ſpei*, edito Grætij *lib.* 3. *parag.* 13. *num.* 13. *& ſeqq.* tuetur, & exponit uberiùs hanc revelationem.

Paulus de Barry, ejuſdem Societ. celebris Scriptor in *3. parte Anni ſancti*, & in *Paradiſo Hagiophilæ aperto ad diem* 16. *Iulij.*

Laurentius Chryſogonus, Dalmata, ejuſdem Societ. JESV, illuſtris Scriptor in *prima parte Mundi Mariani*, Viennæ editi, *Diſcurſu* 17. *num.* 73. 74. *& 76.* qui *num.* 87. ſuum diſcurſum hiſce concludit verbis: *Libuit hæc paulò diffuſiùs explicare, ut ijs, qui contra Sodalitium hoc Sacri* SCAPULARIS *in Venerabili Carmelitano Ordine erectum, Privilegiumq́, illud Sabbathinum liberiùs obloqui conſueverunt, ad cor revertantur, & res adeò pias, adeò rationi conſonas, à tot Summis Pontificibus confirmatas, dente theonino arrodere, momiq́, ſublato ſupercilio carpere impoſterum erubeſcant.*

Ægidius Gelenius, German. Electoris Colonien. Conſiliarius, & Hiſtoriographus Eccleſiaſticus, lib. *de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine, &c. ſyntagmate* 43. *§.* 7. *&* 8.

Archangelus à S. Michaële, Italus, in Tract. *de privilegiati* DEIPARÆ *Virg. de monte Carmelo Scapularis gratijs, beneficijs, &c.*

R. D. Berthelot, magnus Vicarius Abbatiæ Senonenſis S. Petri in Burgundia, in *Compendio mirabilium Sacri Scapularis, &c.*

Simon Martin Ord. Minimorum, in nona editione legendæ Sanctorum ad *diem 16. Maij, in vita S. SIMONIS Stockij.*

Ioannes Cheron, in Vindicijs privilegiati Scapularis.

Ioannes Baptista de Lezana Tom. 4. Annalium Ord. Carmelit. *ad an.* 1251. & in *lib. de Patronatu Mariano cap. 5. num.* 10. qui pro hac stabilienda veritate ibidem adducit Petrum Lucium in *Compendio Historico cap.* 12. Paulum Morigiam *de Origine Religion. cap* 30. Onuphrium Menescal. *Tom.* 1. *Concion. Sermone de B. M. V. de monte Carmelo.* Horatium Pancirolum, & alios.

Petrus Senerus, Germanus, Carthusiæ Moguntinæ alumnus, libro cui titulus, *MARIA Carmelitana.*

Theodorus Stratius, Italus, Generalis Ord. Carmelit. in sua *Institutione pro sui Ordinis alumnis*, maximè *cap.* 12.

Gregorius Nazianzenus à S. Basilio, in suo opere inscripto, *Adoptio Parthenia, &c.* Parisijs edita, maximè *parte 2. per 30. capita* & in alio opere nuncupato, *Instructio familiaris pro Confratribus Sodalitij B. V. M. de monte Carmelo*, præsertim *cap.* 4. 5. 6. *& seqq.*

Thomas Aquinas à S. Ioseph, Gallus, edidit *duplicem dissertationem Apologeticam pro Sacro Scapulari:* in quarum prima *Visionem S. SIMONI Stockio exhibitam donumq; Scapularis:* in altera *Bullam Sabbathinam* asserit ac propugnat. Scripsit præterea libros tres *de Scapulari, eximij DEIPARÆ Augustissimæ in Ordinem Carmelitarum amoris tessera.* libro primo disserit *de donis vestimentorum in amoris tesseram datis, ex omni litteratura sacra, Ecclesiastica, profana.* Altero *de varijs vestibus, quas DEIPARA suis amatoribus largita est.* Tertio *de dono Scapularis, varijsq; ejus circumstantijs.*

Philibertus Fezayus S. Theol. Doctor, ejusdemque in Universitate Borbonia Aquensi Decanus, & Professor Regius, in opere inscripto *Duplex Privilegium sacri Scapularis Ordinis ac Confraternitatis Gloriosissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo.*

Joannes Pintus de Victoria, ann. 1626. edidit Valentiæ in Hispania *Hierarchiam Carmelitanam* in cujus *Prima parte Tractat. 5. cap 3. & sermone de S. SIMONE Stock, &c.*

Theophilus Raynaudus Societ. JESV, lib. inscripto, *Scapulare Partheno-Carmeliticum illustratum & defensum, &c.* prodijt primùm Parisijs, deinde recusus fuit Venetijs, Coloniæ, & Lugduni.

Simon Starovolscius, Polonus, Vir maximæ eruditionis & eloquentiæ

quentiæ edidit Romæ: ann. 1646. Opuſculum, *Veſtis Mariana* inſcriptum, ſeu diſſertatio *ſacrum Reginæ cæli habitum* vulgò SCAPVLARE dictum, deſcribens.

Philippus Lopezius, Advocatus Romanus, publicavit Romæ anno 1647. *Compendium vitæ ſeraphicæ Virginis* THERESIÆ, *ex manuſcriptis Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ.* Domini Alphonſi Manzanedo Patriarchæ Hieroſolymitani, ſacræ Rotæ Decani, & Procuratoris Canonizationis ejuſdem Sanctæ, deſumptum. vide *cap.* 11.

Michaël de Calvo, Tertij Ord. S. Franciſci in *lib.* cui titulus, *Aſſumpta prædicabilia ſuper omnia Quadrageſimæ Evangelia*, Concione 39. pro Sabbatho Dominicæ Palmarum, *aſſumpto* 2. quod inſcripſit, *Maria Palma gloriosa montis Carmeli triumphat*, multis celebrat S. Scapulare.

Juſtinus Miechovienſis, Polonus, Ordinis Prædicator. *Tom.* 2 *ſuper Litanias Lauretanas, diſcurſ.* 232. *& diſc* 236.

Marchantius in opere *Vitis florigera* nuncupato, in ſermonibus *feſti Commemorationis ſolemnis B. M. V. de monte Carm.*

Daniel à S. Joſeph in ſermonibus Panegyricis *de Sanctis*, duobus diſſerit *de ſac. Scapulari.*

Georgius à Regina Angelorum, qui latinè edidit *Chriſtophori Avendagnij conciones*, quatuor ſubjunxit *de Mariano Scapulari.*

Antonius Olivan de Maldonato, Hiſpanus, opere Hiſpanicè inſcripto: *Govierno Moral del alma* Tom. 2. *diſcurſu* 22. copioſè diſſerit de Mariano Scapulari.

Mathias à S. Joanne in libro Gallicè inſcripto, *La varitable devotion du ſacre Scapulaire.*

Simon à Spiritu ſancto, Italus, in libello, cui titulus Italicè, *Theſoro di gratie, e previlegij del Scapulare di noſtra Signora del Carmine*, qui ſæpiùs intra paucos annos recuſus fuit, maximè Neapoli.

Philippus à Viſitatione in diverſis Opuſculis *de Deva Carmelitana*, & *ſacroſancto ejuſdem Scapulari.*

Irenæus à S. Jacobo, Gallus, in *Tractatu Theologico de ſingulari immaculatæ Virginis protectione*, ſectione 1. cap. 1. §. 8. & ſeqq.

Daniel à Virgine Maria Flandro-Belgij iteratis vicibus Provincialis, in *vinea Carmeli*, ſeu *Hiſtoria Eliani Ordinis Beatiſſ Virg.* MARIÆ *de monte Carmelo* part. 5. cap. 3. & ſeqq.

Hippolytus Marraccius, Congreg. Clericor. Regular. Matris Dei,

Italus, Lucensis, *Lib.* de Religiosis Marianis *in S. Simone Stock.*

Antonius Sanderus, in *Brabantia illustrata* agendo de *Carmelo Bruxellensi*: & in *Historia Gandavensi* lib. 5. cap. 7.

Petrus à Matre DEI, natione Gallus, in suo opere inscripto, *Cognitio & Amor sacratiss. Virginis MARIÆ* &c. lib. 2. cap. 9.

Joannes Silveira, Tom. 3. *Commentariorum in Evangelia* lib. 5. cap. 23. quæst. 27. *& Tom.* 4. lib. 6. cap. 51. q. 12.

Ludovicus à S. Theresia, in suo grandiori opere gallicè inscripto *La succession du S. Prophete Elie en l'ordre des Carmes, & en la Reforme de S. Therese.* Decimo tertio Ecclesiæ sæculo, cap. 166. & seqq.

Gabriel à S. Vincentio, Italus, in Romano missionum Seminario SS. Theolog. & Controversiarum Fidei Professor in suo opere *de Gratia, Tract.* 3. *de merito disp.* 19. *quæst.* 5. *num.* 67.

Segerus Pauli, natione Germanus, patriâ Colonienſis, in *Chronologia Vitæ S. SIMONIS Stockij ad ann.* 1251. extat apud *Danielem à Virg. Maria* in opere suprà laudato.

Henricus Jonghen, Ord. Minorum libro *de vera Fraternitate parte* 2. Ubi fusiùs differit de Mariani Scapularis gratijs, privilegijs ac prodigijs.

Antonius à Spiritu sancto, Lusitanus, in *Directorio Regularium tripartito, Tract.* 2. *disp.* 5. *sect.* 3. juxta novissimam auctioremque editionem Colonienſem.

Philippus à SS. Trinitate, Tom. 3. *Cursus Theolog. Tractat.* 3. *disput.* 6. *dub.* 6. & in Decore Carmeli *in vita S. SIMONIS Stock*, ac in *Theologia Carmelitana* Romæ edita *quæst.* 19. *&* 20. *art.* 3. & alibi.

Procopius Brandenburgensis, Germ. Ord. Minorum Capuc. celebris Ecclesiastes, in suo *Mariali parte* 2. *sermone* 47. *&* 48. totus est in exponenda sacri Scapularis traditione ac privilegijs.

Emmanuel à Jesu Maria, Italus, S. Cæsareæ Majest. Ecclesiastes, edidit Romæ Tomos aliquot in Regulam Ord. Carmelitarum, quos inscripsit *Fructus Carmeli* &c. vide *discurs.* 17. ubi expendit revelationem *S Simonis* & privilegia Marianæ vestis ipsi collatæ.

Tussanus Foucherus in suo *Fonte Eliæ* &c. *part.* 3. *cap.* 8.

Philippus Maria à S. Paulo, Italus, S. Theologiæ Romæ Professor *Lib.* 3. *suorum serm. seu discurs. sacrorum* Romæ editorum, *serm.* 3. *&* 4. *in festo Commemorationis solemnis B. M. V.* 16. *Julij.*

Michaël

Michaël Baptiſta de la Nuza, Hiſpanus, Regi Catholico à Conſilijs, & Protonotarius Regni Aragoniæ *Lib. 3. vitæ Ven. M. Franciſcæ à SS. Sacramento* Carmelit. Excalceatæ *cap.* 8. refert, qualiter ann. 1627. die 16. Julij DEIPARA Virgo huic *Franciſcæ* divinitùs revelaverit, ac in viſione demonſtraverit, quomodo eodem die ante aliquot ſæcula S. SIMONI *Stock* tradiderit ſacrum Scapulare, ac quam ſibi accepta ſit ſacra Carmelit. Religio.

Florentius Schilling, Germanus, Ord. Clericorum Regularium S. Pauli, in ſuis *Concionibus Panegyricis Deiparæ Virg. MARIÆ ſermone de ſacr. Scapulari.*

Franciſcus à Ieſu Maria, Tom. 2. *Commentarior. in* 12. *cap. Apocalypſ. B. Ioan.* ſect. 3.

Chriſtophorus Vdalricus Neuburger, Germ. in ſuis *Concionibus* Salisburgi editis, *Prima parte ſerm. de Aſſumpt. D. Virginis.*

Pro hac etiam tuenda, firmandaque veritate, ut alios non paucos tranſeamus, citari quoque queunt, *Alexius à Paſſione*, Italus, *Alphonſus à Matre Dei*, & *Alphonſus Navarrus*, Hiſpani; *Angelus de Blanch*, Sabaudus; *Angelus Bucellini*, & *Auguſtinus Guardi*, Itali; *Blaſius Hoitius* Polonus; *Franciſcus à Puero IESV* Belga, *Franciſcus à S. Angelo*, Hiſpanus; *Franciſcus Potelius*, *Gerardus Formau*, Gerardus Sayus, Toloſanus, *Guilielmus Schultingius*, Germanus, *Ioannes Peliſſe*, Gallus; *Iodocus ab Aſſche*, & *Martinus de Hooge*, Belgæ; *Michaël à Fonte*, Hiſpanus; *Nicolaus Aurificus*, Italus; *Petrus Collongues*, Gallus; atque *Seraphinus Georgius*, Italus: qui de ſacro Scapulari, aut ejus Sodalitio, quod in prædicta revelatione, ac Mariani habitus collatione fundatur, ſcripſère.

44. Authoritas vetuſtiſſimi codicis M. S. Bibliothecæ Vaticanæ aſſeritur: & quid ille doceat?

SOLET etiam adduci Codex manuſcriptus vetuſtiſſimus Bibliothecæ Vaticanæ, qui non inferiorem fidem, authoritatem ac comprobationem confert huic viſioni atque revelationi, quam præfatorum Authorum excuſa volumina, in hujus Codicis *priori parte S. ANGELI* Carmelitæ ac Martyris vita continetur à *Benedicto Gonono* inter vitas Patrum Occidentis *libro quarto* evulgata: in altera *S. SIMONIS Stockij* hiſtoria, in cujus contextu ſubjecta leguntur. *Sanctus SIMON glorioſam DEI Genetricem deprecabatur, ut Carmelitarum Ordinem ſpeciali ipſius Virginis tutelo inſignitum, aliquo ſingulari privilegio communiret, dicens quotidie voce devotiſſima in ſuis Orationibus*: Flos Carmeli, Vitis florigera,

rigera, Splendor cæli, Virgo puerpera, Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, Stella maris. *B. MARIA Virgo cum multitudine Angelorum ipsi B. Viro apparuit Scapulare Ordinis ipsius in manibus tenens & dixit*: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium: in hoc moriens æternum non patietur incendium, *&c.*

Extare hujusmodi manuscriptum in Vaticano certum esse potest cuilibet Vaticanum consulenti, *numero* 3813. illius meminêre *Michaël Munnoz* in Propugnaculo Eliæ *Lib.* 2. *tit.* 3 *cap* 1. *art* 2 *num.* 8. (licet Typographi incuriâ substitutus sit *num.* 1813. loco 3813.) *Gregorius Nazianzenus à S. Basilio* in Adoption. Parthenia *part.* 2 *cap.* 15. *num.* 2. Lezana *lib.* de Patronatu Mariano *Cap.* 5. *num.* 10. & alij complures.

Authoritatem manuscripto huic Codici conciliare videtur; *primò* gravissimorum Scriptorum exemplum, quorum alij è Vaticanis manuscriptis transcripsêre plurima: alij è Bibliothecis, & Archivis Monasteriorum, quorum exarabant historiam, quasi è fontibus libenter accepêre monumenta. Quo in genere nemini ignotus *Baronius* in Notis Martyrologij ad diem 22. Septemb. & alibi passim in Annalibus & Martyrologio: *Heribertus Rosweydus* & *Benedictus Gononus* in vitis Patrum, hic Occidentis, ille Orientis: *Andræas Saussayus* in Martyrologio Gallicano, *Arnoldus Pontacus* Episcopus Vazatensis ad Chronicon Eusebij Pamphyli &c. Qui omnes de re Ecclesiastica, sacraque Historia optimè meriti esse censentur.

Secundò manuscriptum illud, nemine refragante, authoritatem habere censetur, ac fidem mereri, quod probati alicujus Authoris obtinuerit suffragium: atqui tale est hoc, de quo agimus, Vaticanum; Ergo &c. Constat quippe anno 1635. ab Illustrissimo D. Horatio Justiniano visum, lectum, extractum, atque congregatis SS. Officij judicibus (quibus præerat Eminentissimus Cardinalis *Scaglia*, aderat & sacri Palatij Magister) fuisse expositum: qui omnes post accuratum, maturumque (ut in hoc solet adhibere Tribunali) examen, nihil repererunt, quo vel leviter manuscripti fides posset labefactari: imò suo decreto probarunt, atque Vaticanæ Bibliothecæ restituendum censuerunt. Mirum videtur viros sapientissimos atque oculatissimos minimè observasse, si liber hic spurius esset, aut intrusus, aut inanis fidei historiam contineret, &c: Vide præfatum Gregorium Nazianzenum *loco supra citato*: & Irenæum *sect.* 1. *§.* 2.

Nec

Nec semel duntaxat præfatus codex ad examen & lucem vocatus est. Nam id etiam factum fuisse anno 1601. tradit Gononus *lib.* 4. *in vita S. Angeli*, quæ eodem continetur volumine cum vita *Stockij*, & & ex eo permissa est in lucem exire. Codicem verò manuscriptum, quasi divinitùs fuisse repertum, scribit *Gononus*; qui etiam alterum de S. SIMONE nostro manuscriptum suggerit in *vitis PP. lib.* 4. ex Bibliotheca Illustrissimi D. Roberti Berthelot, Damasceni Antistitis depromptum: quod eandem *Stockij* visionem ijsdem penè refert verbis. Hujus Manuscripti authoritatem præclarè tuentur Irenæus *loco sup. cit.* & Raynaudus *part.* 2. *cap.* 1. *Scapularis Mariani illustrati &c.*

Animadvertendum verò hic est, omnes supra productos Authores non planè convenire in anno, quo B. SIMON à Beatiss. Virg. Scapulare accepit. Constans tamen sententia est, id contigisse ab anno 1245. ad an. 1251. & communiter ad ann. 1251. referunt. Hæc verò diversitas nullum historiæ, aut facto adferre debet præjudicium, alioqui è Fastis ableganda forent penè innumera. Historiographi quippè, ne quidem consentiunt de anno nativitatis Christi Domini, & alijs multis majoris momenti, quibus annotandis, elucidandisque majorem dedêre operam.

Discrepantia sententiarum in designando tempore collati Scapular. non obstat hactenus assertis.

CONTRA jam dicta objecit nuperus quidam Scriptor, & Marianæ vestis, privilegijque adversarius; quod nullus omnino B. SIMONI æqualis, aut suppar Scriptor, revelationis illius meminerit, atque ideo pro fabula habendam esse.

45. Nuperi Scriptoris contra jam dicta objectio, dissolvitur.

Verum si futilis hæc argumentandi ratio aliquid evinceret, arguenda etiam erit, ut de alijs similibus nihil dicam, fabulositatis historia vitæ *S. Alexij Romani*, quæ à Metaphraste, aliquot sæculis posteriore, primum evulgata est. Quomodo enim, inquit *loco citato* Raynaudus, in tam clara luce Christianitatis, viventibus eo tempore SS. *Augustino*, *Hieronymo*, *Paulino*, *Severo*, alijsque innumeris, nemo inventus esset, qui tantum DEI opus, tam insigne exemplum caleati sæculi, vel syllaba exarata attigisset, ante Metaphrastem tòt sæculis posteriorem? In ijs, quæ antiqua traditione per manus accepta, nulli unquam perito, ac probo in dubium sunt vocata, absurdè ad fidem faciendam exposcitur Scriptor synchronus.

Part. 2. *quæst.* 1.

Ad fidem Historiæ conciliandam non est semper

Et Launoyus hac in parte egregiam operam navavit Calvino, ad omnes traditiones non scriptas excutiendas Catholicis; quibus pro-

necessarius Scriptor synchronus.

inde ruinosum illud principium de necessitate Authoris synchroni, ad faciendam receptis jam olim sensibus fidem, nulla ratione ferendum est.

Sed demus adversario, quod postulat, quærendum videlicet Authorem synchronum, à quo apparitio SIMONI nostro objecta, sit scriptis commissa: non idcirco causa cademus. *Petrus* enim *Swuningtonus* S. SIMONIS individuus Comes, & actorum ejus scriptor, qui primus Burdigalæ B. SIMONE vita functo publicus fuit Theologiæ Professor, apparitionem, de qua agimus, literis mandavit. Habemus ergo Scriptorem synchronum, & quidem, ut supra quoque diximus, gravem ac fide dignum, à quo posteriores *Coventrienſis* & *Grossius* &c. è supra laudatis Authoribus eidem proximiores hauserunt.

Utrum unus ejusmodi sufficiat?

Et si unus adversario Author B. SIMONIS synchronus *Swuningtonus* non sufficiat, næ ille bellum se argutatorem monstrabit, qui hac una securi magnam partem lucubrationum de vitis Sanctorum exciderit, & nominatim, quæ ex *S. Hieronymo* habemus, alijs intacta: ut vitam *S. Pauli Thebæi*, *S. Hilarionis*, ac narrationem de *Malcho*, & de Muliere septies icta. Concidet item vita *S. Antonij*, à solo *S. Athanasio* descripta, & inter figmenta reputabitur, quod nemo sanus, aut sobrius dixerit.

46. Joannis Balæi Episcopi Hæretici de *Simone* nostro testimonium.

AUDITO Catholicorum testimonio, si hæreticum SIMONI nostro testimonium perhibentem audire non pigeat, *Joannis* Balæi Episcopi quondam Ossoriensis in Hibernia, at Lutheri postea hæresi infamis, non quæsitum, sed ultrò datum afferam testimonium. Sic autem habet num. 7. Centuria 4. *Quod ex solitudine DEI verbum sapiusculè annuntiaverit, ac plebis scelera taxaverit, sanctitatis ejus non leve argumentum est. Sed quod Mariam suis propitiam optaverit, à Spiritu Evangelicæ doctrinæ penitus ignaro prodijt.* Quid aliud exspectes ab Apostata, quam Blasphemias?

Eodem spiritu prius in doctrinam, vitæ sanctimoniam, Propheticum spiritum, miraculorum prodigia & divinas SIMONIS nostri viliones debachatus fuerat: varia tamen illi adscripta negare non potuit; inter quæ duas antiphonas, scilicet *Flos Carmeli.* & *Ave Stella Matutina* commemorat. Mortuum tandem affirmat, ac sepultum in Conventu Burdigalensi, subjungitque, *Eum postea, cum ex terra effoderetur corpus, Burdigalensis Archiepiscopus in sanctos Papisticos retulit.* Hujus vitam

vitam scripserunt Monaldus Rosarius, Vasco: Rolandus Bouchier, Hannonius: & Nicolaus Harlemensis, Batavus, Viri suis temporibus eruditi. Unde patet manifesta jam olim fuisse B. SIMONIS nostri miracula, visionem, revelationem, sanctitatem &c. cum ea hæreticus dissimilare non potuerit. Verùm Apostatæ non eget commendatione *Stockius*, cujus beatitudinem testatam faciunt *solemne Officium* in toto Carmelitarum Ordine, à plurimis jam annis, sub ritu duplici, authoritate Pontificia celebratum; ac longè antea in Conventu Burdigalensi: *miracula*, quibus ejusdem illustrantur Reliquiæ sacræ: *indulgentiæ*, quas ipsius ad tumulum accedentes, ex liberalitate Sedis Apostolicæ ducrantur, & alia similia.

Tria potissimum testatam faciunt *Simonis* nostri sanctitatē.

CAPUT VIII.

Alijs argumentis eadem revelatio, Marianiq; Scapularis donum illustantur ac roborantur.

QUEMADMODUM omnipotens DEUS, *mirabilis in Sanctis suis*, ad eorum declaranda merita, ac demonstrandam gloriam, quam plurima omni tempore, per universum terrarum Orbem mortalibus ad eorundem invocationem, aut mediantibus eorum sacris Reliquijs, vel rebus quoquo modo ad eos pertinentibus præstitit beneficia & patravit miracula & prodigia: ita etiam ad immensam Matris suæ manifestandam gloriam, & admirandam meritorum ejus magnitudinem atque efficaciam declarandam, per sacrum ejusdem SCAPULARE, & superioribus sæculis, & hoc nostro potissimum, innumera, per omnes Christiani Orbis Provincias operatur prodigia & mirabilia. Cum autem DEVS ad confirmationem alicujus veritatis patrat miraculum, attestatur loquenti ac proponenti eam veritatem; ut præclarè docent *SS. Augustinus & Gregorius*, habebimus proinde DEUM sanctitati nostri SCAPULARIS attestantem ac comprobantem, si ostenderimus adhibito Mariano SCAPULARI quædam miracula supra naturæ cursum edita. Esto verò non probarent formaliter ac directè (ut videtur velle Irenæus) hæc miracula re-

47. Cur Deus per SS. Virginem, aliosque Sanctos tot ac tanta operetur prodigia?

Lib. de civil. Dei. cap. 16. 27. moral. cap. 8.

la revelationem, de qua agimus, ac traditum à DEIPARA *Simoni* nostro SCAPULARE, sufficienter tamen ea probant ac confirmant, maximè prodigia illa, quæ per illud ipsum cælitùs collatum *Stockio SCAPVLARE* mox patrata sunt; cum non aliunde, quam ex hoc Mariano benevolentiæ fonte emanaverint. *Habet procul dubio*, inquit *Cyrillus* sanctus, *miraculum fidei conciliandæ vim, nec mentinam facultatem &c.*

Hom. 18. de festis Paschalibus ante med.

Innumera mediante Mariano Scapulari edita sunt, divinitùs miracula.

Quam multifaria verò, admiranda atque innumera signa & portenta divinitùs in favorem Mariani SCAPULARIS edita sint, abundè videre est in CARMELO meo THAUMATURGO *libro primo & secundo* ex diversis Authoribus ibidem productis, ideoque ab illorum recensione hic abstineo.

Refellitur objectio, quæ hic fieri posset, de fide miraculorum operatrice.

Sed recurret forsan quispiam in his signis, & prodigijs ad fidem miraculorum operatricem, ut Mariani SCAPULARIS eludat energiam. At fidem ego in illis pariter requiro, sive ea sit Theologica, sive alia. Verùm præter fidem plus conferre Sanctorum reliquias, aliaq; ejusmodi pietatis monumenta, quàm prophanum aliquid, aut indifferens, confitendum est. Illa ergo virtus, quæ communicata est Sanctorum reliquijs ob animarum sanctimoniam, eadem quoq; DEIPARÆ ex privilegio, Carmelo-Parthenio SCAPULARI inesse comprobatur. Quæ si in parthenio SCAPULARI, atque simul in *cæteris* displiceat, totaq; in fidem hominis refundatur virtus miraculi, assignetur ratio, cur ELISÆUS pallio ELIÆ potiùs usus fuerit, quàm proprio, vel baculo, Jordanis aquas dividendo? 4. *Reg.* 2. *c.* Cur in Euangelio fides non sanaverit mulierem, priusquam Christi Domini fimbriam attingeret vestimenti? Cur Christus physicum, ut plurimùm, in miraculis patrandis adhibuerit contactum? Cur ad Reliquiarum præsentiam dæmones contremiscant, compescantur, nec rarò expellantur? deniq; quod de SCAPULARI dicetur, hac in parte, circa cætera poterit retorqueri: adeò ut nec Cruces, nec res aliæ sacræ, ad miraculum conferant, sed sola fides, si vim habeat objectio.

48.

Confirmatur præfata veritas, seu revelatio antiquissima conti-

NONNVLLI Stockianæ visionis ac revelationis subsistentiam, seu veritatem probant ac confirmant, ex antiquissima, constantissimaq; de ea traditione: quæ à quadringentis & ampliùs annis, quasi de manu ad manum, ut loquitur Fezayus *privileg.* 1. *controvers.* 8. §. 10. ad nos pervenit. Hujus verò traditionis testes, omni exceptione majores, producunt omnes Ordinis Carmelitarum Historiographos, imò

imò Ordinis universi, communem & ab omnibus unanimi consensione receptum sensum. Nec solùm penes Ordinem Carmeli hæc existit, vigetq; traditio, verùm etiam penes Confraternitatis Mariani SCAPULARIS Sodales, quos inter, quot non Sanctissimi Pontifices, Eminentiss. ac Reverendiss. Præsules, Augustissimi Cæsares, Sereniss. mi Reges, Duces, Principes, &c. omniumq; statuum ac conditionum pientissimi ac sapientissimi viri numerantur? quos omnes ad hoc Parthenium Sodalitium potissimùm pertrahit S. SIMONI nostro divinitùs exhibita revelatio, ac promissio cum sacri Scapularis à DEIPAPA largitione. *Et quidem, si pro hac revelatione seu veritate* (utor verbis Casparis Sanchez è Societate JESU sacrarum literarum conspicui Doctoris, in non dissimili argumento prolatis) *nihil staret, præter traditionem, omni memoriâ superiorem, satis putaretur habere præsidij: quia communis conspirans q; consensio, nullo interrupta tempore, eam haberet authoritatem, quam nulla, nisi magna fides convellere, aut infirmare posset,* &c.

unaque traditione.

Penes quos hæc vigeat traditio, quantæque sit authoritatis?

In Expos. cap. 17. lib. 3. Reg.

THOMAS AQVINAS *à S. Ioseph* in sua *prima Dissertatione Apologetica*, pro Sodalitio sacri Scapularis *cap.* 1. probat hanc, de qua agimus, veritatem ex summa celebritate Confraternitatis Mariani SCAPULARIS (quam nos suprà *cap. 6. num. 39.* dum de famæ celebritate ageremus, obiter attigimus) subjecto argumento ac discursu.

49.

QVAM celebris est in Ecclesia Sacri SCAPULARIS pia Confraternitas, tam celebre est donum SCAPULARIS, quod SIMON *Stockius* totius Ordinis Carmelitarum Generalis Prior, Vir sanctissimus, ac DEIPARÆ augustissimæ obsequijs addictissimus, ab ea Ordinis sui Parente benignissima, sibi apparente, accepit, ea enim Virginis apparitione, eoque SCAPULARIS dono, tanquam primario fundamento, Confraternitas illa innititur. Eam porrò Confraternitatem SCAPULARIS toto Orbe Christiano esse celeberrimam nullo negotio demonstrari potest: ex aliquot principijs, quæ sunt certissima, & de quibus lis nulla potest moveri. Primùm enim certissimum est, antiquissimum Ordinem B. MARIÆ de monte CARMELO quatuor præcipuis Congregationibus distinctum esse: quarum *prima* est, quæ cæteris vetustior, earumq; veluti mater ac fundamentum agnosci debet, cujus Prior Generalis Romæ demoratur, & inter supremos Carmelitici Ordinis Superiores ac moderatores primum locum, nullo obnitente obtinet. *Secunda* Mantuana, quæ quanquam duabus posterio-

Ex summa celebritate Confraternitatis sacr. Scapularis idem probatur.

De his Congregationibus uberius agunt Daniël in *vi-*

Idea Carmeli. par. 7. & Philipp. à SS. Trinitate in Historia Ord. Carmelit. lib. 6. & lib. 7. c. 10. & lib. 8. c. 3. & alij.

sterioribus sit antiquior, ijs tamen Monasteriorum numero cedit; quippe quæ extra Italiam non diffunditur. *Tertia* Hispanica Carmelitarum Discalceatorum, quæ Hispaniarum Regna, & Occidentales Indias complectitur, habetq; Priorem Generalem in Hispania commorantem. *Quarta* deniq; eorundem Carmelitarum Discalceatorum Italica Congregatio, quæ in Italia quinq; provincias, in Gallijs tres, in Germania unam, in Belgio duas, in Comitatu Burgundiæ unam, in Sabaudia unam, in Polonia unam, in Hibernia deniq; unam habet, ac præterea in Perside, India Orientali, atque etiam in Oriente Cœnobia possidet, nunc pluribus, nunc paucioribus ascetis instructa, ac præcipuè in ipso CARMELO monte, qui totius Ordinis caput & Seminarium fuit, cujus montis, Christianissimi Regis beneficio, ab injustis possessoribus erepti, qui postremæ hujus Congregationis Præpositus Generalis est, Prior quoque diplomate Pontificio nuncupatur: Quæ cùm sint certissima, negari non potest, quin fons ille ELIÆ (sic enim Ordinem, cujus ascetæ juxta fontem ELIÆ in monte CARMELO morabantur, lubet appellare;) fons (inquam) initiò parvus creverit, non solùm in fluvium magnum, sed & in fluvios, instarq; fontis illius ascendentis de medio Paradisi, atque in quatuor capita divisi, quatuor è Congregationibus, quasi totidem flumin*ibus*, per universum Orbem Christianum sese diffuderit, in quo supra 800. ejus Ordinis Monasteria possunt numerari.

Quis sit hoc tempore montis Carmeli Prior?

Quàm sint multiplicatæ per universum orbem Mariani Scapularis Confraternitates?

Deinde certissimum est Confraternitatem Sacri SCAPULARIS in omnibus eorum Monasteriorum Ecclesijs, Summorum Pontificum authoritate, nutuque, & concessione Episcoporum, esse institutam, esseq; proinde quot illius Ordinis Cœnobia, tot Sodalitates, quibus Fideles magno numero sunt adscripti. Certissimum denique est, haud ijs tot Cœnobiorum limitibus definitam esse ejus Confraternitatis institutionem, etenim in varijs Orbis Christiani locis, in quibus Carmelitæ Cœnobia nō habent, plurimæ occurrunt non solùm Ordinum Religiosorum, sed & Clericorum sæcularium Ecclesiæ, in quibus illa Confraternitas, annuentibus Ordinis Prælatis, quibus eam facultatem summi Ecclesiæ Pastores concesserunt, instituta est; quo fit, ut absque ulla hyperbole pronuntiari possit, in Orbe Christiano, nullum esse Regnum, nullam Provinciam, vixq; ullam alicujus nominis Civitatem, in qua Confraternitas SCAPULARIS non sit instituta, & innumeros

numeros omnis ætatis, sexûs, conditionis, atque dignitatis Fideles illi adscriptos esse, & porrò quotidie illi adscribi, qui quotannis apparitionem DEIPARÆ, donumq; SCAPULARIS, quibus (ut dictum est) Confraternitas innititur, festo solemnissimo commemorant, mensibusq; anni omnibus consuetis Confraternitatis exercitijs vacant; ac denique diebus singulis SCAPULARIS gestatione, & præscriptarum precum recitatione, ejusdem obligationibus satisfaciunt. Ea porrò principia cùm sint indubitata, neque à quoquam, quantumvis protervo, possint negari, vel infans viderit, quid ex illis consequatur, nempe Confraternitatem, & quæ illius fundamentum est, factam B. SIMONI Stockio DEIPARÆ apparitionem rem esse in Ecclesia celeberrimam, & à Fidelibus toto orbe frequentatam.] Hactenus ille.

50. Idipsum confirmatur exemplo plurimorum Sanctorũ.

ALII denique exemplo aliorum Sanctorum, insignium DEIPARÆ cultorum, confirmare nituntur donum sacri Scapularis SIMONI nostro cœlitùs concessum, quos munificentissima Cœlorum Regina similibus favoribus dignata fuit. Sanctis quippe *Ildephonso* Toletano, *Bonito* Avernensi, *Amato* Senonensi, *Thomæ* Cantuariensi, Episcopis, casulam sui in illos amoris tesseram donasse, & ejusdem Cantuariensis Antistitis cilicinam vestem detritam seu dissutam suis manibus resarcisse perhibetur. B. *Alberico* secundo Cistertij Abbati Angelicis spiritibus comitata candidam cucullam capiti imposuit: uti refert, in *Chronico Mariano ad ann.* 1109. Benedictus Gononus. qui etiã *ad ann.* 1125. scribit *S. Norbertum* eximium DEIPARÆ cultorem, qui se suumq; Ordinem ejusdem tutelæ commisit, candidum Ordinis sui habitum Angelici candoris symbolum accepisse: uti etiam testatur Miræus in *Chronico Ordinis Præmonstratensis.* B. *Franco* Senensi Ordinis nostri, & B. *Reginaldo* Ordinis Prædicatorum alumno, vestem suæ Religionis DEIPARAM demonstrasse referunt, imò *Scapulare* divinitùs datum *Ordini SS. Trinitatis*, ejusdem Ordinis recensent monumenta.

Vestes multis Sãctis à Deipara donatæ aut monstratæ.

Licet autem hæ vestes à SS. Virgine divinitùs concessæ, in hoc conveniant cum sacro SCAPULARI nostro, quod non è terra, sed è cælo, non hominum Angelorumvé munificentiâ, aut manibus, sed puriſſimis, ijsdemq; sacratissimis Virginis DEIPARÆ, Cœlorum Imperatricis manibus delatæ ac liberalissimè donatæ fuerint, aliquod nihilominùs discrimen inter has & illud intercedit. Neque enim illæ, ut SCAPULARE nostrum, tot à DEIPARA, imò & Christo ipso

Discrimen inter illas & Scapulare Carmeliticum.

Servà-

Servatore nostro, ejusq; in terris Vicario, privilegiorum, gratiarum, atque indulgentiarum prærogativis insignitæ fuerunt, uti fusius in sequentibus, & toto hoc Opere demonstrabimus.

Privilegiorũ Scapularis Carmelitici omnes Fideles frui queunt.

Præterea SCAPULARE S. SIMONI nostro traditum, non illi soli, aut Ordini suo, sed cunctis Christi fidelibus illud gestare volentibus, concessum fuit, uti non obscurè insinuant ipsius misericordissimæ Virginis SCAPULARE tradentis hæc verba: *In hoc moriens æternum non patietur incendium.* Verùm clarissimè id exprimunt illa *Bullæ Sabbathinæ* (de qua infrà *parte* 2.) ab eadem DEIPARA ad *Ioannem* Pontificem prolata verba: *Si alij devotionis causâ in sanctam ingrediantur Religionem, sancti HABITVS signum ferentes, appellantes se Confratres & Consorores mei Ordinis prænominati, liberentur* &c. Vbi gratiam promissam Religiosis Ordinis sui, pollicetur etiam alijs quibuscunq; legitimè ac ritè sacrum SCAPULARE gerentibus. Quod autem Marianum SCAPULARE non tantùm Ordinis Carmeli Religiosis, verùm etiam ejus Confratribus sit proprium, probat P. Cyprianus à S. MARIA *primâ parte* sui lib. de Confratern. *cap. 6. & 7.*

51.

Prærogativæ sacri Scapularis præ reliquis Carmelitarum vestimentis.

SCAPULARIS denique supra reliquas Carmelitarum vestes, prærogativæ, non vulgarem ei insitam esse dignitatem manifestant. Enimverò cum tunica, zona pellicea ac pallium, quibus amiciuntur, in ELIA, vate sanctissimo, Ordinis Protoparente commendata fuerint 4. *Reg.* nec SCAPULARIS ibi sit mentio: Unde, quæso, tanta SCAPULARIS eminentia, ut jam ab annis plurimis *habitus Ordinis* dicatur? Unde contigit, ut tanto in pretio habeatur à Professis, cum melote, tanquam magis propria Parentis hæreditas, & ELIÆ miraculis celebris videatur præferenda? Cur summi Pontifices indulgentias & privilegia SCAPULARI concesserunt, non verò cæteris Carmelitarum indumentis, quæ singularem, ut diximus, in ELIA laudem *sect. 1. §. 8.* meruêre? Ea sanè satis evincunt, divinam, inquit Irenæus, SCAPULARI inesse virtutem; cujus exordium non alio ex fonte fluxisse, quàm ex præfato Virginis sanctissimæ beneficio Authores commemorant. Quam in sententiam inclinat *Petrus Swaningtonus* in sua *Epistola*, dum ait, *Proceres desiderasse mori in habitu sancto Ordinis*; nec enim ea usquam appellatione ornatum antea fuisse SCAPULARE legimus. Idem censuêre Purpurati Patres in laudatis suprà *Officij Commemor. solemnis* lectionibus: *ut cælesti hac veste Ordo dignosceretur*, &c. Ergo ab eo tempore

Vide Lezanam *lib. de Patronatu Mariano c. 9. num. 2. & seq.* ubi

tempore Ordo Carmeli singularem discriminis notam à SCAPULARI accepit, quam ab eodem pridem non receperat. Hoc argumentum etsi clarè & expressè traditum à DEIPARA Virgine SCAPULARE non concludat; gravissimam tamen suspicionem ingenerat, cujus momentum evidentiori argumento vix impar habeatur.

ex pluribus antiquis ostendit *Scapulare* esse signum Ordinis à temporib⁹ *Simonis* Stockij.

Aliam Parthenij Scapularis prærogativam, subjecto commendat discursu R.P. Zehentner Soc. Jesu in *Promontorio malæ spei lib. 3. §. 13.* [Meminerunt (inquit) sacræ litteræ pacti ac fœderis, quod olim DEUS pepegit cum Noë, sublato per cataclismum humano genere, usque ad pauculas tantum animas. Nam veluti pœnitens facti, & tam rigidæ justitiæ ita ad Noë, ejusque superstitem familiam pronuntiavit. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvij, neq; erit deinceps diluvium dissipans terram. Dixitq; DEVS: hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: cumq; obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & non erunt aquæ diluvij ad delendam universam carnem. Eritq; arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter DEVM, & omnem animam viventem universæ carnis, quæ est super terram.* Licet hic mihi sacrum Scapulare cum arcu cœlesti, & pulchra Iride componere. Nam tametsi ipsum in se, vi sua nativa, nihil habeat efficaciæ, ac virtutis activæ in hominem; est tamen nihilominus signum quoddam fœderis initi, tacitique pacti, quo Deipara quasi obligat liberalitatem suam ijs omnibus, qui singulari erga illam pietate ducti, , ejus SCAPULARE gestant. Et quoniam pietate materna, plurimum apud Filium suum pollet, istis sibi devotis vernulis majores & abundatiores gratias impetrat, quam alijs communiter hominibus; ut si eas acceptare velint, breve salutis suæ compendium habeant: facileque possint, tam copiosis muniti auxilijs, cælos lucrari, & inferos evadere. Quod si repudiaverint hos DEI, suæque Matris favores, manuque ingrata excusserint compendiosa beatitudinis adipiscendæ media immersi vitiorum illecebris, profecto non obstante SCAPULARI peribunt; sed sua culpa, & maxima culpa, quia ex temporali in æternam transibit.] Hactenus ille; verum de hoc inferiùs nos agemus uberiùs.

Gen. 9. e.

Sicut arcus in nubibus signũ Deo est, facti olim fœderis, de cavendo diluvio secundo: ita S. Scapulare est signũ quoddam taciti pacti, quo Deipara quasi obligavit liberalitatem suam ijs, qui ex pietate Scapulare gestant.

CAPUT IX.

Ostenditur qualis fuerit hæc revelatio Beato SIMONI nostro exhibita.

52. Fuit hæc revelatio divina: & quâ ratione talis dicatur?

SUPPONO hanc revelationem fuisse divinam. Voco hoc loco *divinam revelationem* non proprie ab objecto, non enim seipsum DEUS exhibuit, sed DEIPARA Virgo, uti ex præcedentibus patet. *Divinam* itaque vocamus, eo quod DEO efficiente contigit, & per apparitionem, seu quasi ministerium sanctissimæ Virginis mysterium hoc revelatum fuit; id eum modum quo revelatio, quæ fit per Angelos, nunc quidem ipsum DEUM, nunc Christum hominem, nunc Beatissimam Virginem, nunc alium aliquem Sanctum, aut Sanctam cælestis Patriæ; nunc seipsos in specie humana orantibus exhibentes, *divina* dicitur, & non Angelica; quia, ut inquit, S. Thomas, *operatio instrumenti attribuitur principali agenti, in cujus virtute instrumentum agit: & quia minister est, sicut instrumentum, idcirco prophetica revelatio, quæ fit ministerio Angelorum dicitur esse divina.*

2.2. q. 172. a. 2. ad 3.

Hæc suppositio non indiget probatione: sequitur enim *ex dictis* in præcedentibus & dicendis infra. Quod etiam omnes illas conditiones, quas Theologi unanimi consensu assignant, ad discernendas veras à fasis visionibus, ac revelationibus, & divinas ab illusionibus maligni, aut proprij spiritus; & ut fidem humanam saltem, prudentemque assensum mereantur, satis ex dicendis mox constabit. *Quatuor* potissimum veluti cardinales conditiones ac regulas seu notas dignoscendi divinas revelationes assignatas reperio apud SS. Thomam, Bonaventuram, cæterosque Theologos Scholasticos ac Mysticos. *Prima* est: quod visio seu revelatio sit conformis fidei regulis. *Secunda*, quod sit de re utili, pia ac bona, aut in alicujus commodum ordinata. *Tertia*, quod persona, cui fit, sit probatæ virtutis. *Quarta*, quod sit à summo Pontifice, præmisso virorum doctorum examine ac consilio approbata. SIMONIS nostri revelationem conformem esse fidei regulis atque principijs, & de re pia, utilique constat ex dictis in superioribus Capitibus, magisque constabit ex dicendis insequentibus. S. SIMONEM, cui hæc facta revelatio, probatæ fuisse

Referuntur quatuor cõditiones seu regulæ ad dignoscendas, discernendasq; divinas revelationes.

Illæ omnes reperiuntur in re-

fuisse virtutis ac sanctimoniæ, patet abundè ex dictis *Capite quinto.* Quomodo verò summus Pontifex non solùm præmisso Eruditissimorum virorum, verum etiam Purpuratorum Patrum maturo examine & consilio hanc nostram revelationem adprobaverit demonstravimus supra *Capite sexto.*

Revelatione S. Simonis nostri.

Nunc itaque ut ostendamus, qualis & in quo genere revelationum, seu visionum sit, aut fuerit, distinguenda est persona, quæ apparuit à mysterio ipso revelato. Et quidem de persona, DEIPARA scilicet Virgine opinor, quod corporaliter apparuerit. Pro cujus distincta faciliorique declaratione recolendum est ex S. Augustino *lib. 12. super Genes. ad litter.* & S. Thoma 22. *q.* 174. *art.* 1. *ad* 3. triplex esse genus visionum, seu apparitionum, scilicet corporale, spirituale seu imaginarium, & intellectuale. *Primum* appellatur *corporale*, quia inquit S. Augustinus, per corpus percipitur, & corporeis sensibus exhibetur. Secundum *spiritale* seu *imaginarium*, quia in imaginativa rerum imagines cernuntur, vel quippiam aliud significatur. Tertium verò *intellectuale* ab intellectu, quia per eum mysteriorum veritas & altitudo percipitur.

Triplex genus visionum seu apparitionum assignatur ac declaratur.

Præterea loquendo de primo visionum genere, nempe corporali, multis modis fieri potest, juxta varia Doctorum placita.

Exponitur triplex modus, quo corporalis apparitio seu visio fieri potest. 3. *p.* 9 57. *a.* 6. *ad* 3.

Primò absque reali existentia corporis glorioſi in terris per solam repræsentationem extrinsecam, & visibilem in aliquo corpore aëreo, ad eum modum, quo olim ante incarnationem solebat VERBUM divinum juxta multorum opinionem in specie humana apparere.

Secundò per realem & visibilem existentiam ipsiusmet corporis glorioſi, uti de Christo docet S. Thomas, *ex aliqua dispensatione quandoq; corporaliter ad terram* descendente.

Tertiò per veram quidem & realem præsentiam corporis beati, sed reproducti, & simul in duobus locis existenti, *modo*, ut ajunt, *quantitativo & circumscriptivo*, quem nihilominus modum improbat sanctus Doctor. 3. *p.* 9. 76. *& alibi.*

His itaque positis existimo visionem, seu apparitionem, de qua agimus, esse statuendam in primo genere apparitionum; ita ut beatus SIMON noster corporeis oculis viderit DEIPARAM sibi præsentem corporali, exteriusque sensibili præsentia. Quod *primò* fundari potest in ipsa locutione DEIPARÆ, quæ sine dubio sensibilis fuit.

Declaratur in quo genere fuerit visio S. Simonis.

Secundò, & potissimum in collatione & receptione sacri Scapularis; quæ partim realem motum indicat; partim rem veram & realem collatam, & receptam arguit & manifestat.

Deinde hæc est sententia omnium Scriptorum tam Domesticorum quam Extraneorũ, qui unanimiter asserunt B. Virginem MARIAM propriis manibus ipsum sacrum SCAPULARE contulisse B. SIMONI nostro, quod utique absque reali & corporali præsentia fieri non potuit. An autem hæc Virginis apparitio corporalis contigerit in proprio corpore glorioso, aliove modo, non est hujus loci, sed Scholis relinquendum. Sufficiat innuisse modos, quibus fieri potuit.

53. Quæ necessaria sint, ad percipiendum mysteriũ per visionem revelatum?

JAM verò quantum ad ipsum mysterium per hanc apparitionem revelatum, sciendum est *primò* in visionibus, seu apparitionibus non semper mentem illuminari ad ipsum mysterium percipiendum & intelligendum; cujus ratio est, quia sicut ad intelligendum naturaliter duo sunt necessaria, lumen naturale ex parte intelligentis, & species seu similitudo objecti ex parte rei intellectæ; ita ad intelligendum supernaturaliter duo requiruntur, lumen supernaturale & objecti species. Unde quandoque deficiente hoc lumine, ejusmodi apparitiones seu visiones sunt imperfectæ in genere revelationum supernaturalium; uti docet S. Thomas: *Si cui fiat*, inquit, *divinitùs repræsentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias, ut Pharaoni & Nabuchodonosor, aut etiam per similitudines corporales, ut Balthasar, non est talis censendus Propheta, nisi illuminetur ejus mens ad judicandum; sed talis apparitio est quiddam imperfectum, in genere Prophetiæ.* Ita S. Doctor. Sub nomine *Prophetiæ* revelationes divinas ad cognitionem attinentes comprehendens, uti declarat *q.* 171. *loc. citat.*

2.2. *q.* 173. *a.* 2. Vide Joan. à JESV-MARIA *Tom.* 2. in Schola de oratione. *Tract. de Visionibus & revelationib⁹.* & Tract. *de discretiõ. spirituum. loco cit. a.* 4.

Sciendum est *secundò*, quod quando lumen intelligibile divinitùs datur ad cognoscendum ea, quæ per visiones seu apparitiones revelantur, hujusmodi lumen esse multiplex; Ita ut alij plura, alij pauciora pro qualitate luminis supernaturalis attingant, quod hoc declarat modo S. Doctor: *Dicendum*, inquit, *quod in revelatione Prophetica movetur mens Prophetæ, non solum ad aliquid apprehendendum, sed etiam ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum, & quandoq; quidem ad omnia tria simul; quandoq; autem ad duo horum; quandoq; verò ad unum tantum. Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu. Nam cum mens Prophetæ movetur ad aliquid æstimandum, vel apprehendendum; quandoq; quidem*

Quot modis mens Prophetæ moveatur in revela-

dem inducitur ad hoc quod solum apprehendat rem illam : quandoq; autem ulterius ad hoc, ut cognoscat, hæc sibi esse divinitùs revelata. Similiter etiam quandoq; movetur mens Prophetæ ad aliquid loquendum : ita quod intelligat id quod per hæc verba Spiritus sanctus intendit. Sicut David, qui dicebat : 2. Regum 23. Spiritus Domini locutus est per me. Quandoq; autem ille, cujus mens movetur ad aliqua verba exprimenda, non intelligit, quid Spiritus sanctus per hæc verba intendat : Sicut patet de Caipha Joann. 11. *Similiter etiam cum Spiritus sanctus movet mentem alicuius ad aliquid faciendum, quandoq; quidem intelligit, quid hoc significet, sicut patet de Hieremia, qui abscondit lumbare in Euphrate, ut habetur* Hiere. 13. *quandoq; verò non intelligit, sicut milites dividentes vestimenta Christi, non intelligebant, quid significaret. Cum ergo aliquis cognoscit se moveri à Spiritu sancto ad aliquid æstimandum vel significandum, verbo vel facto : hoc propriè ad Prophetiam pertinet ; cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta Prophetia, sed quidam instinctus Propheticus.* Ex hac doctrina facilè deduci poterit, qualiter hoc mysterium, de quo agimus, B. SIMON noster attigerit.

tione Prophetica?

Nota præclaram circa hæc doctrinam S. Thomæ.

PRIMO enim non solùm mente percepit, quod quicunque gestaret habitum nostrum, seu Marianum Scapulare à malis ingruentibus protegeretur, & potissimum à pœnis inferni, verum etiam interius certitudinem habuit se moveri à Spiritu sancto ad hoc ita apprehendendum, & mente percipiendum. Ratio hujus est, tum quia hoc mysterium per expressam revelationem ipsi innotuit ; quæ autem sic alicui innotescunt, pro certo habetur, quod hæc sint sibi divinitùs revelata. Secus verò dicendum de ijs, quæ per instinctum occultum cognoscuntur ; *aliquando* enim *sic se habet, ut non plenè discernere possit, utrum hæc cogitaverit aliquo instinctu divino, vel per spiritum propriũ,* quæ omnia 2. 2 q. 171. a. 5. optimè explicat S. Doctor. Tum, quia incredibile illud, & insolitum gaudium, & spiritualis consolatio ac securitas animi, quâ affectus remansit ex hac apparitione, uti tradunt vitæ ejus Scriptores, certissimum ei fuit sancti Spiritus ac *præsentis Majestatis indicium.* quod signum esse veræ ac divinæ revelationis, atque apparitionis tradit ex vita S. Antonij S. Thomus : de quo etiam consuli poterit S. M. N. Theresia, apud Ven. P. Joannem à JESU MARIA in *Theologia mystica Cap.* 8. Tom. 2. operum ejus.

Adplicatur tradita S. Thomæ doctrina revelationi S. *Simonis*, & fusiùs explanatur & confirmatur.

3. *p. q.* 30. *a.* 3. *ad* 3.

Præterea non tantum mota fuit mens B. Patris nostri à Spiritu sancto ad apprehendendum hoc mysterium, eo modo quo diximus,

sed etiam ad ipsum loquendum & propalandum, non quomodocunque, sed ita, ut intellexerit id, quod in hoc mysterio Spiritus sanctus intendebat, etiam quoad modum ipsum, & quasi formaliter, nedum quoad substantiam dicti mysterij. Singula declaremus.

Postquam sanctissima Virgo, uti *Capite* 5. retulimus, apparuisset B. SIMONI, eique sacrum SCAPULARE contulisset, addita promissione vitæ æternæ pro omnibus, quid illud ritè gestarent, & in eo morerentur; illico B. Pater convocatis Religiosis sacram illam ostendit vestem piissimæ Matris, eisque retulit cuncta sibi ab eadem dicta ac revelata; quæ quidem ad substantiam hujus mysterij pertinent. Verum præter hæc modū etiā attigit B. Pater, quo hæc revelatio suum effectum sortiretur: ideſt, intellexit modum, quo illi, qui sacrum SCAPULARE gestabunt, pœnas inferni evadent, vitamq; æternam consequentur; & hoc ad modum & quasi formalitatem hujus mysterij reducimus.

Tertiò, ipsamet verba hujus revelationis ab ipso B. Patre excepta, hoc ipsum indicant. *Dilectissime Fili*, inquit, *recipe hoc tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis signum* &c. Quod ita declaratur. Hæc Fraternitas, uti supradictum fuit, fundatur in amore, cujus actus exterior, seu proprius effectus est beneficentia; sicut ergo *hæc Fraternitas* fundatur in amore speciali SS. Virginis, *meæ Confraternitatis signum*: ita necesse est fundari in ejus singulari beneficentia, cum ei non desit facultas ad hunc actum exteriorem amoris. Quam rationem 2. 2. *quæst.* 31. *art.* 1. assignat Angelicus Doctor inquiens: *In actu dilectionis includitur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amico. Voluntas autem est effectiva eorum, quæ vult, si facultas adsit, & ideò ex consequenti benefacere amico ex actu dilectionis consequitur.*

Deus cuncta, quæ ad instructionem fidelis populi necessaria sunt, revelat Prophetis.

Accedit postremò ad hoc probandum alia ejusdem S. Thomæ doctrina, qui agens de Prophetia docet, quòd in revelationibus Dominus, omnia, quæ sunt necessaria ad instructionem fidelis populi, revelet Prophetis, & quòd Propheticæ revelationi nihil desit eorum, ad quæ Prophetia ordinatur, *&c.*

Ex qua doctrina sic arguitur. In hac revelatione ad instructionem nostram necessaria erat cognitio ipsius modi, seu rationis sub qua hæc revelatio verificatur: Ergo Spiritus S. eam revelavit SIMONI nostro. Consequentia patet. Antecedens probatur. Nam

aliàs

aliàs posſemus in dubium revocare veritatem hujus propoſitionis, non ſine gravi præjudicio tanti beneficij divinitùs collati, prout de facto faciunt nonnulli, hunc ipſum modum ignorantes, vel circa illum hallucinantes, Ergo *&c.*

Similiter idem convinci videtur, ex eo quod, ut tradit S. Thomas, divinæ revelationi nihil deſit eorum, ad quæ ordinatur. Enimverò cùm hæc revelatio ordinetur ad ſpecialem tutelam & protectionem B. Virginis adſtruendam, & ſtabiliendam, & per cognitionem dicti modi, ſeu rationis id ipſum maximè habeatur, ſequitur ad hanc revelationem deſiderari cognitionem hujus modi, *&c.*

Divinæ revelationi nihil deeſt eorum, ad quæ ordinatur.

Tandem in hac revelatione non tantùm B. Pater hoc myſterium mente apprehendit, & verbo denuntiavit; verùm etiam ipſo facto publicavit: ſtatim enim ac ſacrum hunc habitum ſeu SCAPULARE à Diva Virgine accepit, ut ſuprà relatum fuit, cæpit illud Chriſti Fidelibus diſtribuere, ac Confraternitatem inſtituere, ſeu aliàs inſtitutam ſub novo hoc privilegio, in his verbis contento, *In quo quis moriens æternum non patietur incendium*, propagare non ſolùm in Anglia, ubi degebat, verùm & in Gallia, Belgio, alijsq; Europæ partibus.

Applicantur hæc revelationi B. *Simonis* noſtri.

Quod autem per hanc revelationem & inſtinctum ſpecialem Spiritûs ſancti illud egerit, patet imprimis ex verbis ipſius revelationis paulò ante allatis: *meæ Confraternitatis ſignum, &c.* quæ verba ipſam Confraternitatem Ordinis exprimunt, & de Chriſti Fidelibus illi adſcriptis ſunt intelligenda, uti clarè etiam habetur ex revelatione facta JOANNI XXII. Papæ hujus nominis, de qua infrà; ubi Sanctiſſima Virgo per ſuam Confraternitatem diſtinctè inſinuat, intelligi Chriſti Fideles, qui ad Ordinis participationem admittuntur.

Deinde probatur hoc idem ex doctrina S. Thomæ, 2. 2. q. 174. a. 4. nam inter ea, quæ divinam & excellentem revelationem arguunt, eſt confirmatio per miracula; & generatim loquendo *miracula fiunt ad manifeſtandum aliquid ſupernaturale, & ſecundùm hoc*, inquit S. Doctor, *communiter dicuntur ſigna.* Cùm ergo ferè innumera, & maximè prodigioſa ac probata, medio ſacro hoc habitu DEIPARA Virgo miracula Chriſti Fidelibus exhibuerit, & mox eo ipſo tempore, quo B. Pater cæpit illum poſt habitam hanc revelationem diſtribuere, ſicut complures tradunt Scriptores, inter quos *Ioannes Paleonydorus*, qui quàmplurimos per hunc habitum à diverſis languoribus, è veſtigiò,

loc. cit. q. 178. a. 1. ad 3.

Miracula revelationem ſubſequentia arguunt divinã fuiſ-

ubi

se atq; excellentem.

ubi à B. Patre populo fuit distributus, esse curatos scribit. Sanè argumentum est evidens hîc adesse aliquid supernaturale, & nonnisi per instinctum divinum, seu radium cæleſtem, qui B. Patri in hac revelatione affulsit, dictum sacrum SCAPULARE ab eodem esse distributum; quam rationem à miraculis petitam sufficiat hîc innuisse. nam infrà de his in *sexta Parte* agendum erit.

Quo signo dignoscatur divina revelatio & afflatus? 2.2. q.172. a.6. ad 1.

Demum signum non infimum ad discernendum sine errore, an aliquid ex divino procedat afflatu, est ipsa rei veritas absque ulla falsitatis admixtione. Et licet quandoq; dæmones, vel eis medijs aliquando nonnulli homines verum enuntient, *etiam illud verum*, inquit Angelicus Doctor, *à Spiritu sancto est.* Hinc facilè erit colligere intentum nostrum. Etenim traditio sacri SCAPULARIS cum adjuncta promissione à DEIPARA facta primitùs publicata per sanctum Virum populo Christiano vera est, & secundùm omnia, quæ continet nullam habet falsitatis admixtionem: Ergo ex divino fuit afflatu, non quomodocunque, sed per expressam revelationem, de qua agimus. Quòd hæc promissio in traditione facta SCAPULARIS vera sit, & sine falsitatis admixtione, breviter quidem hîc insinuabimus, quia infrà proprium locum habet.

Ex tradita suprà doctrina, diversa deducuntur corollaria.

Duo potissimùm continet hæc promissio, ex vi hujus revelationis: PRIMVM, quòd *Moriens in hoc SCAPVLARI æternum non patietur incendium.* SECVNDVM, quod etiam in hac vita, hoc ipsum SCAPULARE sit *salus in periculis*, &c. Utrumq; verum est, & sine ulla falsitatis admixtione, Ergo *&c.* hæc omnia lucidenter patebunt à sequentibus.

54. Revelatio S. *Simonis* quoad omnia in illa contenta, fuit certissima. *Hom. 4. in Matt. To. 2.*

Ex dictis in hoc capite, deducitur *primò* hanc revelationem B. SIMONIS nostri maximam certitudinem eorum omnium, quæ per eam diximus fuisse revelata, inducere. Ratio hujus est, quia hæc revelatio fuit conjuncta cum visione corporali: *Quæ autem sunt oculis subjecta*, inquit 3.p. q.30. a.3. S. Doctor, *certiùs apprehendimus, quàm ea, quæ imaginamur. Vnde Chrysostomus dicit super Matthæum, quòd Angelus non in somnis, imò visibiliter Virgini adstitit; nam quia magnam valde revelationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei eventus visione solemni.*

Fuit excellens intra genus visionum corporalium, hanc revelationem alijs esse altiorem.

Deducitur *secundò*, intra genus visionum corporalium, hanc revelationem alijs esse altiorem. Ratio est, quia non solùm vidit B. SIMON noster res aliquas significativas veritatis, seu rerum corporearum

rearum similitudines, quæ ad significandam divinam aliquam veritatem adhibentur, quales erant similitudines, *spicarum*, quas vidit in somnis Pharao, & *virgam vigilantem*, quam vidit Hieremias *cap.* 1. sed vidit personam scilicet DEIPARAM Virginem sibi colloquentem & aliquid demonstrantem. *Ostenditur*, inquit, 2. 2 *q* 174 *a* 3. S. Thomas, *altior esse gradus prophetiæ, quando Propheta non solum videt signa verborum, vel factorum; sed etiam videt, vel in vigilando, vel in dormiendo aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem, quia per hoc ostenditur, quod mens Prophetæ magis appropinquet ad causam revelantem.* omnm corporalium.

Deducitur *tertiò*, hanc revelationem non tantum in genere visionum corporalium esse excellentem, verum absolutè & in omni genere. Ratio hujus est, quia B. Pater nedum corporaliter vidit sanctissimam Virginem, sed intellectualiter mysterium percepit. *Dicendum*, inquit S. Doctor, 3 *p. q* 30. *art.* 3. *ad* 1. loquens de Annunciatione B. Virginis: *quod intellectualis visio est potior, quam visio imaginaria, vel corporalis, si sit sola. Sed ipse Augustinus dicit, quod excellentior est Prophetia, quæ habet alteram tantum. Beata autem Virgo non solum percepit visionem corporalem, sed etiam intellectualem illuminationem: Unde talis apparitio nobilior fuit.* imò absolutè, & in omni genere.

Deducitur *quartò* & *ultimò* hanc revelationem intra genus visionum intellectualium non solum excellentem, sed omninò perfectam esse; cujus ratio est, quia cognovit B. Pater per hanc revelationem & substantiam ipsius mysterij, & modum ipsum, seu formalitatem, quam Spiritus sanctus intendebat: quod in ratione Prophetiæ seu revelationis perfectum est, ut præclarè docet Angelicus Doctor *loco sup. cit.* in verbis *ibid.* relatis. De hac quoque revelatione differens Thom. Saracenus *lib. sup. cit. Part.* 2. *informat.* 1. affirmat S. SIMONI illo ipso tempore, quo Parthenium SCAPULARE è sacratissimis DEIPARÆ V. manibus recepit, hæc quinque fuisse divinitùs revelata. I. Innumera hominum multitudo, qui per omnes Orbis partes Confraternitati B. MARIÆ de monte Carmelo erant adscribendi, & sacrum ejus SCAPULARE gestaturi. II. Copiosissima meritorum bonorumque operum messis hoc medio à Sodalibus Carmeloparthenijs colligenda. III. Cuncta eximiaque privilegia, gratiæ & indulgentiæ à Sede Apostolica huic sodalitio impertiendæ. IV. Innumera universaque prodigia ac miracula, hac veste, Marianaque in- Quænam præterea eo tempore B. Simoni cælitùs revelata fuerint?

 tercessione

tercessione mediante, unquam patranda. V. Admiranda divinaque subsidia, solatia, favores, quos in cunctis animæ ac corporis periculis, difficultatibus, tentationibus, afflictionibus, mortis maximè tempore, atque in purgatorij tormentis, mediâ hâc veste ac Mariana devotione Confratres fideles erant recepturi.

CAPUT X.

Primum Confraternitatis sacri Scapularis beneficium, illis DEIPARÆ verbis, in quo quis moriens æternum non patietur incendium, *comprehensum, expenditur, & in quo sensu hæc propositio verificetur exponitur.*

55. ALTIOREM merentur speculationem ac profundiorem exigunt indagationem verba illa, quibus in præfata revelatione sanctissima Virgo S. SIMONEM allocuta est: *in quo quis moriens æternum nō patietur incendium*; ne in illorū expositione ab orthodoxa ac communi Ecclesiæ, ac Sanctorum Doctrina quis deviet. Siniſtras & à veritate Privilegij dissonas nonnullorum interpretationes primùm proponemus ac discutiemus, ac deinde legitimum ac germanum eorundem verborum sensum trademus ac subjungemus.

Adducuntur siniſtræ quædam horum verborum interpretationes.

Paulus Zehentner in *Promontorio malæ spei* adducit siniſtram, imò temerariam, quæ à nonnullis in propriam perniciem adhiberi posset, expositionem his verbis: [Felices, & ter quaterque beatos, affirmabit aliquis omnes illos mortales, qui ex pio erga DEI Matrem affectu, ejus sibi SCAPULARE ad pectus, humerosque suspendunt, ab ejusdem Fratribus, Carmelitis acceptum; licet enim improbissimi sint, & homines patibularij, digni ob facinora non tantum laqueo, sed rotâ quoque & rogo, imò & inferis; perire tamen non possunt, neque misera alterius Orbis æternitate, cum damnatis puniri. Quin potius necesse est, ut per efficacissimam MARIÆ intercessionem, saltem ultimo vitæ articulo redeant ad pœnitentis animi frugem, DEIque sui seram quidem, sed sinceram amicitiam. Ita e-

Lib. 3. §. 13. *num.* 16. & 17.

dixisse

dixisse gloriosam Virginem, SCAPULARE, quod communicavit S. SIMONI, jam sæpiùs repetito, *signum esse salutis, fœdus pacis & pacti sempiterni, in quo quis moriens non æternum patietur incendium*: neq; amplius pollicitationem suam infringere, non retractare verba, non revocare sententiam. Deniq; sibi constare MARIAM, & veracem esse, quia veritatis Mater est.

Quæ omnia nihil aliud sunt, quam novi fulcri substructio, pro stabilienda multorum consuetudine impiorum, resipiscentiam suam & conversionem protrahentium ad moriendi necessitatem. Ita non unus sed plures improbi sibi occinunt, sæpè fatales in perniciem suam Musici. Quod enim *Theodorus* olim apud Plutarchum questus fuit, se doctrinam suam auditoribus dextera porrigere, sed illos sinistrâ accipere, sinistrè intelligere, & benè dicta in partem malam accommodare: idipsum multis objicere potest sanctissima Virgo, quod promissionem suam SCAPULARI annexam, nimis laxè & contra pollicentis mentem explicent; quasi verò nemo fœnerator, nemo adulter, homicida nullus, aut quisquis alius gravium flagitiorum pertinax amator, æternùm possit interire: si cum pia erga DEI parentem fiducia, SCAPULARE corpori suo appendulum circumgestaverit, eoque velut Mariano insigni mortem suam obsignaverit. Qui sensus quemadmodum humanæ malitiæ habenas laxat, viamque sternit temeritati ad omne scelus: ita minimè gentium à DEIPARA intenditur; in necessariam Filij sui injuriam.] Plutar. *in Apoph.*

Reiicitur & benè & meritò hic prædictorum verborum sensus à præfato Authore & Carmelitis, imò Catholicis universis, tanquam impius, & sacris literis prorsus oppositus.

Secundò alij, inter quos P. Lezana (licet is alias quoque ac saniores afferat expositiones) sic interpretantur illa verbo; ut per *æternum incendium* non in rigore intelligant *sempiternum*, sed *temporale diuturnum*. Quo sensu dicitur *Genesis* 12. *Cap.* Circumcisio esse *fœdus æternum*, id est, diu duraturum. Nempè ad tempora Christi Domini. Similiter *Exodi* 12. *Cap.* Celebratio Agni paschalis vocatur *cultus sempiternus*: & *Cap.* 28. ritus sacerdotalis appellatur *legitimum sempiternum*, & tamen hæc temporalia tantum fuêre. Multis quoque alijs sacræ Paginæ exemplis demonstrari potest per *æternum* vulgatissima phrasi sæpius intelligi non id duntaxat, quod fine caret, verum etiam quod *Lib. de Patronat. Mariano cap. 5. num. 13.* Nonnulli per *æternũ incendium* intelligi

volunt tēporale diuturnum, seu diuturnum purgatorij ignem.

diuturno atque indeterminato durat tempore. Ac proindè juxta hanc expositionem, idem erit *æternum non pati incendium*, ac diuturnum non pati purgatorij ignem. Quo sensu accepta illa DEIPARÆ promissio coincidit cum privilegio dicto *Bullæ Sabbathinæ*, à Sede Apostolica sæpiùs comprobato. Quod scilicet Beatissima Virgo MARIA animas Fratrum ac Confratrum, post eorum obitum, si in gratia decesserint, suis precibus suffragijsque adjutura, & è purgatorij incendijs liberatura sit, Sabbatho post eorum obitum.

Sed hæc interpretatio admittenda minimè videtur, ob erroris, quē inducere posset, periculum.

Nihilominus hæc admittenda minimè videtur interpretatio: quippè, quæ à littera & communi loquendi usu nimium aberrat. Verba enim illa, *æternum incendium* simpliciter sonant ignem inferni, nequam extinguendum; alioqui posset quis verba Christi Domini Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*, de igne purgatorij diuturno exponere, qui tropicè diceretur *æternus*. Quapropter etiamsi aliquando *æternum* pro *diuturno* usurpetur; id tamen minimè puto licitum quando de purgatorio & inferno sermo est, ob periculum erroris; cùm auditoris animus ambigere posset, propriané an figurata foret locutio. Denique nescio, an clariùs Beatissima Virgo infernum exprimere potuerit, quàm essentialem illius differentiam indicando, appellandoq; *æternum incendium*.

Aliæ quorundam expositiones refelluntur.

TERTIÒ posset esse sensus, *æternum non patietur incendium*, id est, *in æternùm non patietur incendium*: quasi negatio esset universalis, atq; propositio cum hac coincideret, *nullum unquam patietur incendium*. Refellitur tamen, & meo judicio, efficaciter hæc interpretatio, per Sabbatinum privilegium: quòd detentos in purgatorij flammis Confratres asserit adjuvandos, ab eoq; liberandos post obitum, &c. Ergo per sacrum SCAPULARE immunes haud fiunt ab omni incendio.

QVARTÒ dici posset, salvandos Confratres non quidem in sensu compositio peccatorum (quod prima videtur asserere expositio) sed quasi per SCAPULARE pristinam recuperent sanctimoniā, quemadmodum per Baptismum, aut pœnitentiam justificatus dicitur salvandus, nec æterna passurus incendia.

REIICITVR tamen: est quippe singulare Sacramentorum privilegium, nulli alteri concessum, quòd peccata remittant, & perditam DEI amicitiam restituant. Neque eum sensum legi unquam apud

apud aliquem è nostris; etsi ab adversarijs fuerit non semel oppositus: quos hîc velim monitos, nec Sacramentorum dignitati, aut efficaciæ par à nobis asseri SCAPULARE; nec bonorum operum inde reijci necessitatem, verùm potiùs adstrui; quemadmodum religiosa professio, cui salus promittitur, eadem virtutum opera non respuit, sed ardentiùs complectitur.

Admonitio benè observanda.

QVINTÒ interpretantur nonnulli hæc verba, affirmantes Confratres in Scapulari decedentes salvari, si in gratia existant. Hæc expositio vera quidem est, at privilegio minimè congrua. Est quippe privilegium, lex quædam privata, seu præter jus commune concessio, sed commune est omnibus pietatis instrumentis, ut si quis cum illis, & in gratia obierit salvus fiat: nec majus esset sacri SCAPULARIS, quàm lecti, in quo æger decumberet, privilegium: siquidem in lecto moriens, gratiâ sanctificante præditus æternum non pateretur incendium. Hæc proinde interpretatio valde est inadæquata, cùm beneficium Principis evertat: quod interpretandi genus, ne quidem in humanis legibus, concessisq; à terreno Principe privilegijs, jura patiuntur. quare alia requirenda expositio est, quæ & cum receptis fidei Catholicæ, ac Sacræ Theologiæ principijs atque regulis cohæreat, & Mariano SCAPULARI aliquid concedat vi promissionis, fœderisq; DEIPARÆ Virginis in ordine ad salutem, quod ex natura sua alioqui non haberet, dico *in ordine ad salutem*, nam dona DEIPARÆ, uti & dilectissimi Filij ejus, eò tendunt potissimùm, ut æternam hominum salutem promoveant.

Vera, sed incongrua, minimèq; sufficiens aliorum interpretatio refutatur.

56.

Nonnulla observanda sunt ad legitimum dictæ propositionis sine errore percipiendum.

AD legitimum dictæ propositionis sensum sine errore faciliùs percipiendum, advertendum est *primò*: DEIPARAM Virginem non dixisse, *Accipe hoc Scapulare, quod qui acceperit, æternum non patietur incendium*: sed, *In quo quis moriens*, &c. ita ut gerendum sit ad mortem usq; inclusivè. Ex quo infertur neminem sibi polliceri posse, eò quòd Marianum habitum assumpserit, consectariè futurum sit, ut salvetur: nam negari potest consecutio, aut in dubium revocari, cùm certus minimè sit de perseverantia in habitu suscepto.

ADVERTENDVM est *secundò*: non parum ab invicem differre has duas propositiones: *In quo quis moriens salvabitur*; & *In quo quis moriens damnari non poterit*. Prima enuntiat, quid futurum sit, verùm oppositi potentiam non adimit: quam tamen omnem tollit Secunda.

Primum affirmamus de sacro SCAPULARI modo infrà exponendo: *Secundum* negamus. quemadmodum enim Theologi prædestinatos sic fore salvandos fatentur, ut ad damnationem in hac vita retineant arbitrij potestatem: haud secus Parthenijs Confratribus ita salus promittitur, ut arbitrij libertas, quâ damnari queant, ipsis non adimatur. quæ duo contradictionem minimè involvunt, nisi dixeris contradictorium esse in homine, dum loquitur, quod silendi retineat potestatem.

Lib. de Patronat. Mariano. cap. 5. n. 12. & 24.

Quid sit Sac. Scapulare gerere *nudè materialiter*, seu *physicè*: quid *formaliter* seu *moraliter*, ac *spiritualiter*?

ADVERTENDVM est *tertiò* ex Lezana, verba illa non esse intelligenda de suscipientibus gestantibusq; sacrum SCAPULARE *nudè litteraliter & materialiter*, sed *formaliter* & *spiritualiter*, id est, observando & satisfaciendo Confraternitatis legibus & obligationibus. quod fusiùs ac clariùs exponit Irenæus, inquiens: [verba illa, *in quo quis moriens*, non debere intelligi solùm *physicè*, quasi sufficiat Scapulare physicè duntaxat indutum, perinde ac aliâ veste ornatum mortem oppetere, ut de salute sit securus. Etsi enimverò Scapulare eo modo acceptum, quibusdam proficiat (veluti isti desperato, de quo loquitur Petrus Swaningtonus) quod etiam in reliquijs Sanctorum, & alijs rebus pijs nonnunquam contingit, ut nimirum prosint aliquibus, qui rerum ejusmodi sacrarum virtutem ignorant, aut non postulant: tamen vi promissionis non existimem ad id teneri DEIPARAM erga Confratres: Nam sic ea contraxit cum B. SIMONE Stockio, ut in *signum fœderis pactiq; sempiterni* SCAPULARE præfato cum privilegio designaverit. Contractus verò inter civilia, atque è numero rerum moralium esse nemo nescit, quæ singulari jure pendent à ratione morum principe. Unde infero SCAPULARE non debere solùm assumi *physicè*, &, ut ita loquar, mortuo modo secundùm quod est pannus aut vestis, sed etiam *moraliter*, quatenus *signum* est *fœderis & pacti* cum Beata Virgine: signum autem ejusmodi includit relationem aliquam ad B. Virginem, cum qua is contrahit, qui Scapulare induit: ista iterum relatio in mentem revocat datam Virgini fidem, debitumq; vi fœderis obsequium; cui si satisfaciat Confrater, dicendus est pacti legem impleviss̃e. atque *ritè* ac *debitè*, id est *moraliter*, & non solùm *physicè*, Scapulare induisse. Si verò Scapulare retineat veluti pannum aliquem, aut vestem, nihil cogitando de *fœdere* cum DEIPARA: vel B. Virginem, ut debet, minimè colendo, comparan-

dus

dus erit homini, qui summâ diligentiâ chartam servaret, in qua esset descriptus contractus cum alio initus, cui tamen non satisfaceret: de scriptura esset sollicitus, sed scripto renuntiaret. Eâdem omninò ratione Confrater Confraternitatis, contractusq; signum, quasi materialiter acceptum servaret in corpore, sed excluderet ab animo. In Scapulari igitur concipimus 1. materiam & formam vestis ejusmodi, quod appello aliquid *physicum*. 2. signum Carmelitici fœderis, cum B. Virgine, quod appello *morale* in ea veste physica. 3. debitum ex tali fœdere obsequium, quod appello *debitum vitum*. Qui primo modo gestat Scapulare, is solùm *physicè*: qui primo & secundo modo, is *physicè* & *moraliter*: denique qui tribus modis enumeratis, is *physicè*, *moraliter* & *ritè* gestat Scapulare, dicendusq; est satisfeciſſe pacto, cui sua ex parte non deerit DEIPARA.]

Scapulare debet gestari *physicè*, *moraliter* & *ritè*: *physicè*, ut pannus; *moraliter*, ut signum fœderis cũ B.V. *ritè*, præstando debitum B. V. obsequium.

His præmissis ad germanam legitimamq; præfatorum verborum interpretationem tradendam accedo.

57.

Lib. suprà cit. sect. 1. cap. 3. §. 4. Afferuntur legitimæ hujus propositionis interpretationes.

Irenæus præfatus hæc verba, *In quo quis moriens æternum non patietur incendium*, debere ad literam sic intelligi affirmat, ut qui *ritè* in Scapulari fuerit mortuus, sit salvandus. Dicitur *primò* RITE, cujus particulæ ratio constat ex paulò ante dictis. Etsi enim Beatiss. Virgo eam expressè non apposuerit, tamen subintelligendam esse ostendimus ex natura contractus cum B. SIMONE *Stockio* initi. Dicitur *secundò* SALVANDUS, non quod gloria eandem cum Scapulari, quam cum sanctitate connexionem habeat: nec parem Scapularis atque Sacramentorum conditionem asserо; quasi indifferens sit morituro, quod Scapulare assumat, aut Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ recipiat: absit, ut ita mentem atque sententiam interpreteris meam, quam clarè his terminis explico. Qui *ritè* gestavit Scapulare, is satisfecit sua ex parte Beatissimæ Virginis fœderi; cui ea pariter, ut satisfaciat, obtinet à DEO ea gratiarum auxilia, quibus Confrater ejusmodi excitetur ad conterendum, pœnitendum, aliaq; recipienda Sacramenta, quorum beneficio redeat in gratiam cum DEO, vel augeat merita, & priorem justitiam. Præterea eidem largietur DEUS per B. Virginem externæ protectionis auxilia, removendo tentationes, aliaq; similia, quæ alioqui periclitanti afferrent molestias, ac difficultates: imò & interna, quæ ad resistendum, certandumq; *adversus principatus & potestates, rectores mundi hujus* corroborent.

Si

Si quæras quomodo ea excitent auxilia? Remitto ad variam Theologorum sententiam in *prima secundæ* legendam, &c.

Præfatorum igitur verborum sensus sic expositus, ut intelligatur de gestantibus *ritè* habitum, adjuvandis per efficaciora gratiarum auxilia ad operandam salutem suadetur.

I. Quod in omni interpretatione retineri debeat proprietas verborum, quamdiu non occurrit contradictio, aut aliquid divinæ majestati minus congruum, vel divinis decretis oppositum: At hoc in casu nihil apparet ejusmodi, imò eadem doctrina defendi debet in alijs ferè innumeris: Ergo &c.

II. Certum videtur id posse B. Virginem, si id velit; quodautem velit evidentiùs dicere non potuit.

III. *Ioannes Grossius* pridem laudatus rem ita interpretatur, *in quo quis moriens æternũ non patietur incendiũ*, id est *salvabitur*. Generalis istius Ordinis, ad quem spectat, ex concessione summorum Pontificum, expositio dubiorum, si quæ emergant in privilegijs.

Vide Lezanam *lib. de Patronatu Mar. c. 5. n. 11.* ubi ait, esse optimum mediũ ad salutem, & admodùm utile, etsi plura dentur alia pariter utilia.

IV. Ea esse debet juris, legis aut privilegij expositio, ut nec extiguat Principis concessionem, nec inanem reddat: at secluså ejusmodi explicatione evanescit tota DEIPARÆ concessio: Ergo ea admitti debet.

V. Etiamsi privilegium strictè quis velit interpretari (quod est contra juris regulam, quæ favores ampliat & principis beneficium latè usurpat) ea tamen lege coërceri debet, restrictio, ut aliquem Scapulari tribuat effectum in ordine ad salutem, qui cæteris rebus, *verb. causa* lecto, vestibus, & alijs, quæ moriturum circumvestiunt, minimè conveniat. Minor autem effectus assignari non potest quam datus fuerit: Ergo &c. Ita Irenæus *loco citato.*

58. *I. part. sect. 9.* Altera expositio *Leonis à S. Ioanne.*

ALTERAM, affinem tamen præfatæ, interpretationem adducit *Leo à S. Joan.* in suo *Typo* seu *pictura vestis Religiosæ* his verbis: [Secunda, ut subtilior, ita melior (præmiserat aliam diversam à præcedente) facillimè intelligetur; si concipiamus Beatissimam Virginem pactum seu fœdus cum S. SIMONE Generali, cumque universo Carmelitarum Ordine sanciviss: hujus verò affinitatis, seu Confraternitatis signum & notam datum esse SCAPULARE, quod gestamus. Quia porrò in hujus virtutem Confraternitatis, per ejusmodi SCAPULARE seu habitum, quasi tesseram initæ, relinquitur speciale erga

Confraternitatis inter B. Virgi-

Carme-

Carmelitas Virginis patrocinium: & vicissim illius gestatione stemmatis, palam & apertè profitemur præcipuæ cultum servitutis, quâ nos, nostraque omnia, voto etiam publicè nuncupato, MARIÆ Virgini mancipamus. Hinc est, quod eadem benigna parens & misericordiæ Mater, memor mutuæ hujus Confraternitatis, in ultimo mortalis vitæ momento, à quo potissimum pendet æternitas, & humana salus periclitatur, speciali patrocinio quemlibet morientem, qui suæ Confraternitatis habitum *dignè* & *laudabiliter* gestaverit, contra ingruentes tunc hostis impetus & tentationes tutabitur; adeoque peculiari tunc solicitudine Christum Unigenitum exorabit, ut dignetur illi morienti suscitare intimam de peccatis contritionem, sinceram à creaturis aversionem & ad Creatorem conversionẽ: internos motus ad salutem necessarios ingerere, præstare gratiæ auxilia efficacioris: uno verbo, Electorum patrimonium & hæreditatem concedere, gratiam quam vocant finalem seu perseverantiam, cui salus indubitata, certissimè adhæret.

ginem & Carmelitas initæ signum est Scapulare.

Quomodo B. Virgo juvet morientes, qui ejus Sac. Scapulare gestarunt, ut *æternum non patiantur incendium?*

Ex qua quidem doctrina pura ac sincera, non obscurè colligitur veritas hujus promissionis, *in quo quis moriens æternum non patietur incendium*; quantum est videlicet ex parte Beatiss. Virginis, quæ ex fœdere nobiscum percusso, tam opportuna gratiæ efficacioris remedia morientibus nobis à DEO impetrabit, ut nisi obstinatè resistamus, verissima contritione simul & dilectione ad DEUM finaliter conversi, pœnas inferni, & æternum illud incendium pro certò evadere possimus. Nequè verò necesse est hanc propositionem, *in quo quis &c.* (cum sit de contingentium numero, & liberum hominis arbitrium involvat) in omnibus ad unum suum effectum sortiri: sufficit enim, quod in plerisque obtineat veritatem, & in omnibus, quantum est saltem ex parte & officio Beatissimæ Virginis: quæ non solum, ut communis Christianorum Mater, verum etiam peculiariter, ut Soror Carmelitarum amantissima, ea privilegia impetrabit in mortis agone ijs, qui dum viverent se illi cultu specialissimo consecrarunt: cujus specialis cultus & clientelæ nota, signum seu tessera SCAPULARE est Virginis, quod gestarunt cum speciali itidem virtutum exercitio.] Hactenus Leo à S. Joanne *lib. cit. sect. 9.*

Specialib9 gratiæ auxilijs adjuvantur, qui Confratres sunt B. Virginis.

Ad hoc ut propositio universalis contingens vera sit, satis est, si in pluribus & ut plurimùm verificetur.

VERÙM ne diutiùs hoc loco hæreamus, prætermissis varijs aliorum Catholico in sensu expositionibus, unam à permultis tra- 59.

ditam,

Aliorum cõmuniter recepta interpretatio.

ditam, & ab omnibus communiter receptam solum subjungere lubet.

Hanc propositionem, *in quo quis* &c. in eo planè sensu, proportione tamen semper servata, intelligendam esse volunt, quo multæ aliæ similes, quæ passim in sacris literis occurrunt, in quibus promittitur vita & salus æterna, ob quædam opera, quæ tamen sola sine alijs ad salutem minimè sufficiunt: cujusmodi est illa Christi promittentis enunciatio apud Joannem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et iterum: *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam.* Quæ propositiones verissimæ sunt, & de fide certæ: & sic absolutè prolatæ verificantur, non tamen in omni sensu, sed sano & fidei nostræ principijs congruo. Hinc est, quod multi discipulorum perperam illas capientes abierunt retro, ut refert S. Evangelista, & dixerunt, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Neque enim sensus est, illum vitam consequi æternam, qui Eucharistico ferculo reficitur, si cætera ad salutem necessaria & præscripta negligat: sed hic potiùs SS. Eucharistiæ Sacramentum ex se, & ex parte sua habere virtutem & efficaciam conferendi gratiam & gloriam, nisi ex parte recipientis ejus impediatur effectus: quod inter alios sacros Doctores non semel tradit Angelicus Præceptor maximè in 3. *parte quæst. 79. art. 3.* his verbis: *Dicendum quod virtus hujus Sacramenti potest considerari dupliciter. Uno modo secundum se, & sic hoc Sacramentum habet virtutem ad remittendum quæcunq; peccata* &c. *Alio modo potest considerari per comparationem ad eum, qui recipit hoc Sacramentum, prout in eo invenitur impedimentum percipiendi hujus Sacramenti effectum. Quicunq; autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum hujus Sacramenti* &c. Et. articul. 1. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod hoc Sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi.* Et articulo 7. ad 1. differens de adeptione gloriæ ait: *Dicendum est, sicut passio Christi, in cujus virtute hoc Sacramentum operatur, est quidem causa sufficiens gloriæ, non tamen ita, quod statim per ipsam introducamur in gloriam, sed oportet, ut primo simul compatiamur, ut postea simul glorificemur (sicut dicitur Rom. 8.) ita hoc Sacramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam, & ideo viaticum dicitur. In cujus figuram legitur 3. Reg. 19. quod ELIAS comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usq; ad montem DEI Oreb.*

Exp. 6.

Joan. 6. cap.

SS. Eucharistia ex se habet virtutem conferẽdi gratiam ac gloriam, nisi à recipiente impediatur.

Ejus virtus dupliciter considerari potest.

Complu-

Complura similia generalia pronunciata in sacris paginis passim reperiuntur. De fide, *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et iterum, *si confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde tuo credideris, quod DEVS suscitavit illum à mortuis, salvus eris.* Et rursus, *Omnis qui credit in illum non confundetur.* Et de Fide ac Baptismo. *Qui crediderit ac baptizatus fuerit, salvus erit.* De spe, *nullus speravit in Domino & confusus est:* & ad Rom. *spe salvi facti sumus.* de invocatione nominis Domini: *omnis quicunq; invocaverit nomen Domini salvus erit.* Et de Eleemosyna Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat.* Et iterum Cap. 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat.* Et Daniëlis 4. cap. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Et illud Christi Servatoris ad avaros pharisæos verbum: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quid enim? Num Pharisæi, si largas fecissent eleemosynas sine fide in Christum, unicum humanæ salutis authorem, mundi, id est, iusti coram DEO fuissent? Tam parum profectò atq; illi, qui cum deliberato animo continuandi suam pravam vitam, liberales simul sunt in pauperes. Quorum Augustinus Sanctus *Tom. 3. in Enchirid. c. 75.* his meminit verbis: *Qui sceleratissimi vivunt, neq; curant talem vitam, moresq; corrigere; & inter ipsa facinora atq; flagitia sua eleemosynam frequentare non cessant, frustra sibi in eo blandiuntur, quoniam Dominus dixit: date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* qui etiam *cap. 70. ejusdem libri*, idem argumentum tractans impensè monuerat inquiens: *sane cavendum est, ne quisquam existimet, infamia illa crimina, qualia agunt, qui regnum DEI non possidebunt, quotidie perpetrando, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus DEVS*, &c. Cum igitur dicitur, quod elemosyna ab omni peccato, & morte liberet, & omnia mundet, sensus est, juxta *Bedæ, Bonaventuræ*, aliorumque Patrum, ac Theologorum sententiam, eleemosynam non propriè remittere peccata, atque justificare, verum disponere solum ad eorum remissionem; seu propitius flectere divinam misericordiam, ex qua procedit gratuita culpæ condonatio, animæque justificatio: juxta illud Angeli ad Cornelium Centurionem *Act. 10. cap.* dictum: *Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI.* Cui consonat illud Sapientis: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Potest etiam sententia de eleemosyna omnia emundante, intelligi de emundatione, quoad

Ioan. 3.

Ad Rom. 10. c.

Marc. ult. & Eccles. 2.

Luc. 11.

Præclara & benè advertenda in eleëmosynis faciendis D. Augustini doctrina.

Quomodo verum sit, quod eleëmosyna ab omni peccato liberet, & mundet?

Eccli. 29.

pœnam temporalem, in homine jam justificato, per veræ contritionis actum, aut per Sacramentum pœnitentiæ, in lege nova præceptum ad remissionem culpæ mortalis, quod universali illo de eleemosyna dicto nequaquam eliditur.

Cur S. Joannes semper & idẽtidem suis inculcarit discipulis hæc verba, *Filioli diligite alterutrum?*

Nonnulli quoque huc referunt effatum illud S. Joannis Apostoli, coram discipulis identidem repetitum. *Filioli diligite alterutrum.* Et ejusdem ad discipulorum, ob frequentem jam repetitionem, tœdio affectorum, interrogationem, *quare hoc semper repeteret?* responsum: *quia præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit.* Quis verò prudenter hinc colliget: sanctissimum Apostolum atque Evangelistam omnem perfectionis plenitudinem, ita collocasse in solo unicoque præcepto dilectionis proximi, ut cætera omnia divina mandata circa fidem, spem, pœnitentiam, ipsamque etiam DEI charitatem excluderet? minimè gentium; sed cum sciret veram proximi dilectionem fundari in DEI amore, in hoc autem, velut in radice sua, contineri aliorum præceptorum observationem, ideò in frequentibus charissimorum sibi capitum conventiculis, discipulorum, inquam, suorum atque in fide Christiana filiorum, toties inculcavit, potissimum, inter cætera, Christi mandatum de conservanda invicem mutua dilectione. Sicut enim inter metalla aurũ, ignis inter elementa, sol inter planetas, inter cælestia corpora cælum empyreũ, inter Angelicas mentes Seraphiei Spiritus eminent; ita virtutibus reliquis, velut Regina, superior est charitas: affirmante Paulo; *nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, major autem horum est Charitas*, quæ tam in proximo, quam Deo, summum semper bonum habet pro objecto.

1. *ad Corinth.* 13.

Attexit hic P. Zehentner ad interpretationem nostram confirmandam, universale illud magni Apostoli dogma, quod non nisi ad sanũ sensum restringendum est, ut cum generatim de Deo inquit: *omnes homines vult salvos fieri.* [Numquid (ait) igitur omnes salvabuntur, quandoquidem omnia quæcunq; vult, faciat DEUS? sed nempe opus est distinctione S. Damasceni, qui ponit in DEO duplicem voluntatem. Una vocatur *antecedens*, quæ scilicet antecedit omnem provisionem bonorum & malorum operum in homine: & hæc se tantum tenet ex parte DEI, ejusque in homines benevolentia. Altera ejusdem voluntas appellatur *consequens*, quia præmissis bonis vel malis operibus ex parte hominum, vult eos salvare, vel damnare. Quando ergo

1. *ad Tim.* 2. v. 4.

Lib. 2. *de fid. c.* 29.

ergo Apostolus in genere ait, DEUM velle omnes homines salvos fieri, debet intelligi de voluntate non *consequente* (hac enim impios, prævisa eorum impietate, vult damnare, non salvare) sed *antecedente*; quod nimirum Deus, ante prævisionem finalis impœnitentiæ in aliquibus, quantum est ex parte sua, velit, optat, cupiat serio atque ex animo, omnium hominum salutem; ideoq; omnibus dedit Christum Redemptorem, & per eum Sacramenta, aliaq; ad salutem necessaria, & sufficientia media. Cæterum ut hæc DEI voluntas antecedens, fiat completa & efficax, sine ut efficaciter sortiatur effectum; debet ex parte hominis, tanquam à DEO requisita conditio, accedere: ejusdem scilicet cooperatio, & voluntaria mediorum ad salutem præscriptorum applicatio. Quæ mens communis est SS. Patrum. Quia verò hic multorum industria mortalium deficit, excutientium, quæ DEUS liberaliter offert, beatitudinis consequendæ adjumenta, auxiliaque gratiarum, hinc multi pereunt, sed vitio proprio socordiæ.] Hæc ille.

Vide Cornel. 1. ad Timot. 2.

Ex his (ut redeamus unde nonnihil digressi sumus) facilè attingere erit, quo in sensu legitimo ac Catholico sæpius memorata DEIPARÆ Virginis pollicitatio ac propositio interpretanda atque vera sit: sensus etenim est, quod quisquis moritur in sacro ejus Scapulari, illudque gestaverit modo supra *num.* 57. *& seq.* tradito, non iturum ad inferos; quantum scilicet est ex parte gratiæ illius cōpiosæ, quam Confratri apud Filium suum impetrabit, intuitu sacri SCAPULARIS, collati jam tum *in signum salutis, fœdus pacis, ac pacti sempiterni.* Nisi ex alio capite impingat in petram scandali, & lapidem offensionis per temerariam divinæ legis transgressionem.

Gestans Sac. Scapulare non peribit, quantū est ex parte gratiæ copiosioris, quantum B. V. illi impetrabit intuitu *Scapularis*, 60.

Nec id cuiquam, vel modicè in sanctis Patribus, aut Ecclesiasticis Historijs versato, novum, aut mirum videri debet, cum complures hujusmodi promissiones ac propositiones, & quidem in communi duntaxat *SS.* Virginis auxilio ac tutelâ fundatæ, & apud illos & in his reperiantur. Communis est atq; non paucorum Patrum sententia ab ultricibus gehennæ flammis immunes eos omnes futuros, qui DEIPARÆ Virginis amori ac cultui dediti fuerint; imò quidam illorum ad *impossibile* & *necessarium* rem reducere videntur. E quibus S. ANSELMUS in Orat. ad B. Virginem: *Sicut enim, ô Beatissima, omnis à te aversus, & à te despectus, necesse est, ut intereat; ita omnis ad te*

Devotus MARIÆ nullus æternùm peribit.

conversus, & à te respectus, impossibile est, ut pereat. Et lib. de quatuor virtutibus B. Virginis ; *impossibile est, ut aliquis homo ad eam conversus, & ab ea respectus, damnetur.* Et iterum lib. *de excellent. B. Virginis* Cap. 12. *Tantummodo velis salutem nostram, & verè nequaquam salvi esse non poterimus.* S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. : *Sicut impossibile est, quod illi, à quibus Virgo MARIA oculos suæ misericordiæ avertit, salventur : ita necessarium est, quod hi ad quos convertit oculos suos pro eis advocans justificentur & glorificentur.* S. Joannes Damascenus SS. Virg. alloquendo, inquit : *Devotum tibi esse arrha est quædam salutis, quam DEVS ijs dat, quos vult salvos fieri.* S. Petrus Damiani *serm.* 1. *de Nativ. B. V.* sub finē. *Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilus de ipsis perditionis faucibus revocare? Nil tibi impossibile est, cui possibile est, desperatos in spem Beatitudinis relevare.* S. Bernardus *serm.* 1. in Salve Regina. *Convenienter vocatur Regina Misericordiæ, quod divinæ pietatis abyssum, cui vult, quando vult, & quomodo vult, creditur aperire. Ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum Patrocinij sui suffragia præstat.* Eundem vide *serm.* 4. *de Assumptione, & Homil. super missus est.* S. Bonaventura Tom. 1. *part.* 2, *opuscul.* de Psalterio Virginis : *Qui dignè coluerit illam justificabitur : qui autem neglexerit illam morietur in peccatis suis.* Et idem alibi : *Quem vis ipsa salvus erit, & à quo avertis vultum tuum vadit in interitum.*

Arrha est salutis ei esse devotum. *In Annunt. Dei Genitr.*

Nihil illi impossibile, &c.

Quem vult salvat.

S. Germanus *serm.* de Zona Virginis. *Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem : ita & sanctissimum nomen tuum, Virgo Beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ & auxilij, non solum est signum, sed ea etiam procurat & conciliat.* Consulatur etiam D. Bernardinus : Tom. 4. *Dominica Quinquagesimæ serm.* 1. *cap.* 2. Et Godfridus Cardin. *serm.* 8. cujus verba admiratione & animadversione digna sunt. *Beata*, inquit, *MARIA Mater, Virgo, & Sponsa intacta, piissima apud piissimum Filium obtinebit, ut nemo illorum pereat, pro quibus vel semel oraverit. Nec mirum, quia universum suis precibus mundum salvare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro universo mundo paratissima esset ad precandum, totusq; mundus salvaretur, si ejus precibus se faceret dignum. Hæc veracissimè apud omnipotentem Filium, ut diximus, orando potest, quidquid desiderat ; sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat, pro quibus Sanctorum nullus orare præsumit.* Ludovicus Blosius pientissimus Abbas in *Canone vitæ spiritualis* cap. 18. *Fieri non potest*, inquit, *ut pereat, qui MARIÆ sedulus, & humilis cultor fuerit.* Et alibi : *Citius cælum cum terra perierit, quam ipsa* (B. Virgo) *aliquem*

Nemo perit, pro quo B. V. vel semel oraverit.

B. V. si vult universum mundum suis precibus salvare potest.

Non orat pro illis, qui semper peccare desiderant.

servo

ſeriò ſe implorantem ſuâ ope deſtituat. Et in *Monili ſpirituali Cap.* 1. refert, ipſiſſimam Veritatem Patrem æternum dixiſſe S. Catharinæ Virgini Senenſi hæc verba: *MARIÆ Vnigeniti Filij mei glorioſæ Genitrici à bonitate mea conceſſum eſt, propter incarnati VERBI reverentiam, ut quicunq; etiam peccator, ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali.* Refert quoque *ibidem* idem Religioſiſſimus Abbas, DEIPARAM Virginem hæc verba ſanctæ Brigittæ dixiſſe; *Quantumcunq; homo peccet, ſi toto corde cum vera emendatione, & charitate ad me confugerit, ſtatim paratà ſum recipere venientem, nec attendo quantum quis peccaverit, ſed quali intentione ac voluntate redit ad me.* *In Speculo ſpirit. c.* 12.

CONFIRMAT quoque noſtrum intentum alia non diſſimilis DEIPARÆ Virginis ſanctiſſimo Prædicatorum Patriarchæ DOMINICO exhibita revelatio, quam recenſet Bzovius *Tom.* 13. *Annal. ad ann.* 1213. *num.* 11. ubi SS. Virgo de Roſario loquens, dicit: *Hoc erit unicum ad evertendas hæreſes, vitia extinguenda, virtutes promovendas, miſericordiam divinam implorandam, ſuffragiaq; mea impetranda, magnum & ſingulare in Eccleſia inſtrumentum.* Quæ omnia de Roſario verificari nequeunt, niſi quatenus ex promiſſione & interceſſione Virginis Sanctiſſimæ, illud piè recitantibus, hæc à DEO propitiùs conceduntur. Eadem quoque cælorum Regina *B. Alano* ejuſdem Ordinis alumno ſubjecta divinitùs manifeſtavit: *Secretum pandam tibi divinæ providentiæ. Scias enim, & ſecurè intelligas, quod & indilatè aliis patefacias; quod videlicet ſignum probabile eſt, & propinquum æternæ damnationis, horrere & attædiari, & negligere Salutationem Angelicam, totius mundi reparativam: habentibus verò devotionem ad hanc, ſignum eſt ordinationis & prædeſtinationis permagnum ad gloriam.* 61. Confirmatur ſuprà dicta non diſſimili *S. Dominico* factâ revelatione, ac promiſſione. Ex revelatione factâ *B. Alano* ſignum eſt prædeſtinationis devotio ad Salutationē Angel. & reprobationis illam horrere & negligere.

NON deſunt complures ſimiles ſanctiſſimis viris factæ revelationes, aliaq; permulta SS. Patrum teſtimonia, nec non innumera à DEIPARA mortalibus exhibita admiranda beneficia, ac prodigioſa exempla, quibus aſſertum noſtrum demonſtrare, confirmareque poſſemus: verùm hæc ſufficere videntur, licet intermittere nequeā, quin unius ſaltem hæretici ſeu hæreſiarchæ, cùm alij plures produci valerent, pro hac veritate teſtimonium hìc proferam: quod hac potiſſimùm in materia & novum ac ſingulare eſt. *Joannes Wicleph* in quodam *Sermone de Aſſumptione MARIÆ*, referente *Joanne Ptziſramo* Huſſitarum primario Doctore, apud Bzovium *Tom.* 15. *Annal. ad ann.* 1430. 62.

Nota eximium Hæresiarchæ de prædicta veritate, & Deiparæ in omnes singulari beneficentia testimoniũ.

1430. *art.* 22. sic disserit: *Videtur mihi, quòd impossibile est nos præmiari sine* MARIÆ *suffragio. Verumtamen sunt gradus in ejus auxilio; & quosdam etiam præscitos juvat ad cavendum peccata, vel eorum gravedinem, & per consequens ad pœnæ perpetuæ mitigationem: quosdam autem juvat ad bonorum fortunæ, naturæ, & gratiæ cumulationem, & per consequens ad periculi, vel damni temporalis evitationem: & quosdam ad beatitudinis promeritionem; & sic nemo est expers ejus superabundanti suffragio, sive plus, sive minùs sibi serviverit; imò illi qui nihil meruerunt, sentiunt ejus levamen,* &c. ac nonnullis interjectis, subjungit: *MARIA sæpe prævenit merita peccatorum, quia necesse esset existentibus in crimine, ut resurgant; & sic non est sexus, ætas, vel status, vel conditio humani generis, quin necesse habeat auxilium Virginis implorare.* Hactenus Wicleph.

CAPUT XI.

In quo consistat præfatum speciale auxilium DEIPARÆ Virginis?

63. CUM in superiori Capite non semel insinuaverimus, DEIPARÆ Virginis exponentes promissionem, de Confratribus suis ab æterno incendio eruendis, id potissimum fieri mediante speciali auxilio illis ab eadem Virgine Matre, maximè in mortis periculo aut articulo præstando; restat nunc ut videamus & discutiamus, in quo præsertim præfatum SS. Virginis auxilium consistat. Pro cujus faciliori elucidatione observandum est *primò*, de fide esse Sanctos in cælo pro hominibus in terris degentibus DEUM orare. Orant verò pro illis non solùm in communi, verùm etiam in particulari, pro tali, aut tali persona, causâ aut necessitate, &c. *Prior* asserti pars è sacris paginis constat: nam ante Christi adventum animæ justæ perfectè purgatæ, licet divinam nondum viderent essentiam, attamen pro existentibus in hac mortali vita orabant, uti de Onia & Hieremia tradit *Liber* 2 *Machab. c.* 15. inquiens: *Hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta Civitate,* &c. *Altera* assertionis pars etiam certa est, quam solidè probat Bellarminus *lib.* 1. *de Eccl. Triumph. cap.* 18. è Scripturæ ac complurium Patrum testimonijs.

Beati in cælis orant pro hominibus in terris degentibus.

DEIN-

DEINDE advertendum est, licet omnibus Sanctis in cælo regnantibus competat orare pro hominibus in terra militantibus, eosque invocantibus, tum in communi & generali, tum in particulari; nihilominus proprium esse cælorum Reginæ, orare specialiter pro omnibus & singulis, ad eum modum, quo (proportione tamen servatâ) dictum est *suprà*, eam omnibus & singulis in particulari benefacere. Movemur ad hoc asserendum *primò*; quia charitas Virginis non solùm secundùm actum suæ intrinsecæ benevolentiæ, verùm etiam extrinsecæ beneficentiæ se extendit ad omnes & singulos in particulari: At sic est, quod juxta proportionem charitatis oratio Beatorum se extendit ad homines sive viatores in terris, *&c.* quam rationem tetigit S. Thomas 2.2. *q* 83 *art.* 11. dum meminit erroris Vigilantij, qui asseruit, quòd dum vivimus mutuò pro nobis orare possimus; postquam autem mortui fuerimus nullius pro alio exaudiatur oratio, contra quem arguit in hunc modum S. Doctor: *Cùm oratio pro alijs facta ex charitate proveniat, quantò Sancti, qui sunt in cælis, sunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt,* &c. Probatur *secundò*, quòd serenissima Virgo oret pro omnibus, & singulis in particulari; quia cùm cæteri Sancti omnium & singulorum hominum, in quibus versantur, necessitates, pericula, & discrimina in particulari non videant, ac cognoscant, regulariter loquendo, & præcisâ speciali revelatione, sed ea duntaxat, quæ ad proprium suum statum attinent: hinc eis pro omnibus & singulis orare, nisi implorentur, non competit, regulariter utique loquendo, *&c.* secus autem est de sanctissima Virgine, quæ omnium & singulorum hominum necessitates, & pericula in cælo intuetur; imò quæ videt, juxta piam ac probabilem sententiam, in Verbo, quidquid DEUS scientiâ visionis cognoscit, excipiendo actus interiores Christi Domini, cæteraque, quæ ad ipsum singulariter pertinent. Cur autem sanctissima Virgo omnium & singulorum necessitates agnoscat, plures possent rationes proferri: unicam duntaxat in præsenti insinuare, insistendo doctrinæ S. Thomæ, sufficiat. Cùm enim Beatis in cælo competat, videre & cognoscere quidquid ad statum illorum pertinet, omnia verò & singula ad DEIPARAM Virginem spectent: utique ei competet videre & cognoscere omnia & singula, quemadmodum de Christo tradit S. Doctor his verbis: *Nulli intellectui*

Non solùm in cõmuni, verùm etiã in particulari; quod tamen specialiùs cõpetit SS. Virgini.

Sancti in cælo, quò sunt majores, tantò magis orãt pro viatoribus.

Sanctissima Virgo in cælis intuetur ac cognoscit omnium & singulorũ hominum necessitates: secus dicẽdum de alijs Beatis ordinariè loquendo. Et quæ hujus diversitatis sit ratio?

3. *p. q.* 10. *a.* 2.

cui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant; ad Christum autem, & ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subjecta sunt omnia. Et idem dicendum videtur, proportione tamen servatâ, & exceptione semper positâ, quam paulò ante attulimus, de ejus sanctissima Matre, cælorum Regina, ac creaturarum omnium Domina.

Deipara V. cooperata fuit Filio suo ad hominum salutem.

Qua autem ratione omnia & singula spectent ad statum sanctissimæ Virginis, ex eo vel unicè colligi videtur, quod ipsa singulari modo cooperata sit Filio suo ad hominum salutem; ideòq; ad cæteros Sanctos comparatur, tanquam universalis causa, ad quam referuntur omnia, quæ ad singulos pertinent. Consulatur circa jam dicta præclarè differens noster Joseph à JESU-MARIA, in Historia *de vita & excellentijs SS. Virginis. lib. 5. cap. 37.*

Licet ipsa pro omnibus & singulis in particulari oret, specialiùs nihilominùs pro quibusdam sibi magis devotis.

TERTIÒ advertendū est; tametsi serenissima Virgo pro omnibus & singulis oret in particulari, eo modo, quo hactenus fuit expositum, specialiùs tamen pro quibusdam orare. Patet hoc imprimis ex eo, quod speciali affectu charitatis quosdam præ alijs prosequatur, eisq; benefaciat, uti *Cap.* 2. diximus. Ex proportione autem charitatis erga homines, metienda est oratio Beatorum in cælo. Constat *secundò* ex eo, quòd quædam sunt illi propria, non *communi* quadam ratione, uti ex mysterio Incarnationis ac Redemptionis nostræ paulò ante deducebamus, sed magis speciali, ac singulari quodam modo; sicut v. g. Religio aliqua, Societas vel Confraternitas in honorem ipsius directè ac primariò instituta, *&c.*

Præcognoscit semper effectum suarum orationum.

QVARTÒ advertendum, nonnullos asserere, Beatos in cælo prænoscere, juxta suum statum, eventus & effectus orationis suæ, cùm ad DEUM pro nobis orant; licet alij velint illos orare ignorando, quem effectum eorum oratio sit habitura, donec illum postmodum per revelationem divinam cognoscant. De Beatissima tamen Virgine id certò tenendum est, præcognoscere semper effectum suæ orationis, discrimina atque necessitates Christi Fidelium in Ecclesia militante concernentis: quia, uti diximus, videt omnia, quæ DEUS in Ecclesia operatur, infra Christi animam: proindeq; quando orat, novit quid DEUS facturus sit ob talem orationem; sicuti, proportione semper servatâ, ex eo, quòd sanctissima Christi anima, videt in Verbo omnia, quæ in omnibus temporum differentijs futura sunt,

præco-

præcognoscit sine limitatione, an DEUS facturus sit, quod orat.

QUINTÒ advertendum est, orationem ex eo, quod sit quædam petitio, propriam & peculiarem quoque aptitudinem sortiri ad impetrandum: petitio enim natura sua ad hoc ordinatur: unde oratio ex vi petitionis non habet efficaciam infallibilem, sed solum aptitudinem ad impetrandum. Aliundè igitur recipit suam infallibilitatem; nimirum ex peculiari promissione & misericordia divina, prout constat ex pluribus sacrarum litterarum locis, potissimum ex *Matth.* 7. & *Lucæ* 11. *Cap.*

Vnde orationi adveniat vis impetrativa?

Observandum *sextò* ac postremò per orationem non solum justificationem subsequentia dona, & auxilia divina impetrari posse, verum etiam primam gratiam. Cum enim juxta S. Thomam impetratio orationis sit secundum voluntatem DEI, qui oratur, ad illa omnia se extendit, quæ potestati divinæ ordinatè subsunt. Ubi advertendum S. Doctorem impetrationem reponere in libertate ac liberalitate DEI, non verò in aliqua obligatione justitiæ; nec per hoc tollitur infallibilitas seu efficacia impetrationis, sed solum innuitur, quod impetratio innititur principaliter & absolutè gratiæ & misericordiæ divinæ, & in ea non attenditur dignitas seu capacitas operis in gratia præstiti. Licet nonnulli velint etiam, concurrentibus omnibus conditionibus requisitis, impetrationem esse ex justitia, eò quòd sit veluti præmium debitum oranti, ratione factæ promissionis sub tali conditione, quam implet orans.

Quænam bona per orationem impetrari valeant?

Impetratio innititur principaliter gratiæ & misericordiæ Dei.

Ex his non erit difficilè respondere ad quæsitum hujus capitis. Diximus enim speciale auxilium DEIPARÆ Virginis, vi cujus sanctè promisit æternum non passurum incendium eum, qui ritè sacrum Scapulare illius gestarit, consistere in speciali ejusdem apud DEUM intercessione atq; impetratione; eo sensu, quo in tribus primis observationibus declaravimus: ita ut orando & specialiter intercedendo pro Confratribus suis, efficiat, ut æternam salutem consequantur, quantum est ex parte sua. Et in hoc sensu jam indè à temporibus S. SIMONIS nostri ad hæc usq; tempora hæc fuit revelatio exposita & intellecta, & per continuam traditionem nobis declarata. Ex quo præsùmendum videtur, ortum habere hanc expositionem, sive declarationem ab eodem S. Viro, cui, uti supra dictum est, hæc revelatio secundùm omnem suam rationem dilucidè manifestata fuit.

64.

In quo cõsistat speciale auxiliũ à Deipara Confratribus promissũ?

Quomodo SS. Virgo certiorem reddiderit S. Simonē de hoc speciali auxilio, ejusq; effectu?

Ex *quarta* observatione deducitur, DEIPARAM Virginem certiorem reddidisse Beatum SIMONEM de effectu specialis hujus suæ intercessionis ac impetrationis pro dictis Confratribus, dum eidem B. Viro dixit, *in quo quis moriens æternum non patietur incendium*: certiorem, inquam, reddidisse, non ex speciali sibi communicata revelatione, sed ex ea notitia, qua orando & intercedendo simul prænoscit in verbo suæ orationis & intercessionis eventum, velut quippiam ad suum statum pertinens: cum hæc Confraternitas sit ei pluribus titulis peculiaris & propria. Potest hoc deduci ex doctrina Angelici præceptoris, qui 1. p. q. 57. a. 5. differens de Angelis, docet mysteria gratiæ ab eis cognosci, non quidem per species innatas, sed in Verbo, ita, *ut Superiores Angeli perspicacius divinam Sapientiam contemplantes plura mysteria & altiora in DEI visione cognoscunt, quæ inferioribus manifestant, eos illuminando*; omnes tamen, juxta quod eorum statui & officijs congruit. Ex quo colligere est Angelos in Verbo cognoscere salutem eorum, qui ipsis à DEO ad custodiam commissi sunt; quandoquidem id eorum statui & officio congruat: Ita quoque sanctissima Virgo præcognoscens in Verbo ea, quæ Angeli & Sancti vident, jure meritò poterit alijs illa ipsa manifestare; potuitque B. SIMONI nostro vi hujus cognitionis revelare, morientes in sacro Scapulari, æternum non passuros incendium, cum hoc ipsum sit aliquid spectans ad peculiarem ejus statum, & propriam ejusdem in terris Confraternitatem.

Angeli in Verbo cognoscunt salutem illorū, quorum sunt tutelares. Et quid circa hoc dicendum sit de B. Virgine.

Ex *quinta* observatione sequitur, infallibile esse modo supra apposito, & infra exponendo Confratres nostros à pœnis inferni liberari. Ratio hujus est; quia hoc innititur beneficium orationi DEIPARÆ Virginis, quæ etiam universaliter sumpta annexam habet promissionem ad impetrandum, ex qua oritur hæc infallibilitas. Accedit, illud ipsum S. SIMONI nostro per DEIPARAM Virginem, in quam non cadit mendacium, fuisse revelatum.

Exponitur, quomodo possit esse infallibile Confratres B. Virg. nō damnari.

Et utrum hoc beneficiū consequi valeant peccatores? 2. 2. q. 83. a. 7. ad 3.

Ex *ultima* observatione infertur, non solum justos sed etiam peccatores & lapsos posse consequi hoc beneficium Mariani Scapularis nostri. Ratio ejus est, quia hoc beneficium fundatur in oratione & impetratione, qua non solum justis augumentum gratiæ, & perseverantia in bono obtineri potest; verum etiam lapsis ac peccatoribus gratia justificans. Appositè Angelicus Doctor: *Dicendum*, inquit, *quod*

pro

pro peccatoribus orandum est, ut convertantur; & pro justis, ut perseverent & proficiant.

Confirmatur hoc primò, ex communi Sanctorum & Doctorum sententia. Nam certum est posse Beatos in cælo, imò & viros justos & perfectos in terris primam gratiam, etiam auxiliantem, alijs impetrare. Unde S. Augustinus: *Si Stephanus*, inquit, *non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* A fortiori ergò de sanctissima Virgine censendum erit, suis orationibus & intercessionibus gratiam conversionis, & salutem æternam peccatoribus impetrare posse, adeoq; potiori adhuc ratione eam Confratribus nostris obtinere, utpotè pro quibus speciatim, ut diximus, & peculiariter orat.

Serm. 1. de S. Stephan. Possunt Sancti, & justi, alijs primā gratiam, etiā auxiliantē impetrare.

Pulchrè declarat hoc sanctus Germanus, licet argumentum in communi solum tractet. *Quis*, ait, *post tuum Filium ita curam gerit generis humani sicut Tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis tam citò præveniens, nos ab irruentibus liberat tentationibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Tu enim cùm habeas maternam apud tuum Filium fiduciam & potentiam, nos tuis interpellationibus & intercessionibus ipsi efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio. Omnia tua admirabilia sunt, ô DEIPARA, omnia supra naturam, omnia ingentia, & aliorum vires superantia, propterea & Patrocinium tuum majus est, quam intelligentiâ comprehendi possit.*

Serm. de Zona Virg.

Confirmatur secundò, nam status gratiæ non est simpliciter necessarius ad impetrandum. *Omnis enim, qui petit accipit*, id est, *sive justus, sive peccator*, ut optimè declarat S. Joan. Chrysost. seu N. Joan. Hierosol. *Hom. 18. in Oper. imp.* Et ratio favet, nam vis orationis in impetrādo nō desumitur ex dignitate personæ orantis, sed ex misericordia divina. Unde indignitas peccatoris nō potest obstare, quo minus is etiam infallibiliter quod postulat, impetret, quod egregiè more suo prosequitur S. Doctor 2. 2. q. 83. *art.* 16. & q. 178. *art.* 2. *ad* 1. Ex quo sic discurro ad propositum nostrum. Peccator ea, quæ sunt suæ salutis impetrat pro se, & orando consequitur ex misericordia DEI, quod petit, concurrentibus ad bonam orationem requisitis conditionibus; Ergo à fortiori justus, & extra statum peccati constitutus, præsertim verò SS. Virgo, quæ nullam planè unquam peccati labeculam habuit, poterit pro ipsismet peccatoribus longè efficaciùs exorare, atque impetrare salutem; & cur non etiam efficacissimè pro Confra-

Matth. 7. Status gratiæ non est simpliciter necessarius ad impetrandum.

tribus suis, etsi in statu peccati existentibus, cum & quando specialiter orat pro ipsis.

Quanta sit orationis D. Virg. efficacia?

Quantæ verò virtutis & efficaciæ sit apud DEUM Virginis Matris intercessio probat inter alios egregiè P. Joan. Bapt. Novatus, *Tom. 2. de Eminent. D. V. cap. 11. quæst. 1. & 6.* qui etiam *ibid. q. 2.* authoritatibus SS. Patrum & Doctorum, ac rationibus solidè confirmat solam DEIPARÆ intercessionem plus posse apud DEUM, quam intercessionem omnium Sanctorum collectivè sumptam. Hoc ipsum docet Pelbartus, inquiens: *Tantum eam DEVS dilexit, ut ipsa in omni petitione à DEO plus valeat impetrare, quam omnes Sancti & Angeli, ac tota Ecclesia mundi, quia ei nihil fas est negare, quæ tanquam Mater potest DEO imperare, & non tantum supplicare, sicut cæteri.* Et P. Suarez: [Si vera sunt (ait) quæ de charitate & gratia B. Virginis in superioribus docuimus, existimo à B. Virg. in hac potestate & efficacia non solum Sanctos singulos, sed omnem etiam cælestem Curiam superari. Itaque si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totamq; Curiam cælestem illi resistere (sicut apud Danielem unus Angelus alteri resistebat) potentior esset, majorisque efficaciæ & valoris apud DEUM Virginis, quam reliquorum Sanctorum omnium oratio. Et ita quidem sentiunt Sancti Patres paulò ante citati, estque dignitati *Matris* maximè consentaneum, & perfectissimæ gratiæ & charitati *B.* Virginis quodammodo debitum.] Idem deducit ac confirmat ex SS. Patrum doctrina nost. Joseph à JESU-MARIA, in *Opere supra cit.* plurieſque recuso Hispanicè & Italicè.

Tom. 2. in 3. p. disp. 23. sect. 2.

Excedit in ea omniũ simul Sanctorum orationes.

Ex histor. S. Dominici relata à Nonato *Tom. 2. c. 11. q. 2.*

Hujus quoque efficaciæ partheniæ ipsi inimici Virginis & nostri, dæmones inquam, sunt judices: qui à S. Dominico divinitùs compulsi (priusquam eos è corpore energumeni expelleret) edicere, *quisnam Sanctorum, post Christum Dominum, esset in cælis, quem dæmones magis formidarent, & quem homines magis colere deberent?* Responderunt post longas tandem tergiversationes prorsus inviti ac planè coacti, *neminem damnari, qui in MARIÆ cultu & obsequio perseverat: nam unicum suspirium ab ea, & per eam SS. Trinitati oblatum, superat & excedit omnium Sanctorum preces, & magis eam nos formidamus, quam omnes Sanctos Paradisi, nec contra fideles ejus famulos quidquam possumus prævalere.* Hinc post complures SS. Patres ac Doctores, (quorum nonnullos superiori capite produximus, ac permultos variis in locis suæ *Coronæ Anni Mariani*

Unicum suspirium D. Virg. superat preces Sanctorum omnium.

tiani refert noster Joannes Thomas) Gerson sapientissimus affirmat, quòd *Virgo absolutâ voluntate nihil petit à DEO, quod non obtineat.* *Tract. 6. super Magnif.*

Hoc luculenter confirmãt verba ipsius æternæ Veritatis, quibus apud S. Brigittam *lib. 1. revelat. cap. 50.* Virginem Matrem suam affatur, inquiens: *Benedicta sis Tu à me benedicto Filio tuo. Propterea nulla erit petitio tua ad me, quæ non exaudiatur, & per Te omnes, qui petunt misericordiam cum voluntate emendandi se, gratiam habebunt: quia sicut calor procedit à sole, sic per Te omnis misericordia dabitur,* &c. Ac rursus: *Tanta est mihi dulcedo in verbis Tuis, ut non possim negare, quæ petis,* &c. Rationem hujus, quâ Christus se affici dulcedine asserit, observatione dignam affert Theophilus Alexandr. *lib. de Incarnat. Verbi*, inquiens: *Gaudet Filius orante Matre, quia omnia, quæ nobis precibus suæ Genitricis evictus donat, ipsi Matri se donare putat, & acceptæ ab illa sine patre humanitatis vices reddere,* &c. Ac Gregor. Nicomed. *Tuam*, ait, *gloriam Creator existimat esse propriam, & tanquam Filius eâ exultans, & quasi exsolvens debitum, implet petitiones.*

MARIA nihil petit à DEO, quod non obtineat.

Delectatur Christus verbis & precibus Matris suę. *Orat. de oblation. Deiparæ.*

CAPUT XII.

Enodantur dubitationes ex præcedentis Capitis doctrina emergentes.

65.

IMPRIMIS videtur ex dictis sequi omnes & singulos, qui Parthenium gestant Ordinis nostri Scapulare non damnari, quod asserere planè absurdum atque temerarium esse constat. Id autem sequi patet: nam cùm hæc propositio, *In quo quis moriens,* &c. sit absoluta, nullam adjunctam habens exceptionem, oratio verò D. Virginis, in qua fundatur, sit impetratoria, quid obstabit, quo minùs omnes & singuli salventur?

RESPONDETUR, omnes & singulos Confratres nostros, quantum est ex parte Virginis, & adjutorij peculiaris per ipsam oblati salvari; sicut de Fide, Baptismo, Spe, alijsq; similibus, proportione semper servatâ, dictum est suprà, justificare & salvare ex parte sua; adeòq; temerè & insipienter diceret aliquis: Ego fidem habeo, quæ salvat, bona igitur opera necessaria mihi non sunt: quia illa ad salutem sufficit: quæ propositio hæretica est, & in Concil. Tridentino damnata, *sess. 6. Canone 9.*

Declaratur quomodo omnes Cõfratres salventur, saltem quantum est ex parte SS. Virginis, ejusq; peculiaris auxilij.

Scien-

Sciendum itaque, quòd etsi sanctissima Virgo possit impetrare peccatoribus statum gratiæ, non id fieri immediatè, & sine prævia convenienti dispositione, alijsq; ad justificationem necessarijs: similiter ad statum gloriæ desiderãtur alia ex parte hominis requisita, *&c.*

Vnde si ex hoc capite aliquod impedimentum intercedat, quantumcunq; oratio Divæ Virginis sit impetratoria, effectu carebit, & fallet promissio ejus de salute æterna respectu eorum, qui Scapulare gerunt Ordinis Carmelitarum. Appositè S. Doctor: *Contingit*, ait, *quandoq; , quòd oratio pro alio facta non impetrat, etiamsi fiat piè, & perseveranter, & de pertinentibus ad salutem, ob impedimentum quod est ex parte ejus, pro quo oratur: secundùm illud Hieremiæ 15. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

2. 2. q. 83. a. 7. ad 2.

Quare quandoq; orationes, etiã piè & ritè factæ non exaudiantur?

Nec valet dicere, quòd si adsint cætera ad salutem necessaria, frustra requiri SCAPULARE; nam cùm hoc beneficium SCAPULARIS fundetur in impetratione & adjutorio DEIPARÆ Virginis, idem planè hîc sentiendum est, respectu dictæ impetrationis & adjutorij sanctissimæ Virginis, ac de alijs rebus conducentibus ad vitam æternam, quæ juxta fidem Catholicam etiam in prædestinatis locum habent. Constat hoc ex D. Augustino: *Si qui sunt* (ait) *nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus; fortassis etiam sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur.* Item ex S. Prospero: *Quamvis*, inquit, *quod statuit DEVS nullâ possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositũ liberi arbitrij devotio relaxatur: cùm implendæ voluntatis DEI ita sit prædestinatus effectus, &c.* Præclarè verò hoc explicat S. Thomas 1. p. q. 23. a. 8. ubi quærit, *utrum prædestinatio possit juvari precibus Sanctorum?* & respondet in hunc modum: *Respondeo*, inquit, *dicendum, quòd circa hanc quæstionem diversi errores fuerint; quidam enim attendentes certitudinem divinæ prædestinationis, dixerunt superfluas esse orationes, vel quodcunque aliud fiat ad salutem æternam consequendam, quia his factis vel non factis, prædestinati consequuntur, reprobati non consequuntur. Sed contra hoc sunt omnes admonitiones sacræ Scripturæ exhortantes ad orationem, & ad alia bona opera.* Et nonnullis interjectis prosequitur: *Et ideò aliter dicendum, quòd in prædestinatione duo sunt consideranda: scilicet ipsa prædestinatio divina, & effectus ejus. Quantum igitur ad primum, nullo modo prædestinatio juvatur precibus Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum fit, quòd aliquis prædestinetur à DEO: quantum verò ad secundum, dicitur prædestinatio juvari precibus Sanctorum.*

Lib. de bono persever. cap. 22.

Lib. 2. de vocatione gentium. cap. 36.

Quomodo prædestinatio, precibus Sanctorum juvetur, exponitur.

ctorum, & alijs bonis operibus, quia providentia (cujus prædestinatio est pars) non subtrahit causas secundas, sed sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum subjaceat providentiæ: sicut igitur, sic providentur naturales effectus, ut etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent, ita à DEO prædestinatur salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur, &c.

Et alibi his consonat inquiens: *Non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus, quod DEVS disposuit per orationes Sanctorum esse implendum; ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis DEVS omnipotens ante sæcula disposuit donare.* Videatur etiam S. Doctor in *supplemento q. 72. art. 3.* 2. 2. q. 83. art. 2.

RESPONDETVR *secundò*, sacrum Scapulare, etiam in casu posito, non fore inutile; *primò*, quia illius intuitu, ut suprà diximus, DEIPARA Virgo abundantiora gratiarum auxilia Confratribus procurat, quibus adjuti bona opera exerceant; *secundò*, præter meritum bonorum operum Confratribus commune cum cæteris Fidelibus, vi boni operis, aliud sperare habent à DEIPARA auxilium titulo *Confraternitatis*, initiq; cum S. SIMONE nostro contractûs, cui sua ex parte tunc satis faciunt. Exponitur, quomodo etiam in casu suprapositio sac. Scapularis gestatio nõ sit inutilis?

RESPONDETVR *tertiò*, retorquendo argumentum. Dum Christus Dominus *Joan. 6.* proposuit ac commendavit sacræ Eucharistiæ virtutem & efficaciam, dicens: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* bona opera, aliaq; ejusmodi, quæ sine Eucharistia in re susceptа possunt sufficere ad salutem, minimè excluſit: num propterea inutilem dicemus Eucharistiam? Præterea Extremæ Unctionis Sacramentum, si citra contemptum negligentiamq; omittatur, salutem non impedit: Ergone superfluum existimabimus, eò quòd sine illo vita possit consequi æterna? Alia quoque hìc addi possent Mariani SCAPULARIS beneficia, ac privilegia, puta *participatio bonorum spiritualium Ordinis, Indulgentiæ, &c.* de quibus alijs in Partibus agemus, quæ gestationem sacri Scapularis etiam in supradicto casu non reddent infructuosam.

OBIICIES *secundò*: vel hæc propositio, *In quo quis moriens, &c.* intelligitur de solis prædestinatis, vel etiam de præscitis. Si primum 66.

primum dicatur, universaliter non erit vera, quia præscitos non comprehendit: si secundum, cum fundetur in efficacia speciali Orationis, & impetrationis beatissimæ Virginis, sequetur eam orasse pro præscitis, ut salventur, & quantum est ex parte ejus salvari, quod fieri nequit; quia esset aliquid velle & petere dissonum divinæ voluntati, & ejus decreto immutabili, ut patet, quod Beatis in cælo potissimum repugnat.

Dupliciter salutem aliorum petere ac desiderare possumus. *Ad Timot. 1. cap. 2.* Quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri?

Pro solutione hujus objectionis, advertendum est dupliciter posse justos, vel Beatos in cælo salutem aliorum petere ac desiderare, & pro ipsis orare. *Primò* ex affectu simplici, desiderando quantum est ex parte sua, ut salventur; non enim est hoc contra voluntatem divinam, cum etiam fateatur S. Paulus 1. ad Timoth. 2. c. *DEVM velle omnes homines salvos fieri*; quia quantum est ex parte sua, habet affectum ad salutem omnium hominum, sine ulla exceptione, quem affectum vocat S. Thomas 1 *p. q. 19. a. 6. ad* 1. ex S. Joanne Damasceno *voluntatem antecedentem.*

Alio modo possumus salutem alterius postulare à DEO ex affectu absoluto & efficaci, absolutè petendo, ut re ipsa salutem consequatur; quod præsertim contingit, quando præcognoscitur id esse conforme voluntati divinæ. Licitum ergo non est petere & orare pro præscitis absolutè & efficaciter, ut re ipsa salutem consequantur, quando constat esse præscitos; quia hoc jam esset contrarium divinæ voluntatis decreto. Licitum nihilominus erit orare ex affectu simplici & conditionato, subijciendo voluntatem nostram efficaci voluntati DEI; & per hoc non petitur, ut non adimpleatur voluntas divina: nam affectus simplex non ordinatur ad effectum re ipsa obtinendum. Et per hoc patet responsio ad argumentum.

Dices, Ergo dicta propositio: *In quo quis moriens*, &c. constat diversis sensibus, ijsque ambiguis; ideoque ambigua erit. *Respondetur*: passim hoc in sacra Scriptura deprehendi, plures enim reperiuntur sententiæ prædestinatis & reprobis communes, quæ nihilominus absolutè prolatæ verificantur, tametsi ad hoc requiratur, ut in diverso sensu, juxta Orthodoxam doctrinam accipiantur.

Matth. 20. Patet hoc manifestè ex illo Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Ubi vocatio asseritur communis electis & reprobis, cum tamen effectus prædestinationis sit vocatio, juxta Apostolum ad Roman. 8.

Quos

Quos prædestinavit, hos & vocavit. Effectus verò prædestinationis non possit esse communis reprobis, & electis: vera est tamen propositio, & de fide, nec difficultatem patitur, si juxta Sanctorum Patrum doctrinam dicatur, de solis prædestinatis intelligi, si pro vocatione, quæ est effectus prædestinationis, sumatur: de prædestinatis verò & reprobis simul, si pro vocatione, quæ est effectus providentiæ communis, capiatur. Aptius ad propositum nostrum Apostolus ad Titum c. 3. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per JESVM Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Quæ verba non parvam habent difficultatem; nam vel hic loquitur de electis simul & reprobis, vel tantum de electis: si primum, quomodo hæreditas vitæ æternæ reprobis addicitur, cum electorum sit propria, juxta illud ad Rom. 8. *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.* Si verò de electis solum agat, non videtur conforme fidei orthodoxæ; nam Christus meruit omnibus hominibus, tam reprobis, quam prædestinatis primam gratiam, sanantem naturam à lapsu peccati, de qua agit S. Paulus *loco citato.*: ac proinde reprobi justificati gratia ipsius hæredes esse possunt vitæ æternæ.

Quando & quomodo vocatio effectus sit prædestinationis?

Ad Titum 3. cap.

Ad hoc communis est responsio Sanctorum Patrum ac Theologorum, Christum omnibus tam reprobis, quam prædestinatis promeruisse primam gratiam ac vitam æternam, quoad sufficientiam, non verò quoad efficaciam, nisi solis prædestinatis; licet enim pro omnibus sufficiens meritum obtulerit, ita ut esset universalis causa, sive generale pretium, quo omnes uti possent, ut à servitute peccati liberarentur, & vitam æternam consequerentur; non tamen hoc promeruit omnibus, quoad efficaciam, quia non sic applicuit suum meritum, ut omnes infallibiliter talem effectum consequerentur, sed per media ordinata voluit applicari. Unde prædictus locus S. Pauli *ad Titum* 3. & de prædestinatis, atque reprobis simul potest intelligi, & de prædestinatis tantum. Si primum, tunc solum verificari potest, tam reprobos, quam electos quoad sufficientiam ex meritis Christi justificari, & vitæ æternæ hæredes fieri; si verò secundum, tunc verum est quoad efficaciam solùm electis sive prædestinatis hæc omnia obtingere; & ita passim alibi.

Christus omnibus tam reprobis, quàm prædestinatis promeruit gratiam & gloriã quoad sufficientiam, nõ verò quoad efficaciam, nisi solis prædestinatis.

67. PRÆTEREA *obiicies*, inter conditiones, quas oratio requirit, ut actu impetret, est pro se orare, non est ergo infallibilis impetratio sanctissimæ Virginis pro alio; adeoq; nec infallibiliter salvantur, qui gestant Scapulare sacrum Ordinis Carmelitarum.

NOTANDUM est orationem dici, & esse infallibilem in impetrando ex vi divinæ promissionis, uti *suprà* tetigimus. Unde sanctus Augustinus: Securi, inquit, de pollicitatione ipsius non deficiamus orando, & hoc ex ipsius beneficio est. Hæc autem promissio non est omninò absoluta, sed conditionata: quod vel inde constat, uti notat idem S. Augustinus, quia non omnia quæ petimus nobis conceduntur.

In psal. 95.

Tract. 73. in Ioann.

Requirit ergo conditiones aliquas oratio, quibus deficientibus, ex vi promissionis non impetrat, quia promissio conditionata, non impletâ conditione, non inducit obligationem; cùm conditionalis nihil ponat in esse; si verò habeat illas conditiones, tunc erit infallibilis impetratio; quia conditionalis impletâ conditione transit in absolutam.

Quatuor cõditiones necessariò requisitæ ad infallibiliter obtinendum, quod à DEO petimus.

Doctor Angelicus 2.2. *q.* 83. *a.* 15. *ad* 2. ad quatuor conditiones revocat orationis infallibilitatem in impetrando, *quibus, inquit, concurrentibus, semper aliquis impetrat quod petit; ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter.* quam quidem primam conditionem ideò exigit, quia ad effectum orationis consequendum non debet esse impedimentum ex parte nostra; unde quia in nobis ipsis facilè impedimentum omne possumus tollere, secus verò in alijs, requiritur ad impetrandum, ut pro nobis oremus. Explicat hoc variis in locis idem S. Doctor: *Contingit,* inquit ibid. a. 7. ad 2. *quandoq; quòd oratio pro alio facta non impetrat, etiamsi fiat piè, & perseveranter, & de pertinentibus ad salutem, propter impedimentum quod est ex parte ejus, pro quo oratur.* Distinctiùs id tradit in supplemento *q.* 72. *a.* 3. *Dicendum,* inquit, *quòd Sancti dicuntur dupliciter orare pro nobis. Vno modo oratione expressâ, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant. Alio modo quasi oratione interpretativâ, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu DEI existentia, non solùm eis cedunt ad gloriam; sed fiunt etiam nobis suffragia, & orationes quædam; sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus, dicitur veniam petere. Vtroq; autem modo Sanctorum orationes sunt quantum est in eis efficaces ad impetrandum, quod petunt; sed ex parte nostra potest esse defectus, quòd non consequa-*

Sancti dupliciter possunt pro nobis orare.

consequamur fructum orationis ipsorum, secundùm quod pro nobis orare dicuntur, ex hoc quòd merita eorum nobis proficiunt; sed secundùm quod orant pro nobis, votis suis aliquid nobis postulando semper exaudiuntur, quia non volunt, nisi quod DEVS vult, nec petunt, nisi quod volunt fieri: Quod autem DEVS vult semper impletur, nisi loquamur de voluntate antecedente secundùm quam vult omnes homines salvos fieri, quæ non semper impletur. Vnde nec est mirum, si quod Sancti volunt per hunc modum voluntatis interdum non impleatur.

Quando eorum pro nobis orationes exaudiantur, & quando non?

Ex his apparet, quomodo sit infallibilis impetratio sanctissimæ Virginis in orando, & consequenter, qua ratione sit infallibile non damnari eos, qui moriuntur in Mariano nostro Scapulari.

Quàm sit infallibilis & efficax in impetrando oratio SS. Virginis.

Primò enim quantum est ex se, semper est infallibilis beatissimæ Virginis impetratio, & inductiva salutis æternæ. Deinde infallibiliter etiam re ipsâ illam impetrat, adeòque efficax est, efficaciâ, quæ conjunctam habeat actualem salutem, si nullum aliunde fuerit impedimentum. quippe cùm aliæ tres conditiones ad impetrandum requisitæ, scilicet *piè, perseveranter, & conducentia ad salutem petere* non desint orationi sanctissimæ Virginis; si quarta etiam concurrat, transibit in absolutam impetratio conditionata, ut suprà dictum est.

Esto deficiat quarta conditio suprà assignata, &c.

Dices, deficit quarta conditio, quia pro alio hîc orat sanctissima Virgo, non pro se, quæ tamen una est & ipsissima ad impetrandum requisita conditio.

S. Thomas 2.2.q.83. art.7. ad 2.

Respondetur, ideò requiri ad infallibilitatem impetrationis, ut pro se oretur, non verò pro alio, quia quandoq; in alijs est impedimentum ad effectum orationis consequendum, quod non potest adeò facilè tollere is, qui orat, ut debitè alter disponatur. secus autem est, quando quis pro se orat, & tale impedimentum adest, quia potest illud faciliùs tollere, adeòq; se disponere ex divina gratia ad obtinendum effectum prædictum. Vnde si nullum interveniat impedimentum ex parte illius, pro quo oratur, non est cur sit fallibilis oratio. Idem quoque tradit S. Basilius in *Regulis brevioribus*. Patetq; ex illo Joannis 14. *Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* & sæpè alibi, ubi promissio est absoluta, id est, non solùm facta pro orante, sed etiam pro illis, pro quibus oratur. Quinimò, si satisfactio nostra pro alijs sit infallibilis, non est cur impetratio sit fallibilis, cùm expressiores sint promissiones in Scripturis de hac, quàm de illa: dummodo in illo pro quo oratur, non adsit impedimentum,

Regula 261.

tum, & in hoc sensu sunt intelligendi S. Augustinus *hom.* 73. & 107. & D. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 7. & 15. dum videntur negare infallibilem esse impetrationem pro alio.

CAPUT XIII.

Declaratur aliud fundamentum, ex quo oritur prædictum speciale auxilium DEIPARÆ *Virginis, &c.*

68. Utrum Beati quidpiam mereri valeant?

ADVERTENDUM est *primò* pro faciliori declaratione eorum quæ dicenda sunt, controversiam esse inter Theologos, an Beati in cælo mereantur de congruo, nam de condigno, secundùm ordinariam DEI legem, certum est non mereri. Complures antiquiores Theologi, quos refert Suarez *lib.* 12. *de merito cap.* 34. *num.* 4. ac nonnulli ex modernis, è quorum numero est Vasquez 1. 2. *disp.* 216. *cap.* 4. censuerunt posse Beatos sibi & alijs aliqua dona gratiæ vel accidentalis gloriæ de congruo mereri. Verùm S. Thomas, & cum eo reliqui ferè omnes Theòlogi sentiunt Beatos, sive Angelos, sive homines nihil sibi, aut alijs, neque etiam de congruo, mereri posse. Videatur S. Doctor 1. *p. qu.* 62. *a.* 9. *& in solut. ad* 2. *&* 3. & 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. *ad* 1. verùm quidquid sit de hac controversia, quam idem P. Suarez, qui consuli poterit, *loco sup. cit.* eruditè discutit ac resolvit, ambigendum non est, posse Beatos in cælo & altera vita suis antecedentibus, sive hujus vitæ meritis nobis patrocinari & adjuvare, atq; adeò eadem merita nobis de congruo prodesse, ut docet S. Thomas in 4. *dist.* 45. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 4. Et consentiunt SS. Augustinus, Leo Papa, alijq; Patres, & Doctores Theologi.

Lib. 21. *de Civit. Dei, c.* 27. *Serm. de SS. Petro & Paulo.*

Secundò advertendum est præter meritum perfectum filiorum DEI, quod *de condigno* vocatur, dari aliud meritum minùs perfectum, quod *de congruo* Theologi appellant, juxta mentem SS. Patrum, ac præcipuè Augustinum & D. Thomam. Hoc verò meritum de congruo probabiliter distinguitur ab impetratione; meritum enim de congruo, præcisè sumptum fundatur in dignitate & bonitate operis, quatenus in obsequium & honorem DEI cedit, impetratio verò in bonitate

Lib. de prædestin. 1. 2. *q.* 114. *a.* 6.

Duplex datur meritum; &

bonitate & liberalitate DEI exaudientis; qui proinde preces exaudiendo ut sic solùm donare, non autem retribuere vel remunerare dicitur.

quomodo ab impetratione distinguatur?

Tertiò observandum est, quòd ad merendum alteri de congruo necessaria sit quædam operantis relatio, opus suum referentis in commodum alterius; nam opus bonum ex se non refertur in commodum alterius, sed solùm in commodum & bonum ipsius operantis: cùm hoc tamen stat, merita quæ Sancti habuerunt in hac vita, nunc posse nos adjuvare de congruo, etiamsi illi sua opera ad illos effectus promerendos peculiari affectu non obtulerint; quia ad merendum hoc modo satis est generalis affectus charitatis, quo cupiunt justi suis meritis prodesse omnibus, quantum in ipsis est; ut patet ex illo *Geneseos* 18. capite: *Si invenero in Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.* ubi specialem illos justos in operibus suis relationem ad hunc effectum habuisse, credibile non est.

Quid necessarium sit ad merendum alteri de congruo?

Quartò observandum est, ex doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 114. *art.* 6. & sequentibus, per meritum de congruo posse justum promereri alteri plura dona supernaturalia ad salutem conducentia æternam. Cujus rationem reddit S. Doctor *loco cit.* his verbis: *quia homo in gratia constitutus, implet DEI voluntatem, congruum est secundùm amicitiæ proportionem, ut DEVS impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoq; possit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis Sanctus justificationem desiderat.* Hanc eandem doctrinam tradit S. Augustinus, & *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. & *lib.* 21. *de Civit. Dei c.* 27. Inter hæc verò dona supernaturalia, quæ justus alteri promereri potest, merito recensentur remissio peccatorum, uti docet S. Thomas *loco cit. ad* 1. & colligitur ex illo *Matth.* 9. & *Lucæ* 5. cap. *Videns IESVS fidem illorum dixit Paralitico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua;* in quæ verba S. Ambrosius: *Magnus*, ait, *Dominus, qui aliorum merito ignoscit alijs, & dum alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cùm apud DEVM servus, & interveniendi meritum, & jus habeat impetrandi.*

Merito de congruo potest quis proximo plura dona supernaturalia promereri.

Lib. 5. *ad c.* 5. *Luca.*

His præmissis, facilè intellectu erit, quomodo dicatur ille æternum non passurus incendium, qui ritè sacrum Scapulare gestat, & in eo moritur. Etenim dubium non est, quin sacratissima Virgo

69.

multa

Permulta & varia beneficia SS. Virgo in terris posita hominibus de congruo promeruit, & nunc obtinet in cælis.

multa & varia hominibus beneficia merito de congruo promeruerit in vita, & modò obtineat ex præcedentibus suis meritis in cælo. Si enim, ut diximus *suprà* ex S. Thoma, ex eo, quod homo in gratia constitutus implet DEI voluntatem, congruum est, secundùm amicitiæ legem ac proportionem, ut DEUS impleat hominis voluntatem in alterius salvatione, profectò præ omnibus mirum in modum hoc debet competere eidem DEIPARÆ Virgini, cùm divinam voluntatem præ Sanctis omnibus longè perfectissimè semper adimpleverit, ideòq; ad sublimissimum inter omnes puras creaturas gratiæ & amicitiæ cum DEO gradum elevata fuerit. Hanc ineffabilem sanctissimæ Virginis gratiæ sublimitatem & plenitudinem, imò abyssum sancti Patres unanimi consensu, animisq; præ admiratione suspensis, miris celebrant encomijs. S. Joannes Damascenus vocat illam *Gratiæ abyssum*. *Gratia*, inquit S. Epiphanius, Beatissimæ *Virginis immensa*. S. Bernardinus Senensis appellat, *Abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritûs sancti*. S. Anselmus: *Quid amplius dicere possum Domina? immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare incipienti, sensus deficit, lingua fatiscit*. S. Bonaventura: *Immensa*, inquit, *fuit gratia quâ ipsa fuit plena*. & ita sancti Patres passim loquuntur de hac sanctissima Virgine post oraculum Angelicum, *Ave gratia plena*. *Et benè sola gratiâ plena dicitur*, ait S. Ambrosius in Lucam lib. 2 cap. 1. *quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiæ repleretur Authore*. Subdit D. Hieronymus Tom. 9. Epist. 10. ad Paulam: *Et benè plena, quia cæteris per partes præstatur, MARIÆ verò infusa se tota infudit plenitudo gratiæ*. Sexcenta similia testimonia SS. Patrum idem asserentia hic adduci possent, quorum diffusam seriem Lector reperiet in Opere inscripto, *Corona Anni Mariani*, mense Septembri, *&c.* à nostro *Ioanne Thoma à S. Cyrillo*, Coloniæ primùm edito, & auctiùs recuso Salisburgi.

Quid senserint SS. Patres de sublimitate ac plenitudine gratiæ B. Virginis? *Orat. 2. de dormition. Virg. Orat. de laud. Virg. Serm. de Nativ. B. V. Lib. de excellent. V. cap. 8. In Speculo B. Mariæ lect. 5.*

Nec deest ratio, quæ id persuadeat & confirmet. Nam certum est, juxta complures Doctores ac Theologos sanctissimam Virginem in primo instanti suæ conceptionis ampliori ac perfectiori gratiâ fuisse donatam, quàm supremum Angelum in sua creatione, & sanctificatione. Sed hæc eadem Virgo non paucis, ut ille, sed innumeris atq; continuis toto vitæ decursu, septuaginta duorum annorum spatio, juxta veriorem sententiam, actibus perfectissimis, & ex toto

conatu

conatu atque viribus, & intensione præcedentis gratiæ & charitatis elicitis, ejusdem gratiæ augmentum & perfectionem promeruit: debet proinde fuisse quasi immensum illud ipsum gratiæ augmentum; imò immensissimum fuisse intrepidè, audenterq; affirmat Seraphicus Doctor S. Bonaventura *loco suprà cit. lect.* 5. inquiens: *Gratia MARIÆ, gratia verissima, gratia immensissima, gratia multiplicissima,* &c. Immensitatem quoque & supereminentem excessum gloriæ ejus, cujus semen est gratia, optimè elegantissimèq; describit, ex recentiori quodam DEIPARÆ amoris cultusq; studiosissimo, noster Franciscus à JESU-MARIA *Tom.* 2. commentar. in Apocalyps. *cap.* 19. *sect.* 3. his, mysterijs gravidis, verbis: *Candidè & ingenuè profiteamur, gloriam ac beatitatem MARIÆ longè ampliorem esse gloriâ Sanctorum atq; Angelorum omnium: tantòq; excedere, quantò vasta cœli totius circumferentia punctulo uno diffusior est, quantò splendidum solis jubar exiguâ candelæ luce est luminosius, quantò vastus oceanus unâ aquæ guttulâ, & totus terræ globus pugillo pulveris est corpulentior.* Et alibi: *Multi Sancti, ac plerique Doctores affirmant Virginem Matrem plus gloriæ solam adeptam esse, quàm omnes Sancti, Angeliq; simul: adeò ut si posset singulorum gloria conglobari, & in quadam quasi libra cum DEIPARÆ Virg. sola gloria ponderari, tantum hæc propensura esset, ut terram & mare posset deprimere.* Ita ille. Et quod ipse de gloria, idem quoq; de gratia asserendum est. Francisco jungo Josephum à JESU-MARIA, pietate Marianâ ac sacrâ facundiâ ei supparem: qui in Opere suprà laudato *lib.* 5. *cap.* 31. & 32. pereleganter de his discurrit. Videantur etiam nost. Elias à S. Teresia in *Legatione Ecclesiæ Triumphantis ad militantem lib.* 2. *cap.* 10. & præfatus P. Joan. Thomas lib. *de laudibus S. Annæ Cap.* 21. *num* 26. & ab illo citati Authores.

Quàm immensa ejus sit gloria?

Jam verò quod attinet ad impletam DEI ab eadem sanctissima Virgine voluntatem in summè excellenti, & heroico prorsus gradu, nemo sanæ fidei de hoc dubitare poterit. Quod egregiè inter alios docet S. Bernardinus his verbis: *Adfuit illi ardor charitatis eo modo, quòd mens illius in ardore dilectionis continuè tenebatur; DEVS enim illius menti se mirabilissimè intimabat, omnesq; ejus potentias inferiores subditas, sub rationis imperio continebat. Aderat illi objectum Divinitatis, eò quòd semper habuit continuum aspectum ad DEI beneplacitum, promptumq; consensum semper gerebat in mente, divina beneplacita adimplendi. Unde in ipsius persona ajebat Propheta: Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Et rursùs: *In*

Tom. 2. *serm.* 51. *art.* 2. *c.* 1.

Virginis voluntate tantâ pulchritudine divinus amor influxus est, quod nihil eligere vellet, nisi quod DEI Sapientia præmonstrabat. Hoc ipsum S. Brigittæ per Angelum revelavit DEUS: *In eodem puncto*, inquit, *quo gloriosa Virgo primò DEI cognitionem habuit, ejusdem Virginis benedicta voluntas DEI servitio se subjecit; nam omnia, quæ ipsi DEO placere cognovit, delectabiliter sibi perficere placuit.*

Hinc jam deducere manifestè poterimus sanctissimæ Virgini excellentissimè competere meritum de congruo respectu totius generis humani. Quippe cùm in excellentissimo supra omnes puras creaturas gradu gratiæ sit constituta, & DEI voluntatem perfectissimè semper adimpleverit, congruum planè est, ut etiam DEUS ejus voluntatem circa hominum salutem adimpleat. Quod certè unanimiter SS. Patres significarunt; & imprimis S. Augustinus inquiens: *Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti MARIA: Eva occidendo obfuit, MARIA vivificando profuit: illa percussit, ista sanavit.* S. Chrysologus: *Una puella sic DEVM in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, vitam gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius DEI cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione.* Deinde: *Ipse*, inquit, *Angelus miratur omnes homines vitam meruisse per fœminam.* Sanctus Anselmus, *Scimus*, inquit, *Beatam Virginem tanti esse meriti & gratiæ apud DEVM, ut nihil eorum, quæ velit efficere, possint aliquatenus effectu carere.* Consentiunt SS. Ephrem *Orat. ad sanctissimam Virg.* Germanus *de Zona Virginis.* Damianus *de Annuntiatione.*

Serm. 35. *de Sanctis.*

Serm. 140.

Serm. 142.

Quod si hæc vera sint spectatâ rei naturâ, quid dicendum erit in particulari casu nostro, ubi specialis de hoc revelatio, & Mariæ voluntatis significatio adest? Enimverò specialiter illa per revelationem B. nostro SIMONI exhibitam, quam suprà divinam fuisse ostendimus, significavit, eos, qui sacro Carmelitarum Scapulari insigniti fuerint, æternum non passuros incendium; cujus promissionis veritatem non immeritò refundimus in meritum sanctissimæ Virginis de congruo: quandoquidem juxta S. Anselmum suprà citatum, ex vi hujusmodi meriti, possit efficaciter pijssima Virgo præstare & promittere, quæcunq; voluerit. Neq; ad hoc necesse est novo sanctissimæ Virginis merito, aut speciali relatione, qua in hoc mundo obtulerit opera sua, ordinaveritq; ad tale beneficium obtinendū pro Confratribus sacri Scapularis. quia ultra id quod omnibus prodesse voluit,

Ex cõgruo Deiparæ Virg. merito procedit speciale auxilium, quo mediante Confratres ejus æternũ non patientur incendium.

voluit, & omnium salutem procuravit, quantum in ipsa fuit, juxta SS. Patres, singularis est ratio respectu eorum, qui ritè gestant hunc habitum Virgineum, adeòq; isto modo potuit tale beneficium illis de congruo promeruisse. Nam ex eo, quod speciali filiatione conjunxerit sibi Virgo Mater eos, qui prædictum suum habitum gestant, promeruit quod specialiter ijsdem DEUS benefaciat, etsi in vita sua nihil de hoc cogitaverit, dum meritoriè operabatur, quia implicitum seu præsumptum ejus desiderium ad hoc sufficit: uti de justis in universum annotat P. Suarez. Accedit quod, uti dicebamus, specialis de hoc adsit revelatio, per quam sanctissima Virgo voluntatem suam distinctè & expressè declaravit, atq; ideò sicut ex *Genesi* 18. colligimus, quod DEUS civitatibus Sodomorum propter decem justos, si intra eas inventi fuissent, pepercisset, tametsi opera sua ad eum finem prædicti justi non retulissent, sufficiente nobis ad hujus rei veritatem divino testimonio: ita sanè cum serenissima Virgo declaraverit & revelaverit non passuros sempiternum incendium, qui sacro Scapulari investiuntur, & requisitas ab ea adimplent conditiones, tametsi illa specialiter ad hunc finem in vita sua non fuisset operata, sufficere nobis debet tantæ Virginis & DEI Matris testimonium.

Dicet aliquis, dubium non esse quin potuerit prædictis Confratribus necessaria ad salutem beneficia promereri DEIPARA Virgo ex merito congruo; verùmtamen ejusmodi meritum non habere certum & infallibilem effectum, adeòq; ex vi talis meriti non posse absolutè verificari, quòd æternum non patientur incendium, qui sacrum ejus Scapulare gestaverint; sed potiùs congruum duntaxat hoc esse, nullatenus autem debitum ex justitia. Huic dubitationi in sequenti Capite satisfaciemus.

CAPUT XIV.

Satisfit difficultati ex superiore Capite procedenti.

PRo resolutione difficultatis propositæ in fine præcedentis Capitis, advertendum est *primò*, meritum *de congruo*, tametsi perfectionem meriti *de condigno* non attingat, in suo tamen ordine esse verum meritum. Ratio est, quia de 70.

ratione meriti solum est, ut sit opus bonum & dignum, cui retributio aliqua ex quodam debito respondeat, ut constat ex SS. Patribus Augustino, Prospero, Fulgentio, & alijs. Meritum verò de congruo involvit aliquam rationem debiti, quod sufficit ad excludendam liberalem & omninò gratuitam donationem; adeòq; quod ex hujusmodi merito datur, non donari sed retribui dicitur, prout non semel loquitur Augustinus contra semipelagianos; imò *mercedem* vocat, quod sic retribuitur; *Lib. de Prædest. Sanctor. cap.* 2. Relinquitur proinde, quod meritum de congruo habeat rationem veri meriti, quia non metaphoricè, sed per aliquam proprietatem tale est.

Cap. 3. *Retract. Dub.* 3. *ad excerpt. Genuens. Lib. de Incarnat. & grat. c.* 18.

Secundò advertendum est, quòd meritum de congruo respectu alterius, id est, quando aliquis meretur alteri nititur maximè, & ut plurimùm in conditione merentis & operis ejus, adeòq; potissimùm sanctitas personæ merentis attenditur, juxta illud D. Ambrosij: *Si diligis Dominum DEVM tuum, non solùm tibi, sed etiam alijs poteris emereri.* Ratio verò hujus est, quia hoc meritum magna ex parte fundatur in lege amicitiæ inter DEUM & operantem, adeòq; prærequirit charitatem & sanctitatem in operante: Ex quo sequitur eum, qui majori cum DEO amicitiâ & charitate conjunctus est, faciliùs pro alijs emereri, & efficaciùs obtinere, quod promeretur.

Lib. 7. *in Luc. c.* 11.

Id quod redditur à Deo ratione meriti de cõgruo nõ ex gratitudine, misericordia, aut liberalitate, sed ex quadam Dei justitia cõfertur. & quænam illa, enucleatiùs exponitur.

Tertiò notandum est, id quod redditur sive retribuitur, ex vi meriti de congruo, non reddi vel retribui à DEO ex virtute gratitudinis; nam hoc repugnat DEO, uti potest colligi ex D. Thom. 2. 2. *q.* 106. neque misericordiæ, aut liberalitatis; quia meritum de congruo, ut dicebamus suprà, cùm sit verum meritum puram gratiam seu gratuitam donationem excludit, in quantum tale: ideòq; retributio, quæ fit à DEO intuitu meriti de congruo pertinet juxta probabilem sententiam ad quandam DEI justitiam, quam D. Anselmus in *Prologo cap.* 10. *& seqq.* & S. Thomas 1. *part. q.* 21. *decentiam divinæ voluntatis* seu *providentiæ* appellant, atq; alij, inter quos P. Suarez *Tract. de divina Iustitia*, sect. 4. *Iustitiam generalem*, aut *quasi legalem*, seu *Iustitiam providentiæ*, aut *providentialem* vocant: eamq; varijs modis & exemplis exponunt. Ad hanc justitiam pertinere volunt, eminentissima gratiæ, scientiæ, ac virtutum ornamenta humanitati Christi collata, ratione unionis Hypostaticæ: in illis enim conferendis non solùm respexit DEUS rationem misericordiæ & liberalitatis, verùm maximè

maximè exigentiam quandam & condecentiam VERBI uniti: quæ tanta est, ut censeatur maximè pertinere ad divinam Sapientiam non aliter naturam assumere. Eadem etiam ratione ad hanc generalem Justitiam spectat retributio meriti de congruo: actus quippe remunerandi meritum de congruo seu benefaciendi intuitu illius, & cum proportione ad illud est hujus justitiæ maxime proprius. quia esto non attingat rationem propriam, obligationemq; Justitiæ divinæ particularis, quam in remunerando merita de condigno observat, servat nihilominus modum aliquem Justitiæ, quatenus respicit aliquale debitum in operibus fundatum, atq; æquitatem quandam respectu illius observat. Alij paulò aliter hoc explicant, asserentes ad hanc *providentialem Justitiam* spectare præmium pro merito de congruo reddere; tum ratione amicitiæ DEUM inter & personam alteri merentem intervenientis: tum ratione operis, bonitatem talem in se habentis, quæ sufficit ad hoc, ut deceat DEUM intuitu ejusmodi operis beneficium aliquod homini reddere. Attributum igitur divinum nostro intelligendi modo inclinans divinam voluntatem ad reddendum præmium ratione meriti de congruo, *Justitia* appellatur: licet enim in hoc non operetur ex debito propriæ Justitiæ; ideòq; propria Justitia minimè sit, imitatur tamen illam aliquale debitum, uti dictum est, respiciendo.

Declaratur quænam ad generalem sive providentialem DEI Justitiam pertineant.

Quartò animadvertendum est, non esse contra naturam meriti de congruo, quod in promissione DEI fundetur. Ratio hujus est, quia ex tali promissione non resultat statim proprium Justitiæ particularis debitum, quale ex merito de condigno resultat. Nam præter promissionem requiritur operis condignitas, secundùm æqualitatem proportionis ad ejusmodi meritum de condigno, seu præmium; solum ergo resultabit ex merito de congruo, si adsit promissio, debitum fidelitatis, ultra debitum congruentiæ & decentiæ seu Justitiæ generalis suprà expositæ, quod negare DEUS non potest; quia neque infidelis, neque injustus esse potest, cùm *seipsum negare non possit*, uti Paulus ait. Hinc P. Suarez multiplex meritum de congruo distinguens, ait: *Primò meritum de congruo quoddam est habens adjunctam promissionem; aliud verò esse potest illâ carens. Secundò meritum de congruo quoddam est habens infallibilem retributionem, quia saltem sine infidelitate negari non posset*, &c.

Utrum meritum de congruo necessariò excludat promissionem DEI? 2. *ad Tim.* 2. v. 14.

71. His præmissis & suppositis, tripliciter satisfacere possumus propositæ difficultati. *Primò* quidem ex secunda suppositione sive observatione in principio hujus Capitis adductæ; nam, uti vidimus, crescit & augetur meritum de congruo, consequenter debitum inde resultans, ex dignitate operantis, sive pro altero merentis, potissimùm verò ex proportione amicitiæ, *&c.* Quæ verò unquam major dignitas, vel intimior proportio amicitiæ fuit, quàm sanctissimæ Virginis cum DEO? sive enim amicitiæ leges ex Philosopho, aut D. Thoma consideremus, sive singulariter SS. Patrum testimonia ponderemus circa mutuum sanctissimæ Virginis cum DEO amorem, profectò nullibi præstantiùs, aut perfectiùs illas aut hunc extitisse reperiemus. Sufficiat pro hoc loco, ut brevitati studeamus, referre in hujus veritatis testimonium S. Bernardum, qui mirificè amicitiæ hujus magnitudinem descripsit, referente S. Bonaventurâ his verbis: *Quis dubitare*, inquit, *poterit omninò in charitatis affectionem transisse visceru MARIÆ, in quibus ipsa quæ DEVS est charitas novem mensibus corporaliter requievit.* Ex quibus apparet, MARIAM non tam amasse dicendam esse, quàm dilectionis & amicitiæ naturam induisse. Uti scitè deducit S. Ildephonsus, *MARIAM velut ignis ferrum*, inquit, *Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit; ita ut in ea Spiritûs sancti flamma tantùm videatur, nec sentiatur, nisi tantùm ignis amoris DEI*, &c.

Lib. Ethic. 2. 2. q. 25. a. 7.

Quanta fuerit SS. Virginis in Deum amor & amicitia; & reciprocè Dei erga illam, demõstratur.

Oratione 1. de Assumpt.

De reciproca verò DEI erga sanctissimam suam parentem dilectione dubium non est, quin intensissimè eam priùs, & sine interruptione dilexerit. Duo quippe hæc, inquit Gregorius Nyssenus, ad invicem transeunt. Et S. Anselmus: *Ostendit ergo*, inquit loquens de Christo respectu Virginis, *ipse priùs amorem, quem habebat erga Matrem Virginem, & amorem, quo nullum putemus esse posse majorem.* Et infrà: *Quid ergo hîc dicemus? Estne putatis, ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam DEVS ad hanc Virginem habuit, queat penetrare? potestne, quæso, ullus hominum & Angelorum istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitatis honoris illius quidquam cogitatu percipere comparabile?* Ex his & aliis tam libus quàmplurimis, apparet summam & supremam fuisse inter DEUM & Virginem Matrem amicitiam, quam paucis verbis eleganter S. Bonaventura comprehendit in hunc modum: *Quid mirum*, inquit, *si prę omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta?* Quapropter cùm tanta inter DEUM & Virginem Matrem amicitiæ ratio & proportio inveniatur,

Orat. 6. in Cantica.

Lib. de excellentia Virginis. c. 4.

In Speculo B. Mariæ lect. 6.

quæ

quæ, uti cum Anselmo dicebamus, major esse nequit, Maternitatem DEI in eadē Virgine potissimùm attendendo, tantum debuisse & potuisse promereri pro alijs merito de congruo videtur, quantum puræ creaturæ possibile fuit; adeòq; ad certitudinem & infallibilitatem omnimodam moraliter loquendo pervenit, obtinendi re ipsa, quæ ita emeruit. Potuit ergo in hoc sensu eadem sanctissima Virgo certiorem reddere B. SIMONEM nostrum, ex vi prædicti meriti, de salute æterna Confratrum nostrorum, licet, uti dictum fuit, possit tale habere meritum nonnunquam impedimentum ex parte illorum, quoad hunc suum effectum.

Quantum ratione hujus amicitiæ merito de congruo pro alijs emereri potuerit? ideòq; æternam salutē Confratribus &c. promittere.

Nec refert, quod hæc certitudo & infallibilitas, quantum est ex hoc capite, sit solummodò moralis. Nam hæc sufficit, uti patet ex varijs sacræ Scripturæ locis. Joan. 3. c. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ibidem: *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus.* Ad Rom. 8. *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita*, &c. *poterit nos separare à charitate DEI.* Hæ & similes propositiones veræ sunt, & de fide, & tamen in morali solùm certitudine fundantur.

Accedit quoque ad hanc certitudinem moralem, certitudo quasi physica, quæ fundatur in bonitate ipsius operis de congruo meritorij, ratione cujus præmium redditur ex Justitia in DEO providentiali seu generali, ut diximus in animadversione tertia. Nec obstat quod ex sola divina promissione oriatur verè & propriè certitudo præmij reddendi; nam bonitas operis, quatenus ex gratia procedit, proportionem habet ad præmium, adeòq; vim habet, ut ex ea sequatur præmium: sicut semen habet vim connaturalem & proportionatam intrinsecè, ut ex ipso nascatur arbor, licet actu & formaliter longè sit minus arbore; uti docet S. Thomas *1.2.q.114. art. 3. ad 3.*

Ex quo consequitur opus meritorium de congruo, spectatâ ejus bonitate, habere quasi physicè effectum certum & infallibilem, ex vi proportionis ad præmium: *proportionis* dico, non æqualitatis seu condignitatis, sed congruitatis & condecentiæ. Et licet seclusâ DEI promissione, prout in præsenti loquimur, possit non sequi effectus, sive præmium meriti de congruo, sufficit tamen certitudo sive infallibilitas ex vi prædictæ proportionis resultans ad verificandum,

quòd

quòd effectus meriti de congruo sit certus & infallibilis, quantum est ex se, tametsi eum possit negare DEUS sine injustitia. Quia illa condecentia Justitiæ, quæ videtur esse in creatura respectu rei sibi congruentis est particularis, quæ propter aliam universalem prætermitti potest sine injustitia, etiam in rectitudine illius Justitiæ.

Applicando igitur hæc omnia ad materiam præsentem, dicimus certum omninò esse *ritè* morientem in Mariano Scapulari æternum non passurum incendium, quantum est ex efficacia & infallibilitate meritorum sanctissimæ Virginis de congruo, præcisè stando intra limites ejusmodi operum secundùm suam bonitatem, seclusâ DEI promissione sumptorum.

Nec obest sequi posse taliter morientem damnari, sufficit enim ad prædictam veritatem, quòd merita Virginis quantum ex se hoc requirant & exigant, licet aliundè impediatur talis effectus.

72. Postremò tandem directè possumus satisfacere prædictæ difficultati, nempe ex vi promissionis divinæ, ex qua oritur omnimoda certitudo præmij conferendi, uti in ultima animadversione explicuimus. Cæterùm, uti apertè constat ex revelatione S. SIMONIS nostri, & latè suprà ostendimus, adest hîc promissio & voluntas expressa beatiss. Virginis circa salutem æternam eorum, qui *ritè* moriuntur in Scapulari Parthenio, quæ voluntas non potest non esse conformis voluntati divinæ, uti patet. Reducendo ergo hanc promissionem Virginis ad merita ejusdem, in quibus illa fundari potest, præsupponenda est omninò DEI voluntas acceptandi, vel ordinandi illa eadem merita ad hunc effectum; quæ acceptatio sive ordinatio promissionem involvere censetur: cùm hæc duo moraliter non separentur, uti notat ex opinione communi Theologorum P. Suarez *loco citato de merito. c.* 18. *n.* 1. Videtur ergo, quod aliqua DEI promissio hîc intervenerit, quæ licet aliter nobis non innotescat, non tamen repugnat, neque ex parte DEI, neq; ex parte meriti de congruo; imò multum facit ad firmandam promissionem Virginis. Præterea esto adeò expressa non sit, sufficit tamen ad certitudinem sive infallibilitatem salutis æternæ, quatum est ex parte ejus. Sicut juxta Augustinum *lib.* 1. *Retract. c.* 22. & *lib.* 19. *contra Faustum cap.* 31. sufficiens fuit promissio facta justis in veteri testamento de regno cælorum, etsi non adeò expressa, proportione tamen servatâ, &c.

CAPUT

CAPUT XV.

Tertium Fundamentum, ac ratio particularis auxilij DEIPARÆ Virginis in liberandis Confratribus suis ab infernali incendio aperitur & exponitur.

SUPPONENDUM est *primò* ex Doctoribus Juris, Bartholo *lib. 1. § per hanc. ff. de rei vendicat.* Covarruviâ *Regul. peccatum part. 2. §. 9. n. 8.* & alijs, Dominium universaliter sumptum, dividi in *Dominium Iurisdictionis* & *Dominium proprietatis.* Dominium Jurisdictionis est quædam potestas, seu facultas alicujus authoritatem & eminentiam super alios habentis, in ordine ad eorum regimen & gubernationem: estq; duplex, Ecclesiasticum seu spirituale super animas; & temporale seu politicum ad civilem administrationem spectans. Dominium proprietatis non solùm dicit potestatem & Jurisdictionem in rem aliquam, sed ita eam subijcit & mancipat Domino, ut de illa liberè disponere, uti, ac alienare sine injuria cujusvis, nisi lege prohibeatur, possit: quod sanè Dominium Jurisdictionis non dicit. Nec enim Rex aut Princeps est Dominus domûs aut fundi, quem subditus possidet, sed ipse subditus; nec subditi ut mancipia Regi aut Principi addicta sunt, sed Vasalli vocantur. Relicto verò hoc Dominio proprietatis, de quo plura dici possent ad laudem DEIPARÆ, nisi à præsenti instituto aliena forent, de Dominio Jurisdictionis duntaxat hîc agemus. Et ut ijs, quibus Juris termini minùs noti sunt, nos accommodemus, hoc Dominium potestatem vel imperium nuncupabimus, non verò Dominium, relicto hoc vocabulo pro Dominio proprietatis.

73. Dominium est duplex, Jurisdictionis scilicet & proprietatis. Exponitur utrumque.

SUPPONENDUM est *secundò*, quòd Christus Dominus etiam ut homo, præter regiam potestatem, civilem & politicam, quam habuit super omnes Reges & Principes, quâ licet usus non fuerit, uti nihilominùs liberè potuisset: præter, inquam, hujusmodi potestatem obtinuerit spirituale dominium seu potestatem in animas, quo eas sanctificare, gratiam conferre, peccata remittere, & his similia operari valebat excellenter & authoritativè, dependenter tamen à VERBO divino.

Christus Dominus præter regiã ac civilem &c. potestatẽ, habuit etiã dominium spirituale in animas.

divino. Unde *Matth. cap. ult.* fatetur de se ipso: *Data est*, inquit, *mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ubi non obscurè docet id, quod paulò ante dicebamus. Qui enim dixit *omnem potestatem*, nullam exclusit, quæ in hominem cadere potest: ac proinde excellentem ac supremam asseruit, sive ex objecto eam consideremus, sive ex firmitate & stabilitate, sive ex multiplicitate rerum ad quas ea extenditur. Deinde eo ipso, quod notanter dixit: *Data est mihi*, dependentiam à VERBO divino non obscurè insinuat, illæsâ tamen verâ & propriâ ratione suæ potestatis.

Ex his possumus ad sanctissimam Virginem transitum facere, atque à fundamento non dissimili ostendere, quomodo ei competat spirituale Filij sui imperium & potestas in animas, ad eas sanctificandas, & à gehennæ igne liberandas, adeòq; potuisse non vi intercessionis tantùm, uti *Capite XI.* diximus; neque meriti, uti *C. XIII.* asseruimus, sed potestativè & authoritativè ex vi hujusmodi potestatis nostro S. SIMONI revelare, ac promittere, quòd qui moreretur in nostro sacro habitu sive Scapulari, æternum non esset passurus incendium.

74. Deiparæ Virg. imperium nõ est metaphoricum, sed verum ac propriũ.

TRIA verò hîc sunt observanda, antequam ulterius progrediamur. *Primum*, nos hîc non agere de imperio seu potestate DEIPARÆ Virginis metaphorica & impropria, sed vera & propria, sibiq; in omni rigore debita, quum communem planè cum Filio potestatem & imperium sortiatur; tametsi illud exercere, nisi ex voluntate & virtute Filij sui, & ad nutum ejusdem possit.

Trib⁹ modis acquiri potest dominium.

Secundò: Tripliciter potest alicui potestas seu imperium verè & propriè obvenire. *Primò* à natura ipsa. Sic Christus Dominus imperium obtinuit: Deitas enim humanitati sociata, supremum illi omnium rerum imperium & potestatem attulit. *Secundò*, potest aliquis meritis suis regnum aliquod vel imperium sibi adipisci, qualiter etiam Christus Dominus per suæ Passionis meritum spirituale regnum animarum acquisivit, re ipsa illas sibi subijciendo, & ab imperio diaboli in suum transferendo. *Tertiò*, potest quispiam electione alicujus vel donatione in potestate vel imperio constitui. Inter quæ hæc est differentia, quòd si hæc à natura, vel ex meritis filio contingant, non possint non in proprios parentes verè, propriéq; transire. Ratio prioris est: nam cùm filius naturaliter proprijs parentibus subjaceat,

jaceat, parentesq; naturâ ipsâ superiores sint, quæcunq; filius naturaliter obtinet, parentibus necessariò cedunt, atque in illos redundant. Ratio verò alterius est: quia ex naturæ legibus non solùm opes, quas filius aequirit, verùm etiam omnia alia jura & potestates parentibus accrescunt, (loquimur de jure naturali, omissis emancipationibus juris civilis.) si verò filius imperium, vel quidpiam simile electione, aut donatione obtinuit, tunc sanè non transit à filio ad parentes, licet inde non parum illi honestentur. Ratio hujus est, quia illud ab electoribus vel collatoribus pendet, atque idipsum voluntas ipsorum metitur: quapropter illi tantùm personæ accedit, cui electores deferunt illud.

Quomodo Deipara participaverit Christi Dñi imperium?

Postremò, & consequenter ad ea, quæ modò dicebamus, observandum est, jure materno in sanctissimam Virginem refluere potestatem, seu imperium illud, quod Christo à natura vel meritis proprijs competit, cùmq; potestas seu imperium spirituale in animas ei competat: *primò* ex natura ratione unionis cum VERBO divino: *secundò*, ratione redemptionis & meriti infiniti per sanctissimam Passionem suam, & non ex electione, vel donatione aliqua; sequitur verè, & propriè, & non metaphoricè sacratissimam Virginem communem cum Filio potestatem habere; idèòq; spirituale imperium in animas. Hoc luculenter expressisse videtur pijssimus Arnoldus Carnotensis in *Tract. de laudib. Virg.* his verbis: *Nec à dominatione vel potentia Filij Mater potest esse sejuncta: una est MARIÆ & CHRISTI caro & spiritus, una charitas; & ex quo dictum est ei: DOMINVS TECVM, inseparabiliter perseveravit promissum & donum.* Animadvertenda est subtilis illorum verborum, *Dominus tecum*, interpretatio. voluit quippe hîc Author verbis illis significari, & Virgini DEUM adhæsisse, & in imperij communionem & societatem illam asciviſſe. Attexit enim: *Vnitas divisionem non recipit, nec secatur in partes: & licet ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest, & Filij gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem.*

Quod ut uiterius explicemus, sciendum & recolendum est ex secunda suppositione suprà adducta, & ex S. Thoma 1. 2. q. 112. a. 1. Christum Dominum in quantum homo est, potestatem habere sanctificandi homines, producendi in eis gratiam, remittendi peccata, & salvandi, & præservandi ab æterna damnatione, non quidem ut causa

principalis, sed ut organum Divinitatis sive instrumentum VERBO conjunctum; quæ potestas in actu primo debetur Christo à natura; est enim quasi proprietas ipsam unionem VERBI consequens. Proinde non immeritò docet Anselmus hujusmodi facultatem seu potestatem habuisse Christum ab instanti suæ Conceptionis. Quam opinionem amplectuntur Theologi, cujus potestatis usum in decursu vitæ pro temporum opportunitate demonstravit; quam etiam retinet nunc in cælo, non tantùm in ordine ad Beatos, dona plurima ad eorum beatitudinem accidentalem spectantia conferendo, verùm etiam in ordine ad universam Ecclesiam militantem; omnes enim gratiæ, & dona supernaturalia, quæ in ea conferuntur Fidelibus, per sanctissimam Christi humanitatem conferuntur, adeòq; Christus est, qui sanctificat, qui gratiam producit, qui peccata remittit, in sensu, quo suprà diximus.

Jam verò cùm omne imperium seu potestas, quæ Filio à natura competit, reßuat in Matrem (stando in jure naturali & excluso semper civili) dubio procul præfata Christi Domini potestas sanctificandi animas, & eas à pœnis infernalibus præservandi, necessariò in sanctissimam Virginem transibit, jure materno & naturali; & hoc est imperium illud spirituale, de quo suprà egimus. Usus verò sive exercitium hujus potestatis (physicè & regulariter loquendo) soli Christo competit, Sacramentis verò velut instrumentis. Unde beatus Athanasius dicit hanc spiritualem potestatem DEIPARÆ esse secundùm sexum fœmineum, qualiter nimirum solet esse in matre cujuscunque Regis, quæ tametsi verè & propriè sit Regina, & imperium seu potestatem habeat ad ea, ad quæ Rex habet, non tamen usus seu exercitium dominij illi conceditur, sed filio Regi, quando sufficiens est ad regendum, & imperandum, uti fuit Christus ab instanti suæ Conceptionis. Cùm hoc tamen stat, quòd mater velut Regina ad nutum habeat in filio usum, sive exercitium hujus potestatis. Ita planè se res habet in sanctissima Virgine, licet enim illa non habeat in genere causæ efficientis usum seu exercitium sanctificandi animas, & eas ab inferno liberandi, habet tamen hoc in Filio ad nutum, velut verè & propriè Regina, cui competit jure naturali potestas illa in actu primo, ex redundantia à Filio in Matrem.

75. Ex his præmissis facilè erui poterit sensus, & veritas promissionis

nis DEIPARÆ; nempe quòd qui *ritè* moritur in sacro ejus Scapulari, æternum non patietur incendium. Cùm enim sanctissima Virgo verè & propriè sit Regina, imperiumq; materno jure in animas habeat: potuit illa ex vi hujusmodi imperij, quasi in actu primo velle talia auxilia, & beneficia divinæ gratiæ, quæ conducunt ad salutem illius, qui sacro Virginis habitu investiretur: tametsi in actu secundo exercitium & collatio hujusmodi beneficiorum & auxiliorum ad dilectissimum Filium suum spectet, cujus voluntas & actus in conferendo, præfatæ sereniſſimæ Virgini ad nutum præstò est.

Quòd verò diversa sit hæc explicatio à præcedentibus patet. Nam sicuti nonnulli Theologi inquirentes de eadem Virgine DEIPARA, an nostræ salutis fuerit causa, vel nos redemerit? accuratè hæc tria distinguunt. *Primò*, esse causam salutis nostræ impetrando. *Secundò*, merendo merito de congruo. *Tertiò*, concipiendo Christum, adeóq; jure materno influendo in nostram redemptionem. Ita sanè aliud est, quod salus æterna morientis in sacro Scapulari desumatur & repetatur ab impetratione, vel merito de congruo sanctissimæ Virginis, aliud quod à potestate spirituali ejusdem in animas, influendo suo modo, jure materno in salutem earum; impetratio enim nullum inducit debitum ad hunc effectum; meritum verò de congruo, si debitum aliquod inducit, non tamen rigorosum Justitiæ: at spiritualis illa potestas, de qua agimus, debitum inducit naturale Filij erga Matrem: ratione cujus, singulare quid est, & longè diversum à præcedentibus, ut mox apertiùs constabit.

CAPUT XVI.

Explicatur uberiùs doctrina Capitis præcedentis, & ex SS. Patribus confirmatur.

NOn desunt multiplicia SS. Patrum testimonia ad rem nostram præcedenti capite expositam, uberiùs elucidandam, confirmandamque. Celebre imprimis est testimonium D. Athanasij, *Sermone in Euang. de* DEIPARA: *Quandoquidem, ait, ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemq; Dominus & DEVS: eapropter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & DEIPARA propriè* 76.

Quare Deipara Virg. verè & propriè omnium creaturarũ sit Regina & Domina?

priè & verè censetur. Observandus est hic discursus, & unde regnum, vel imperium sanctissimæ Virginis deducatur; nimirum, quia Rex est, qui natus est è Virgine, ideòq; jure materno debet sibi vendicare sanctissima Virgo hoc regnum, non impropriè & metaphoricè, sed *propriè & verè.* Necesse est enim, ut suprà diximus, ut filij regnum & imperium in matrem redeat jure naturali, non secundùm aliquam similitudinem vel congruitatem, sed secundùm omnem proprietatem & debitum naturale. Si Christus, inquit S. Epiphanius hæresi 78. *est Rex, profectò mater ejus est Regina.*

D. Joannes Damascenus non minùs clarè idem expressit, *lib. 4. de orthodoxa fide cap. 15.* inquiens: *Nam revera Domina facta est omnium creaturarum, cùm Conditoris omnium effecta est mater.* Et Orat. 2. de Assumpt. Virginis: *Oportebat,* inquit, *DEI Matrem ea, quæ Filij erant, possidere, atq; ab omnibus rebus conditis, ut DEI Matrem adorari. Quanquam enim semper ita comparatum sit, ut hæreditas à parentibus ad filios devolvatur, nunc autem sursum sacrorum fluminum fontes fluunt, etenim Filius Matrem omnes conditas in servitutem adduxit.* Ubi paucis nonnulla sunt advertenda. Imprimis hoc verbum *Oportebat,* quo necessitas & non tantùm congruentia hujus imperij seu potestatis Marianæ adstruitur, ex vi maternitatis Divinæ. Deinde eo modo potestatem illam competere sanctissimæ Virgini, quo illi competit adorari: at sic est, quod adorari competit sanctissimæ Virgini verè, & propriè ex affinitate speciali, quam habet ad DEUM, nempe ratione maternitatis, uti colligitur ex S. Thoma 2. 2. *q.* 103. *a.* 4. proinde quoque verè & propriè debet Virgini potestas illa spiritualis jure materno, & ex singulari affinitate ad Christum competere.

Rupertus Abbas egregiè hoc ipsum adstruit, ita alloquens serenissimam Virginem: *Coronaberis,* inquit, *ut in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum. ubicunq; enim prædicatum fuerit illud de Dilecto (Filio tuo) dictum:* Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum: *prædicabitur & de te, quòd sis, ô Dilecta, & mater hujus Coronati, atq; proinde Regina cælorum, totum jure possidens Filij regnum.* Et lib. 5. de eodem DEIPARÆ regno & dominio differens, ait: *Vident eam dominantem, & dominando possidentem regnum Dilecti, eo videlicet jure, quo decet Matrem possidere regnum Filij sui.* Alludit Rupertus ad coronationem regum:

a *Lib. 3. in Cant.*

regum : fuit quippe quondam graviſſima inter Doctores diſceptatio, an Imperatores, vel Reges electi, ritè & legitimè imperij ſeu regni negotia adminiſtrent? an verò priùs debeant coronari? Quidquid ſit de electione, certum eſt, ritè & legitimè imperium, vel regnum adminiſtrari ab Imperatoribus vel Regibus, ubi fuerint coronati. Cùm igitur ſanctiſſima Virgo, ſit Mater Regis coronati, juxta S. Joannem in ſua *Apocalypſi c.* 19. optimè infert Rupertus eandem jure poſſidere regnum, jure nimirum materno.

S. Bernardus ſerm. in illud *Signum magnum.* Apocal. 12. MARIA, inquit, *eo quod Mater DEI eſt, Regina Cœlorum & Domina Mundi jure eſſe probatur.* S. Antoninus 4. *part. tit.* 15. cap. 29. §. 9. *MARIA propter Chriſtum Imperatrix, & Monarcha eſt mundi.* Accedit his D. Anſelmus *lib. de excellent. V.* cap. 9. *Super hoc*, inquit, *cum ipſam Dominam, per quam tanta bona eis provenêre præ oculis habuerint, juxta DEVM, quem de ſuo utero Virgo Filium peperit reſidentem, & jure materno cœlo terræq; cum eodem Filio ſuo præſidentem, conſideremus, quâ exultatione exultabunt pro tanta gloria ejus, quo honore ſublevabuntur in tanta potentia ejus?* hæc ille. Loquitur Vir ſanctus de Beatis in Cœlo regnantibus; præmiſerat enim gaudium & exultationem, quam recipiunt illi ex aſpectu ſacratiſſimæ humanitatis Chriſti in cælo, modo verò ad ſanctiſſimam Virginem deſcendit, & gloriam eorum accidentalem ponderat ex eo, quod conſpicere erit ſanctiſſimam Virginem jure materno præſidentem, &, ut paulò infrà addit, *Dominam ſummam & unicam Dominatricem cœli & terræ.*

Idem Anſelmus deſcribens Aſſumptionem glorioſiſſimæ Virginis ſic ait: *Stipatus itaq; mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus DEVS ipſe huic piiſſimæ Matri ſuæ de hoc mundo migranti occurrit, eamq; ſuper omnes cœlos exaltatam cunctæ ſecum Creaturæ perenni jure dominaturam in throno gloriæ collocavit.* Et cap. 11. ejuſdem libri: *Sicut ergo DEVS ſuâ potentiâ parando cuncta, Pater, & DEVS omnium: ita Beata DEI Genitrix MARIA ſuis meritis cuncta reparando, Mater eſt, & Domina rerum: DEVS enim eſt Dominus omnium, ſingula in ſua natura propria juſſione conſtituendo, & MARIA eſt Domina rerum ſingula congenitæ dignitati, per illam quam meruit gratiam reſtituendo*, &c. Hoc quoque confirmatur illis *Revelationum S. Brigittæ* verbis, quibus Sanctos apparuiſſe & Virgini Matri dixiſſe refert: *O Domina benedicta, Tu portaſti Dominum in Te, & Tu Domina omnium* *Lib. cit. c. 86*

es. Quid est, quod non poteris? Quod enim Tu vis, hoc factum est. Lib. 4. Revel. *cap.* 74. Non dissimilia neque pauca aliorum SS. Patrum ac Doctorum suffragia & testimonia idem DEIPARÆ Imperium ac Dominium attestantia reperiet Lector in supralaudato opere *Corona Anni Mariani* &c. *mense Aprili.* Consuli etiam poterunt de hoc argumento differentes P. Salazar in *Proverb. cap.* 8. *v.* 15. Barrad. *Tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 3. Novatus *Tom.* 1. *de Eminent. Deip. Virg. cap.* 7. *quæst.* 22. & not. Joseph à JESU-MARIA, in *Opere supra cit. lib.* 1. *cap.* 16. *& lib.* 5. *cap.* 15.

77. Ex his omnibus non immeritò deducitur, potuisse sanctissimam Virginem certum reddere B. SIMONEM nostrum de salute æterna eorum, qui parthenium gerunt Scapulare, quantum est ex vi dictæ spiritualis potestatis, quâ potitur in animas. Sive enim illam consideremus, quasi in actu primo, potuit velut Domina velle salutem eorum, qui hujusmodi habitu sacro insignirentur, imò verò hujusmodi habitum dedit in signum & tesseram superbenedictæ suæ voluntatis, uti supradiximus; sive in actu secundo ipsum videlicet usum & exercitium præfatæ potestatis, potuit Christus Dominus ex nutu & voluntate suæ sanctissimæ Matris statuisse conferre, singularia divinæ gratiæ auxilia & beneficia illis, qui sacrum Scapulare *ritè* gestaverint: cum autem habeamus ex revelatione S. SIMONIS promissionem DEIPARÆ, dicendum videtur quantum est ex vi hujus spiritualis potestatis sic de facto contigisse. Ita ut verum sit, quantum est ex hac parte, salvari Confratres, nisi hujusmodi auxilijs & beneficijs obstaculum posuerint, ingratoque respuerint animo. Quod fortasse piam dicat usum hujus potestatis esse in Christo, non verò in beatissima Virgine, & ideo non potuisse sanctissimam Virginem absolutè certum reddidisse B. SIMONEM de salute Confratrum, quantum est ex vi hujus potestatis actualis, in quo res tota lusa videtur; quandoquidem hujusmodi usus sit in alio positus, & consequenter hæc promissio dependeat ab alterius voluntate & beneplacito: nec sufficiet dicere, præsto esse & ad nutum DEIPARÆ Filij sui voluntatem & beneplacitum, maximè cum Christus Dominus à patria sive pijssimæ Matris suæ potestate sit emancipatus. Divinitas enim, quæ Humanitatem non tantum sanctificabat, verum etiam altioris ordinis excellentias conferebat, hanc illi utiq; contulisse censendum est; quippe cum emancipatum esse, sit quoddam libertatis & excellentiæ genus.

Pro

Pro resolutione propositæ difficultatis, sciendum est ex sancto Thoma 2. 2. *q.* 101. *a.* 3. pietatem esse virtutem, qua cultus parentibus exhibetur, sicut Religio est virtus, quâ cultus DEO tribuitur. Unde sicut Religio specialem habet rationem debiti hominis ad DEUM, ita pietas fundatur in debito speciali, nempe naturali filij erga parentes. Quod S. Doctor Angelicè exponit præsertim *loco citato*, & quidem *art.* 1. Hæc habet: *Homo efficitur diversimodè alijs debitor secundùm eorum diversam excellentiam, & diversa beneficia ab eis suscepta. In utroq; autem DEVS summum obtinet locum, qui & excellentissimus est, & est nobis essendi, & gubernationis primum principium, secundum verò nostri esse & gubernationis principium sunt parentes*, &c. *Et ideò post DEVM est homo maximè debitor parentibus & patriæ. Vnde sicut ad Religionem pertinet cultum DEO exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus & patriæ.* Hæc ille. Nec minus clarè in *art.* 3. eandem tradit doctrinam: *Aliqua*, inquit, *virtus specialis est ex hoc, quod respicit aliquod objectum solum secundùm aliquam specialem rationem: cùm ad rationem justitiæ pertineat, quod debitũ alijs reddat, ubi inventur specialis ratio debiti alicui personæ, ibi est specialis virtus. Debetur autem aliquid alicui specialiter, quia est connaturale principium producens in esse, & gubernans, hoc autem principium respicit pietas in quantum parentibus officium & cultum impendit, & ideò pietas est specialis virtus.* 2. 2. *q.* 101. *a.* 1. & 3.

NOTANDUM tamen est Christum Dominum, tametsi nullis legibus humanis fuerit subjectus, nihilominus legi naturali secundùm naturam humanam fuisse subditum; prout colligitur ex S. Thoma 1. 2. *q.* 94. nam, ut benè notat P. Suarez *disp.* 43. *in* 3. *p. sect.* 2. *Tom.* 1. obligatio legis naturalis est quasi proprietas intrinseca & connaturalis rationali naturæ, quæ non minus à Christo, quam ab alijs hominibus sejungi nequaquam potest. Unde sequitur, quod tenebatur lege illâ naturali, quâ obligantur filij erga parentes: adeoque servare pietatem respectu Matris; & licet ex vi potestatis excellentiæ ab omnibus sit liber, & nulli alij potestati subjectus, non tamen patriam Matris potestatem excussisse dicendus est; tum ob præfatam rationem, tum etiam, quia spontaneè se Matri subjecit, ultra illud naturale pietatis debitum; ut patet ex illo Lucæ 2. *Et erat subditus illis.* In quæ verba D. Ambrosius: *Quid enim*, inquit, *Magister virtutis, nisi officium pietatis impleret; non utiq; infirmitatis, sed pietatis ista subjectio est.* quid apertius? Christum Dominum officium, hoc est, debitum pietatis, implevisse

visse docet Ambrosius, ergo ab illo debito immunis non erat. Germanam autem hujus rei rationem attigit sequentibus suprà verbis: *Non utiq; infirmitatis, sed pietatis ista subjectio est.* Quasi diceret: Nemo Christum patriâ potestate ideò liberum dicat, quasi infirmum sit, & tantæ Majestatis indignum alicui ex debito subijci: nam subjectio isthæc, & obsequium erga parentes, non est infirmitas aliqua vel servitus, sed pietas. Itaque licet ex Divinitatis commercio Christus Dominus liber sit, & nulli alteri potestati subjectus: tamen patriam potestatem non excussit.

78. SS. Virgo habet in Christum Dñum patriam potestatem, vi cujus dicitur jure materno obtinere totum id quod petit, juxta plurium SS. Patrum sententiã.

Ex his igitur respondetur ad propositam difficultatem, jure ipso naturali obtinere beatissimam Virginem in Christum Dominum patriam potestatem, ratione cujus exurgit debitum in Christo naturale pietatis erga Matrem, secundùm rationem *officij*, & *cultûs*, ut ex S. Thoma patet: cultus verò ad honorem & reverentiam ipsi exhibendam. Unde ex vi hujus non immeritò inferunt SS. Patres obtinere DEIPARAM à Filio, quod petit jure materno, & patriâ potestate. Ita affirmat S. Petrus Damianus: *Fecit*, inquit (a) *Tibi magna, qui potens est: & data est tibi omnis potestas in cælo & in terra.* Et paucis interjectis subjungit: *Nihil Tibi impossibile est, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ad illud aureum humanæ reconciliationis altare non solùm rogans, sed imperans; Domina non ancilla.* Et S. Georgius Nicomed. de præsentatione Virginis: *Nihil tuæ, inquit, ô Domina resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus: omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt, omnia pro consequi citra laborem.* Euthimius de zona DEIPARÆ, sic illam interpellando, idem testatur: *Defende nos*, ait, *secundùm magnam & copiosam misericordiam tuam, ô Domina; frange schedulam immensorum nostrorum malorum, tuis, quæ nunquam dormiunt, intercessionibus, ô Optima; nos ante finem concilia tuo, misericordi & justo Judici, Filio, & DEO: habes maternam, & infinitam apud DEVM fiduciam; potes enim tu omnia.*

S. Bernardus *Hom. 1. sup. Missus est*, sic infit: *DEVS, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat MARIÆ: non tantùm MARIÆ, sed etiam IOSEPH propter MARIAM. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, sive Filij benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrimq; stupor, utrimq; miraculum.* Et

(a) *Serm. 1. de Nativ. Mariæ.*

quòd

quòd DEVS *feminæ obtemperat, humilitas absq; exemplo est; & quòd* DEO *femina principetur, sublimitas sine socio,* &c. Hæc ille, qui alibi quoque impensè commendat MARIÆ potestatem & dominium, inquiens: *Non deest* MARIÆ *potestas, quia mater est omnipotentiæ: nec imperandi industria, quia mater est sapientiæ: nec voluntas, quia mater est misericordiæ.*

Bernardo sancto concinit sanctus etiam Bernardinus his verbis: *A tempore, quo Virgo Mater concepit in utero* VERBVM DEI, *quandam (ut sic dicam) jurisdictionem seu authoritatem obtinuit, ita quòd nullæ creaturæ, aliquam à* DEO *obtinuit gratiam, nisi secundùm ipsius piæ Matris dispensationem: ideò omnia dona, virtutes & gratiæ ipsius Spiritûs sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, & quantum vult, per manus ipsius ministrantur, tam in purgatorio, quàm in terra.*

Nec dissonat Richardus à S. Laurentio *lib.* 4. de laudibus Virg. *Cùm eadem,* inquit, *sit potestas & communis Matris & Filij, quæ ab omnipotente Filio, omnipotens est effecta: quia non est potestas, nisi à* DEO; *unde dicit cum Filio: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra; tamen excellenter potens est in Ecclesia triumphante. Unde dicit: In Hierusalem superna potestas mea: imperandi videlicet quidquid volo, tam virtutibus Angelicis, quàm animabus sanctis, & quos volo in illud regnum introducendi. De illa enim verè dici potest illud Eccli:* 42. *In omni necessitate omnia obediunt ei.* Et lib. 2. *Beata,* inquit, *Virgo pro salute famulantium sibi, non solùm potest Filio supplicare, sicut alij Sancti, sed etiam potest authoritate maternâ eidem imperare: unde sic oramus eam:* Monstra te esse matrem; *id est, quasi imperiosè & maternâ authoritate supplica pro nobis Filio,* &c. Agnovit quoque hoc SS. Virginis imperium Goffridus Cardin. serm. 8. *Cæteri Sancti,* inquit, *Dominum* DEVM *orant, & orando impetrant; sed honorabilis Virgo* MARIA, *si illum ex eo, quòd* DEVS *& Dominus est, exorare merito creditur: ex eo tamen, quòd homo est, & natus ex ea, quasi quodam matris imperio, apud ipsum impetrare, quidquid voluerit piâ fide non dubitatur. Nam si quilibet Sanctus apud Justum Iudicem obtinet, quidquid sibi jure debetur, hæc quæ est mater Iudicis, omnium Sanctorum Dominæ, jure matris nunquam fraudabitur. Hoc est enim materni juris apud filios dignitate sublimes, ut si matres eorum, eos sæpiùs rogent, quia Domini sunt, eis etiam aliquando quasi imperent, quia filij sunt. Bonum utiq; naturæ, quod* DEVS *hominibus dedit, nunquam sibi, qui est summum, & à quo bona cuncta procedunt, negabit. Et quod hæc beatissima Virgo mater Domini fecisse legitur in terris, immeritò facere dubitaretur in cælis. Nam vino deficiente*

MARIA jure materno Filium pro nobis orando, ei quasi imperat.

nuptiarum in Cana Galilææ dixit mater IESV ad IESVM, Vinum non habent, ac si ea ipsi præciperet, ut ipse faceret. Hoc bona Mater pietate quidem præcepit, quod bonus Filius piâ obedientiâ complevit. Divus Antoninus, *Oratio, inquit, Sanctorum non innititur alicui rei ex parte sua, sed tantùm misericordiæ ex parte DEI; oratio autem Virginis innititur gratiæ jure naturali, & Legis Euangelij: nam Filius non tantùm tenetur audire Matrem, sed & obedire, juxta illud Apostoli:* Filij obedite parentibus vestris. *quod etiam est de jure naturæ.* Et iterùm: *Oratio DEIPARÆ est nobilissimus orandi modus; tum quia habebat rationem jussionis & imperij; tum quia impossibile est eam non exaudiri, juxta illud, quod in figura ejus dixit Salomon matri suæ Bethsabee, cùm aliquid petere vellet: Pete mater mea, neq; enim fas est, ut avertam faciem tuam.* 3 Reg. 2. c.

4. part. tit. 15. c. 17. §. 4.

Modus orandi Deiparæ est nobilissimus, quia habet rationem jussionis & imperij.

Habuit ergo sanctissima Virgo sufficiens fundamentum ad certum reddendum B. SIMONEM nostrum de salute eorum, qui ejus sacrum suum gestant Scapulare, ex vi potestatis suæ spiritualis. Etsi quanquam usus talis potestatis Filio sit suo reservatus, in sensu supra dicto, cùm tamen adsit debitum naturale Filij erga Matrem, credenda est jure materno uti, in actuali salute suorum Confratrum, & quidem efficaciter, efficaciâ quæ conjunctum habeat effectum, modò non per rebelles suas non obsistant voluntates.

79. Utrum, & quâ certitudine certus sit de sua æterna salute Marianum ritè gerens Scapulare?

DICES: Ex dictis hic & in superioribus sequi, gestantem Marianum Scapulare certum esse de sua æterna salute ac prædestinatione, quod non modo sanæ Theologiæ, verum etiam sacræ Scripturæ repugnat, quæ affirmat incertum esse, an homo amore, aut odio dignus sit, sed omnia in futurum servari incerta.

RESPONDEO: Talem fore certum certitudine morali, quemadmodum certus est de eadem æterna salute, qui Christianè vivit, sacram Eucharistiam sumit, &c. Quod nemo diffitebitur Theologus, qui in hac materia metaphysicam solum certitudinem non admittit (cui falsum subesse nequeat) Confrater verò certus esse metaphysicè nequit. *Primò*, quia nescit, an sit perseveraturus &c. *Secundò*, quia esto non sit sibi conscius delicti, prudenter tamen dubius hærere potest, num occulta habeat aliqua, quæ debito Confraternitatis ritui, aut muneri sint opposita, ob quæ proinde potius odio quàm amore DEIPARÆ Virginis dignus sit, &c.

DICES *secundò*: Ex dictis sequi, hominem qui in vita Mariano

num

num habitum *ritè* gestaverit, atque sic in eo obierit, posse eo ipso inter Sanctos referri ab Ecclesia, atque à Fidelibus invocari, quod quam sit absurdum quis nō videat? *Respondet* ad hoc P. Irenæus hujusmodi absurdum inferri perabsurdè, cum adversus Sacramenta similiter militet objectio. Sic enim retorquet argumentum. Fide sanctum est, eum beatâ visione munerandum, qui Pœnitentiæ sacramento purgatus fuerit, ritèque Viaticum & extremam Unctionem acceperit: At vidimus Petrum eo in statu morientem: Ergo referendus est in Catalogum Sanctorum. Hoc in argumento vera est major, incerta minor & conclusio, quæ Logicorum ex placito debiliorem sequitur partem. De Scapulari idem sentiendum: nam esto major propositio sit vera, *omnis, qui ritè moritur in Scapulari, salvatur:* minor tamen est nobis dubia, qui ad oculum judicamus; *sed Petrus in Scapulari ritè est mortuus.* Unde negatur hæc consequentia, *Ergo eo ipso est describendus in Catalogo Sanctorum.*

sect. 1. cap. 3. §. 5.

Utrum ille inter Sanctos referri possit, qui hinc decedens pœnitentiæ Sacramento purgatus, Viaticum & extremā Unctionem ritè percepit? Et quid de ritè gerentibus sacr. Scapulare dicendum?

Quare in casu utriusque syllogismi, dicendum est, neminem ab Ecclesia coli inter Sanctos, donec à DEO habuerit revelationem, quæ factam minorem propositionem certò suadeat, sive per miracula, sive per aliam viam. Nam quemadmodum potest aliquis secundum hominem videri ritè confessus ac sacrâ Eucharistiâ refectus, esto talis non existat secundùm DEUM, qui intuetur cor: ita potest videri ritè mortuus in Scapulari, esto coram DEO secus se res habeat. Mitto omnia ejusmodi argumenta posse retorqueri adversus cuncta similia privilegia, quæ passim leguntur in sacris paginis, Sanctorum historijs, revelationibus, &c.

80.

Duo extrema in quibusvis pietatis exercitijs vitanda sunt: & quænam illa: ac quare?

Verum circa ea, quæ in superioribus tradidimus, cæteraque similia, extrema duo sibi invicem opposita, at æquè periculosa impensè vitanda monet R.P. Leo à S. Joanne in *Typo vestis Religiosæ sectione nona*, his verbis:

Ex ijs, qui de pietatis exercitijs sentiunt, alij humanæ rationi supra modum addicti *plus sapere* volentes, quam sobriè requirat *justa mediocritas*, ita Rosario, Funiculo D. Francisci, Cingulo S. Monicæ, Scapulari, cæterisque in Ecclesia antiquissimis utilissimisq; rebus fidem derogant, ut in αἱρεσιαν quandam prolapsi, iberas nugas, & solum devoto femineo sexui idoneas reputent. Cum ab omni tamen ævo, maximâ sanctitate & doctrinâ viri, ea simplicitatis & virtutis

Rom. c. 10. exercitia mirum in modum coluerint. In diversum abeunt, qui zelum *DEI habentes, sed non secundùm scientiam* nimiâ superstitione, ita ejusmodi peculiaribus exercitijs abutuntur, ut cæteris ad salutem necessarijs medijs, quasi posthabitis, satis se beatos existiment, si eorum alicui exercitio tenaciter adhæresçant. Quos è duobus laudem, haud scio; neutrum sanè probarim, quia utrumque video in Christiana Religione periculosissimum: hinc nimiâ, illinc nullâ Religione impente.

Virg. Æneid. 3. *Dextrum scylla latus, lævum implicata charybdis obsidet.*

His sũt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij; nos insensati vitam illorum existimabamus insaniã, & finem illorũ sine honore, Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Sap. 5.

Iis certè, qui per contemptum, vel Rosario, vel Scapulari reliquisque non modo non utuntur, verùm etiam justorum simplicitatem rebus illis piè, ut decet, utentium irrident, dixerim verbis paululum immutatis, quod olim Philo Judæorum disertissimus; melo guttam simplicis ac veræ pietatis, quam secularis & incredulæ sapientiæ vas pleniſſimum. Et hos quoque DEUS aliquando irridebit.

Iis autem, qui rebus devotissimis nimia fiducia, aut superstitione abutuntur: sibique certissimos cæli favores pollicentur eo quod præcisè vel in Virginis apud Patres Jesuitas Sodalitio, vel in Rosarij apud PP. Dominicanos Confraternitate adscripti sint, vel habitum à beatissima Virgine Carmelitis concessum in vita gestaverint, sine exactissima divinorum præceptorum observantia; immo etiam speciali cultu pietatis, ad quem videntur ijs exercitijs invitare his, inquam, in extremo mortis agone non absre dictura est beatissima Virgo, quod beatus olim Benedictus satrapæ cuidam & amico Totilæ Gothorum Regis pomposo cultu & stipatu Regiam Majestatem fingenti sapientissimè objecit: *Depone, fili, depone, quod cum gloria tuum non est.* Nam quid frustra Religionem vultu personato emendicamur? nostrum nullum est SCAPULARE, nullus habitus, nullum in mortis articulo Virginis auxilium, patrociniumve, nisi externo SCAPULARIS gestationi interior virtutum cultus utique correspondeat. Esse tamen maximum, & ingens privilegium, & esse summè omnibus colendum, nemo, eo quo dixi sensu, audebit negare. Et quo patet Catholicâ conclusione, quâ ratione fiat, ut *æternum non patiantur incendium*, quotquot beatæ Virginis Carmelitarum Patronæ cultui sese specialiter manciparunt, & hujus servitutis indicium & tesseram Virgineum Scapulare gestaverunt; si nimirum hæc gestatio

Scapu-

S. Gregorius Mag. *lib. 2. Dialog. c. 14.*

Non sufficit ad salutem Scapularis gestatio: si

Scapularis cum alijs medijs ad salutem ex se necessarijs, conjuncta sit. Quæ media pia Mater, in virtutem initæ per habitum Confraternitatis, abundantiùs subministrabit cùm toto vitæ curriculo, tum præsertim in ultimo mortis articulo; si eam Christi & Christiparæ munificentiam homo non aspernetur. Itaque hoc sensu quicunque habitum Virginis habens, motibus illis ad salutem necessarijs, sibi à Christo, Virgine Matre exorante, ob initam Confraternitatem (cujus nota est SCAPULARE) peculiariter concessis fideliter obedierit, *æternum non patietur incendium.*

non quisq; respondet gratijs specialibus, quas accipit à Christo Virginis precibus & intercessione.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PARS

PARS SECUNDA.

De alterò Partheno-Carmeliticæ Confraternitatis beneficio, Privilegio scilicet Bullæ Sabbatinæ.

CAPUT I.

De Privilegij Sabbatini Sodalitio Mariani SCAPULARIS *concessi origine.*

81. MARIA forma DEI jure nuncupatur: & quare?

DEIPARAM Augustissimam DEI formam nuncupari posse, scripsit illustrissimum Ecclesiæ lumen AUGUSTINUS: idq; jure meritò, meo judicio, inter puras quippe creaturas ratione utentes, nulla prorsus est, quæ divini Numinis perfectionem majori studio, pluribus absolutioribusque lineamentis in se expresserit; maximèq; bonitatem ac misericordiam, quàm illius naturam atque opus magnus LEO asseruit. Quicunque enim beneficentissimæ ac liberalissimæ Parentis genium contempserint, necessariò confiteantur oportet, affirmari de ea posse, quæ de DEO optimè asseruit Seleucienſis Antistes Basilius, *Orat. secunda in Adamum:* Eum videlicet velut parturientem magnificentiæ suæ munera, & habere clausum penes se thesaurum impotentem, non esse contentum prioribus, neque rebus ante dilargitis dona sua circumscribere, ac bonitatis suæ imbre posterioribus donis priora obscurare.

Quanta sit ejus beneficentia ac misericordia?

Posset ille Marianæ beneficentiæ genius innumeris testibus exemplis, atque experientijs demonstrari: quis enim est aut fuit quam, Reginæ hujus potentissimæ, benignissimæq; obsequijs vel minimè addictus, qui quod de ea asseruimus, expertus non sit? At præsenti unus Carmeli Ordo, ac Sodalitium sufficiet, ut eam magnificentissimæ Parentis suæ, cujus glorioſissimo titulo insignitus est, absolutissimam perfectionem demonstret.

Vidimus in superiori hujus Operis Parte, quàm eximio dono ac beneficio sereniſſima cæli Regina sacrum Scapulare S. SIMONI confe-

conferendo, Carmeli Ordinem ac Sodales munificentiſſimè affecerit, non multis decurſis annis dono ac beneficio poſteriore (Privilegio ſcilicet Sabbatino) eidem Ordini ejuſq; Sodalitio collato, prius donum, ſi non obſcuravit, profectò plurimum illuſtravit. Nec ſatis fuit admirandæ beneficentiæ ejus, ſuis Filijs ac Confratribus parthenium contuliſſe habitum, ut ijs eſſet in hac mortali vita *Signum ſalutis, Salus in periculis, & fœdus pacis ac pacti ſempiterni;* nec ſuffecit ab innumeris animi & corporis, maximeq; malæ mortis protegere periculis; neque ſatis fuit à veris hujus vitæ malis, culpis ſcilicet eos liberare, verum etiam à pœnis alterius in purgatorio ſolvendis, eximere voluit: cum immenſa miſericordiſſimæ Matris beneficentia hujus exilij cancellis comprehendi nequeat.

82. Quousque ſeſe illa extendat?

Hæc ſanè tanta eſt, ut ultra vitam noſtram ſe extendat, & ad ipſum terræ centrum, ad purgatorium, ad inferos uſque pertingat, ac penetret, animasq; ſuorum Sodalium teterrimis carceribus detentas, acerbiſſimis cruciatibus excarnificatas, & præſentia ſua, & Angelorum miniſterio blandiſſimè conſoletur, nec diutius illic perſiſtere patiatur, ſed quantocyus inde, velut potentiſſima Domina, totiusq; Univerſi Regina, nequicquam ſtygijs illis larvis frementibus eripiat. Si enim, ut *Proverb.* 10. ait Sapiens, *omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtijs comprobatur.* Multò magis amabiliſſima, pijſſimaq; Virgo Filios ac Sodales ſibi devotos, eo infeliciſſimo potiſſimum tempore diliget, dilectionemq; ſuam opere demonſtrabit, cum eos atrociſſimis expiatorij ignis flammis amburi, crudeliſſimisq; ſuplicijs plecti conſpicit. Tunc tunc tantis in anguſtijs, tantis in calamitatibus, ac cruciatibus miſericordiſſimam Matrem ſeſe eſſe comprobat. Tunc ei cor velut cera, illorum tam acri incendiorum igne, quodammodo liqueſcit: tunc omnia effuſiſſimæ ipſius pietatis commoventur viſcera: tunc affectum illum, quem Mater aliqua, dum filium in fornace inter incenſiſſimas flammas vivicumburio torqueri conſpicatur, oſtendit. Si enim vera eſt ſententia S. Cyrilli aſſerentis: mallet quilibet viventium uſque ad finem mundi cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucuſque pertulerunt, quam die uno in purgatorio morari: quo tandem animo miſericordiæ Matrem in ſuos Confratres eſſe oportebit, dum eos tantis tamq; intollerandis-

Quanta ſint purgatorij tormenta?

eruciatibus vexari animadvertit. Hinc est, quod illis novo, mirando, & eatenus inaudito privilegio, misericordissimè succurrere voluit.

In quo consistat sabbatinũ privilegiũ?

Hoc verò in eo consistit, quod sanctissima Virgo promissa animas eorum, qui habitum suæ Religionis gestarunt, vel Confraternitatem ingressi fuerunt, suis continuis intercessionibus, pijs suffragijs, & meritis, ac speciali protectione adjuvare, ut Sabbato post eorum obitum è pœnis purgatorij liberentur. Voluit autem hoc privilegium universæ Ecclesiæ innotescere per supremum ejus Præsulem ac Pastorem, ab eoq; publicari & confirmari. Quod sic accidisse referunt Authores.

83.

DEIPARA *Ioanni XXII.* Pontif. apparens jubet, ut privileg. sabbatin. publicet.

Cum aliquando JOANNES XXII. DEIPARAM Virginem, cui singulari devotione addictus erat, flexis genibus deprecaretur, illa se ei in visu exhibuit, & ab adversarijs immunitatem, atq; liberationem, aliaq; prædixit ac promisit; hac tamen conditione, ut privilegium illud adjutorij animarum post mortem, quo Fratres ac Confratres suos afficere statuerat, confirmaret, & Ecclesiæ proponeret. Paruit ille Virginis sanctiss. voluntati: primo enim, seu sexto, ut volunt alij, Pontificatûs sui anno, memor mandati DEIPARÆ neq; recepti ab ea beneficij ingratus Bullam dedit Avenione anno 1317. vel juxta alios 1322. die 3. Martij, in qua recensitis DEIPARÆ apparitione, colloquio ac privilegio Fratribus ac Confratribus Ordinis Carmelitarum concesso, privilegium illud (ut GREGORIUS XIII. in suo diplomate loquitur) *publicavit, corroboravit ac confirmavit.* Atq; hæc est privilegij, seu Bullæ Sabbatinæ, à *Sabbato*, quo potissimùm effectum hujus privilegij præfatæ animæ consequuntur sic dictæ, origo. Quam nullo non deinceps sæculo, ut infra docebimus, summi Pontifices suis Apostolicis diplomatibus confirmarunt.

Ciaconius in *Vita Ioan. 21. dicti 22.* Quis fuerit Joannes XXII.

Fuit præfatus JOANNES successor CLEMENTIS V. dicti ante Pontificatum *Jacobus De Ossa*, natione Gallus, patria Caturcensis, Episcopus primùm Fordiensis, deinde Avenionensis; demum Roberti Regis precibus, cujus Cancellarium aliquando egerat, Episcopus Cardinalis Portuensis ab eodem *Clemente V.* creatus. Corpore fuit parvus, sed animo magnus, acris & solertis ingenij: prudentia, ingentiq; doctrina præditus, firma corporis valetudine, juris Ecclesiastici acerrimus Defensor: sacris frequenter operari solitus.

Cæpit

Cæpit Ecclesiam regere an. 1316. Electus in Pontificem fuit, (ut complures observant) in Sabbato die 7. Augusti, in quem diem insidit Festivitas B. ALBERTI, celeberrimi Sancti Ordinis Carmelitarum. Et ea ipsa die, inquit Daniel in *Vinea Carmeli num.* 517. verisimiliter apparitione illa DEIPARÆ dignatus fuit. Decessit ex hac vita nonagenario major post sacra audita, & SS. Eucharistiam sumptam, orans & psallens, pridie nonas Decemb. an. 1334.

Vide Petr. Thom. Saracenum *Lib. supr. cit. part. 3. inform. 1.*

CAPUT II.

Quid censendum sit de revelatione facta IOANNI XXII. *circa privilegium sabbatinum?*

84.

REVELATIONIS potius quam apparationis nomine utor in præsenti quæsito. Primò, quia id quod potissimum in hac altera Operis hujus Parte intenditur, est, declarare ac confirmare privilegium illud singularissimum, quod per DEIPARAM Virginem JOANNI XXII. primùm revelatum fuit. Deinde, quia juxta Angelicum Præceptorem, visio seu apparitio non requiritur propter se, sed propter revelationem, seu manifestationem intelligibilis veritatis: ideoq; cum visio seu apparitio ordinetur ad revelationem, æquum videtur, ut de hoc primariò, & potissimùm agamus, hocq; vocabulum potius quam apparitionis in præsenti usurpemus.

22. *q.* 174. *art.* 2. *ad* 2. Quis sit finis visionum seu apparitionum?

Ut autem clarè & ordinatè in hac comprobanda confirmandaq; revelatione progrediamur, hoc ordine procedemus. *Primò*, de hac revelatione secundum se agemus: *deinde* de Bulla JOANNIS XXII. habita hac revelatione publicata, & *tandem* de contentis in utrisq; revelatione scilicet & Bulla differemus.

Supponendum est, non esse insolitum aut novum in Ecclesia, quod summis Pontificibus aliqua divinitùs revelentur, maximè, quæ ad publicam Christi Fidelium utilitatem & bonum spectant. Si enim privatis hominibus quandoq; hoc concedatur, immeritò Pontificibus, Christi Vicarijs denegaretur, ad quos ratione muneris sui pertinet exponere ea, quæ sibi subditis proficua esse queunt. Hinc ex S. Dionysio de *cælesti Hierarchia* docet S. Thomas: 2. 2. *q.* 2. *art.* 6. quod

C. 4. & 7. 2. 2. q. 2. art. 6.

revelatio divina ordine quodam ad inferiores pervenit per superiores: sicut ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per superiores.

Hoc præsuppositō, asseritur & probatur supradicta revelatio JOANNI XXII. hujus nominis Pontifici divinitùs facta fuisse. Et inprimis authoritate ipsiusmet Joannis, qui in Bulla infrà referenda, revelationem sibi cælitùs à DEIPARA Virgine exhibitam, cum omnibus necessarijs ei conjunctis circumstantijs explicatissimè recensuit. Etsi enim Pontifex Romanus, in his quæ sunt facti aliquando falli & fallere possit, attamen ejusdem sententia, præmisso maximè cœtu Cardinalium, doctissimorum utiq; ac pientissimorum virorum (ut hic præmissum fuisse authores tradunt) examine, ampliorem fidem meretur, quam privati hominis aut Doctoris, & intra limites fragilitatis humanæ planè maximam. Hinc in Ecclesia DEI revelationes summorum Pontificum maximo in pretio semper fuêre, & summa reverentia, uti par est, receptæ. Hujusmodi fuit, ut è pluribus paucas subijciam, revelatio facta *Liberio* Pontifici circa annum 367. de extruenda Basilica in honorem B. MARIÆ Virginis in monte Exquilino, impensis Joannis Patricij, ut in festo S. MARIÆ ad nives in Actiones Breviarij referunt. Hujusmodi revelatio exhibita ad annum 1119. *Callisto* II. de sua in Pontificem Romanum promotione. Talis revelatio *Innocentij III.* circa confirmationem Ordinis Minorum an. 1209. & ejusdem Pontificis an. 1212. circa institutionem confirmationemq; Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, ut ex Annalibus ejusdem Ordinis refert, Fezaijus *Privileg. 2. comment. 26.* Talis denique revelatio *Clementis VI.* qui in litteris *Noverit* &c. apparuisse sibi noctu anno 1342. in visione personam quandam reverendam in manu duas claves gerentem, & de jubilæo à centesimo ad quinquagesimum annum reducendo monentem, refert. Quæ etiam jubilæi reductio mox indicta est, per ejusdem Pontificis Constitutionē incipientē *Unigenitus DEI Filius*, & admissa ac recepta fuit à universa Ecclesia; licet in dicta Constitutione nullam faciat de revelatione sibi exhibita mentionem. A fortiori ergo revelatio JOANNIS XXII. per Diploma Apostolicum asserta & legitimè publicata fide dignissima erit. Imò eo ipso, quod tali modo suam ille revelationem publicavit, ut Pontifex hac in re egisse censendus est, cui in tali etiam in negotio particularis facti major Spiritus sancti assistentia debe-

Bulla *Sacratissimo uti culmine.*

Sententia Pontific. quam fidem mereatur?

Annal. Ecclesiast. ad an. 1119.

Recensentur nonnullæ summor. Pontific. revelationes.

Albericus de Rosate.

Bzovius *ad an. 1342.*

Asseritur & confir-

deberi videtur, ratione cujus magis credibile, minusq; errori obnoxium ejus testimonium censendum est. matur *Ioan. XXII.* revelatio.

Deinde confirmatur hujus revelationis veritas authoritate ALEXANDRI V. qui *dato*, inquit Raynaudus, *Diplomate an.* 1409. *die* 7. *Decemb. quo* IOANNIS XXII. *autographum abs se inspectum & diligenter recognitum testatur: ejusdemq; autographi apographum verbatim exscriptum, suo Diplomati inserens veritatem visionis* IOANNI *objectæ confirmat.* Ita ille *In Scapul. Marian. p.* 1. *C.* 2.

Probatur *tertiò*, eadem revelatio è publicis Instrumentis ac Monumentis Ordinis, ex quibus hujus revelationis notitia, longa, continuaq; annorum serie ad nos usq; pervenit. Referuntur pro ea à Collectore Bambergensi in suo Collectaneo pervetusta Ordinis Monumenta an. 1476. sub Reverendiss. P. Christophoro Martignono Generali Ordinis Carmelit. Magistro producta: & alia à Reverendiss. P. Nicolao Audet, itidem Generali Ordinis an. 1530. coram CLEMENTE VII. atq; alia à Reverendiss. Generali Ordinis, Joanne Baptista Rubeo an. 1577. coram GREGORIO XIII. exhibita, & ab eodem Pontifice recognita, & authoritate Apostolica probata, de quibus suo loco uberiùs.

Quartò hæc eadem JOANNIS XXII. revelatio constat ac confirmatur testimonio atq; authoritate complurium gravissimorum sapientissimorumq; virorum, qui eam ut veram scriptis commiserunt, posteris tradiderunt, constanterq; tuentur, quos omnes infra *Cap. IX.* de Bulla Sabbatina differentes singillatim adducemus. Nec refert, quod nonnulli ex his Authoribus fuerint professione Carmelitæ, ideoq; in propria causa de veritate videri possint suspecti. Præterquam enim quod de viris Religiosis, pijs ac doctis, & de Ecclesia DEI, ob suos labores ac lucubrationes optimè meritis, hoc suspicari iniquum atq; injuriosum videatur, non est hæc causa solum Religionis Carmelitanæ, sed Sedis Apostolicæ: agitur quippe de revelatione facta summo Ecclesiæ Capiti, & universis Fidelibus per Bullam legitimè declarata: imò de privilegio publicam animarum utilitatem, sublevationem, & è purgatorij tormentis ereptionem concernente. Præterea cum commune & solitum hactenus fuerit cuilibet in Ecclesia DEI Religiosæ Familiæ, gratias & favores, quales sunt divinæ revelationes & apparitiones, hisq; similia per Scriptores ejusdem Religionis in proprijs Chronicis ac Historijs alijs tradere ac posteris consig-

nare, cur revelatio JOANNIS XXII. quia est aliquatenus in favorem Carmelitarum, ideo censenda erit de veritate suspecta, quia per Historiographos ejusdem Ordinis conscripta est. Profectò si hæc objectio subsisteret, omnium Religionum Annales ac Historiæ de veritate suspectæ erunt, ubicunq; de ejusmodi gratijs, visionibus ac revelationibus propriam concernentibus Religionem agent.

Licet Religiosis in causis sui Ordinis testificare & tanquam juridicum eorum testimonium recipiendum est.

Fidem porrò deberi Religiosis in favorem suæ Religionis deponentibus, & de jure posse examinari in causa sui monasterij, & probationem recipi, affirmat Gloss. in §. *cogitandum.* verbo *Testis Auth. de Monach.* Baldus in C. *tertio loco.* n. 4. *de probat.* Henricus Bect. in Cap. *insuper.* n. 11. & 15. *de test.* Decius Consil. 62. & passim alij: Rodriquez etiam *Tom.* 2. *qq. Reg. quæst.* 11 *art.* 1. tradit concessisse *Vrbanum IV.* Cistertiens. *quod in causis proprijs monasteriorum suorum, in jus eorum depereat, liceat Monachorum testimonijs uti, eaq; tanquam juridica recipienda esse.* Idem concessêre alijs *Julius II. Eugenius IV.* & *Leo I.* imò in rebus omnium gravissimis fides illis adhibetur, etiam in causa propriæ Religionis: veluti quando deponunt de aliquo sui Ordinis in Sanctorum Album referendo; uti factum esse constat in Canonizatione SS. Hyacinthi, Francisci de Paula, Ignatij, Xaverij, & aliorum.

Quintò hæc, de qua agimus revelatio, confirmari posse videtur argumento non dissimili ac domestico. Nemo hactenus, quem ego noverim, aut legerim, suspectam habuit, aut rejecit revelationem HONORII III. in favorem Ordinis Carmelitarum illi exhibitam, cum tamen hæc *Honorij* revelatio, non nisi ab antiquis Ordinis hujus Historiographis litteris primùm tradita sit, & inserta modo Annalibus Ecclesiast. *ad annum.* 1217. imò recepta à SIXTO V. an. 1587. in Bulla incipiente *Eximium, quod* &c. Et à sacr. Rituum Congregatione annuente PAULO V. an. 1609. subscribente Bellarmino, teste Card. Pinello: & iterum sub URBANO VIII. ab eadem sacr. Congreg. an. 1628. teste Cardin. de Torres, uti habetur in Officijs proprijs Sanctorum Ordinis pro Carmel. Discalceatis ab eadem & Congreg. approbatis.

Pro quo sciendum est, in Concilio Lateranensi, anno 1215. sub INNOCENTIO III. celebrato decretum fuisse, ne deinceps novæ Religiones instituerentur, sed quicunq; appeteret statum Religiosum,

sum, unam ex approbatis à Sede Apostolica Religionibus ingrederetur. Et licet Ordo Carmelitarum in Oriente, eò modo, quo Religiones ante Concilium Lateranense approbari solebant, jam dudum approbatus fuisset, attamen ob emanatum illud dicti Concilij decretum, necessaria videbatur nonnullis nova approbatio ac confirmatio, pro qua, dum apud HONORIUM III. Ordo instaret supplicando, ut antiquam propheticam Religionem, Marianumq; Ordinem, & ALBERTI Regulam suæ etiam Confirmationis munimine roboraret: Pontifex rem discutiendam præcipuis quibusdam suis Curialibus, maximè duobus Commissarijs Apostolicis, (teste Thomâ Scropo Episcopo in *Tract. ad Eugenium Papam IV.* scripto) commisit. His negotium nimium protrahentibus, sacratissima Virgo noctu Pontifici apparuit, severè præcipiens Ordinis sibi devotissimi protectionem ac Confirmationem; inter cætera his eum verbis affata: *Nec est adversandum in his dum jubeo, nec dissimulandum dum promoveo.* Ut autem fidem haberet ejus dictis, insinuavit eidem præfatos duos Commissarios, Ordinis æmulos, qui patronos se simulabant, DEO ultore plexos esse, dispari exitu, sed discessu pari.

Deipara Virg. *Honorio III.* apparet, ac præcipit ut Ordin. Carmelit. protegat, ac confirmet.

Adversarij Ord. Carmel. morte subitaneâ divinitùs plectũtur.

Mane facto ita compertum fuit, & Pontifex protinus Ordinem & Regulam ejus, authoritate Apostolicâ approbavit, ac confirmavit. Casum hunc referunt post Arnoldum Bostium, Joan. Paleonydorum, aliosq; Ordinis Historicos Bzovius *ad ann.* 1217. Joan. Fridericus Matenesius, Protonotarius Apostolicus, etiam *ibidem*, Flavius Cherubinus in *Compend. Bullarij* circa Bulam 8. HONORII III. *Scholio* 2. Hieronymus Platus *de bono stat. Relig. lib.* 2. *cap.* 22. Emmanuel Rodriquez *Tomo* 2. *qq. Regul. quæst.* 96. *art.* 7. Georg. Colvenerius in *Calendario SS. Virg. die* 30. *Januarij*, alijque. Cùm ergo hæc *Honorij* revelatio, ut par est, sit recepta, tametsi nec in ejus vita, nec in ejusdem Bullis reperiatur, cur *Ioannis* revelatio in Bullis ejusdem expressa, nec minùs gravibus ac solidis fundamentis nixa, non sit recipienda? maximè cùm ejus occasione Christi Fidelibus in Ecclesia DEI complura & maxima bona & commoda, & olim & nunc obveniant.

Tandem hæc *Ioannis* revelatio, quantum colligere ex ipso ejus Diplomatis tenore licet, ita numeris suis absoluta est, ut veritatem facti quodammodo eloqui videatur. Quod ex Angelico Doctore demonstrari posse videtur, qui 2.2. q. 172. ad revelationem divinam ejusq;

85.

Quænam cõditiones ex doctri-

na S. Thomæ requirantur ad divinam revelationem?

ejusq; veritatem hæc potissimùm requirit. *Primò*, ex parte causæ finalis, aliquam Ecclesiæ utilitatem. *Secundò*, ex parte causæ efficientis, nempe DEI, à quo solo veluti primo principio procedit, propriè & simpliciter dicta revelatio, quendam luminis supernaturalis influxum ad dijudicandum & discernendum veraciter ac efficaciter ea, quæ agenda sunt. *Tertiò*, ex parte causæ materialis, sive personæ, cui fit revelatio, mentis elevationem. *Deniq;* ex parte revelationis formaliter sumptæ cognitionem rerum, quæ sunt procul ac remotæ ab hominum cognitione. Hæc verò omnia secundùm omnem suam proprietatem, in hac revelatione reperiri certum est.

Reperiuntur hæ omnes in revelatione *Ioan. XXII.*

Primò quippe promittitur JOANNI victoria de suis adversarijs, extinctio futuri schismatis Petri Corbarij Antipapæ dicti *Nicolai V.* & pax Ecclesiæ per JOANNIS solius Pontificatum; quæ constat plurimum profuisse Ecclesiæ. *Deinde*, ad cognoscendum & dijudicandum de animabus Confratrum Sabbato post eorum decessum è purgatorio liberandis, deq; tali privilegio jam in cælis concesso & in terris publicando, uti in dicta revelatione continetur, non sufficiebat lumen naturale. Ad judicium quippe formandum de veritate & convenientia illius privilegij, ejusq; confirmatione & evulgatione altiori lumine opus fuit: unde cùm dictus Pontifex de his judicârit, & Bullam desuper expediverit, argumentum à posteriori habemus de quodam luminis supernaturalis influxu, ei divinitus communicato. *Præterea* constat ex tenore ipsius Bullæ Sabbatinæ hanc revelationem JOANNI inter orandum obtigisse. Unde cùm *Oratio*, juxta SS. Patres, *sit mentis in DEVM elevatio*, conijcere licet, JOANNEM eo tempore mente elevatum, rebusq; divinis intentum fuisse. *Postremò*, illa DEIPARÆ Virginis promissio de liberando celitùs JOANNE à suis adversarijs, & privilegium de eripiendis Sabbato animabus Fratrum & Confratrum è piacularibus flammis, à Christo Domino ob eximia Virginis Matris suæ merita in cælis concessum, excedunt humanam cognitionem, ab eaq; longissimè remotæ sunt. Ex quibus satis patere videtur hanc revelationem ijs omnibus conditionibus constare, quas ad veram revelationem S. Thomas, Theologiq; requirunt. *Accedunt*, inquit Theophilus Raynaudus, *Confirmationes Pontificum, Bullam IOANNIS* (continet hæc revelationem eidem factam) *ratam habentium, & verbatim referentium*, &c. *igitur vel omnes*

In Scapul. Marian. p. 2. q. 5.

omnes revelationes & apparitiones, quibus scatent volumina de vitis Sanctorum explodendæ sunt, (quod nemo Catholicus ausit dicere) vel ista est admittenda; tùm vix ulla aut revelatio aut apparitio prodatur, cui tot & tanta adstipulentur subsidia, quot & quanta suppetunt, pro istius, de qua agimus, veritate.

CAPUT III.

Quo tempore hæc revelatio IOANNI *exhibita fuerit?*

86. In designãdo revelationis tempore discrepãt Authores: & unde orta hæc sit dissensio?

ADMISSA revelationis, de qua differimus, veritate, nunc discutiendum venit, quo tempore contigerit. In assignando verò tempore, quo hæc Joanni revelatio concessa fuit, dissentiunt Authores cùm exteri, tum domestici, cum antiquiores, tum recentiores. Nonnulli quippe volunt DEIPARAM Virginem Joanni apparuisse, ac Sabbatinum privilegium revelasse ante susceptum Pontificatum: alij autem adito jam Pontificatu. Causam potissimam, unde hæc processit opinionum diversitas, præbuisse videntur exemplaria ipsius Bullæ Sabbatinæ: quorum nonnulla datam asserunt anno primo, alia anno sexto Pontificatûs Joannis. Qui anno sexto Bullam hanc datam fuisse legunt, affirmant beatissimam Virginem, post adeptam pontificiam dignitatem, Joanni apparuisse; ne cogantur admittere Joannem ad sexennium hæsisse, & distuliſſe exequi, quod à serenissima cælorum Regina ei, tali sub promissione ac conditione, mandatum fuerat. Quod de pientissimo sapientissimoq; Pontifice suspicari iniquum arbitrantur. Vecordis enim animi est, procrastinare in boni executione; idque meritissimo, tanquam Caini labem exagitant, Origenes & Ambrosius, uterque post Philonem.

Hom. 4. in Genes. L. 1. de Cain. c. 8. L. de sacr. Abelis & Caini.

Idem *secundò* colligunt hi Authores, ex illis SS. Virginis verbis, quibus Joannem proprio Pontificio nomine, & Vicarium Christi nuncupat, inquiens: *O IOANNES, Vicarie dilecti Filij mei,* &c. non enim *Ioannes* nominabatur, aut Christi erat Vicarius, nisi post suam in Romanum Pontificem inaugurationem.

Probatur accidisse *Ioanni* jam existenti Pontifici.

Videtur *tertiò* promissio DEIPARÆ facta Joanni idipsum satis apertè demonstrare, dum pollicetur eum à suis adversarijs liberare: volunt namq; Joannem ante initum Pontificium, juxta Ecclesiasticos

Annales, adversarios nullos habuisse, à quibus liberandus esset: quos autem, quotq; in Papatu adversarios passus fuerit, & qualiter à serenissima Virgine ab ijs divinitùs sit ereptus, luculenter tradunt ex Historijs Ecclesiasticis ijdem Authores. Nec huic sententiæ obstare videntur illa DEIPARÆ ad ipsum Joannem verba: *Te Papam faci* Nam præterquam quod alia & emendatior lectio habeat: *Te Papam fu* possunt hæc sic exponi; ut dicatur beatiss. Virgo illum adhuc cre re Pontificem, quatenus eum confirmabat, & ab adversarijs, qui illum aliàs fortè rejecissent, aut de Sede S. Petri deturbassent, liberabat; & sic in Pontificatu conservando censebatur quasi de novo facere: cùm juxta receptam Philosophorum doctrinam, conserva continuata quædam sit creatio seu productio.

Affirmant hujus opinionis assertores, intra primum sexenni Pontificatus Joannis, hanc ei visionem objectam fuisse; & licet terminatum tempus, aut annum non designent, postremò tamen hujus sexennij anno adscribenda videtur; ut sic facilius à supra nuata negligentiæ culpa Joannes vindicetur.

87. Alij sentiunt & probant contigisse ante Pontificatum.

ALII, qui Bullam Joannis primo Pontificij sui anno datam gunt, tradunt ipsi adhuc existenti Cardinali, & in gravissimis illis difficultatibus, quibus in illo duorum annorum interpontificio no Pontificis electio irretita erat, ad gratiæ thronum, misericordiæq Asylum DEIPARAM Virginem, supplici devotione confugienti, visendam præbuisse eandam beatissimam Virginem, & Papatum, & munitatem ab hostibus pollicitam fuisse; hac tamen conditione, ut Carmelitis faveret, & Indulgentiam Sabbatinam, seu ereptionem illorum, Confratrumque, si nonnulla ab eadem DEIPARA præscripta servaverint, Sabbato post eorum decessum è Purgatorio, publicaret. Nec huic opinioni, cui major ferè Authorum pars adhæret, defu suæ non minus solidæ rationes ac fundamenta, ex ipso Sabbatini Diplomatis textu ac tenore deducta: & ad præcipuum oppositæ sententiæ motivum, fundatum in illis DEIPARÆ verbis, quibus Pontificem nomine *Ioannis*, quod in sua ad Sedem Apostolicam promotione primum assumpsit, compellat, & *Vicarium Filij sui* nuncupat, respondent; rectè potuisse sanctissimam Virginem per ampliationem ad futurum, cujus erat præscia, *Jacobum* Cardinalem nomine Pontificio *Ioannis* appellare, ut majori certitudine de promissione facta confirmaret,

ret, eum alloquendo, quasi de facto creatum Pontificem, anticipatâ in hoc locutione utendo: quam in sacris etiam paginis satis frequentem esse monet D. Augustin. *Tom. 4. lib. 3. in quæst. super Leviticum, qu. 23.* his verbis: *Quos intelligere alios non possumus, nisi filios Aaron, non quia jam erant, sed quia futuri erant; hoc eos iam tunc Scriptura appellavit per anticipationem, sicut sunt pleraq; talium locutionum. Nam & filius Nave Iesus appellatus est, cùm longè postea hoc nomen ei Scriptura narret impositum,* &c. idem ab Interpretibus, alijsq; Authoribus fieri solitum observat Laurentius à Villavicentio Xerezanus, Ord. Eremitarum S. Augustini in sua ratione de rectè formando Studio Theologico *lib. 2. c. 8. observ. 10.*

88. Nonnulli existimant JOANNEM XXII. duas Bullas de revelatione à DEIPARA sibi communicata, deq; privilegio Sabbatino dedisse; priorem quidem anno Christi 1317. sui Pontificatûs primo confecisse, & eo anno justas ob causas fortè non publicasse; verùm id demum anno Domini 1322. Pontificatûs sui sexto, die 3. Martij præstitisse: aut certè si primo anno & expediverit, & publicaverit, anno sexto ob rationes tunc temporis urgentes, nobis nunc ignotas, iterasse & repetijsse. Ad hoc confirmandum ac probandum producunt exempla non pauca de iteratis litteris Apostolicis, & quidem unum in argumento præsenti.

Vide Philib. Fezayum *Privileg. 2.* Cõtroverſ. 1. §. 4. & cõtroverſ. 5. 6. & 7. Et Danielẽ à Virg. Maria in *Vinea Carmeli par. 5. num. 835.* Alij censẽt duplicem Bullã Sabbatinam expeditam fuisse.

CLEMENS quippe VII. anno 1528. in civitate Vrbevetana Diplomate Apostolico Bullã JOANNIS XXII. & ALEXANDRI V. confirmavit, innovavit, & perpetuæ firmitatis robur contulit; extat apud Rodriquez *Tom. 2. quæst. Regular. q. 96. art. 7.* & alios. Quia verò *Clemens* in suo illo Diplomate præceperat, *ut expediretur sub Plumbo infra annum, qui si effluxisset, nullius esset roboris aut momenti,* & id factum minimè fuerat; ideò idem *Clemens* aliam Bullam plumbeam expedivit, & evulgavit anno 1530. cujus initialia verba sunt, *Ex clementi sedis,* per quam præcedens Diploma iteravit ac confirmavit. Reperitur in Bullarijs Rodriquez & Cherubini inter hujus Pontificis Constitutiones. PAULUS quoque V. duabus distinctis Bullis eandem largitus est plenariam Indulgentiam Sodalibus Carmelo-parthenijs, qui confessi ac sacrâ communione refecti, interessent singulis fieri solitæ mensibus Processioni Confraternitatis sacri SCAPULARIS. Primam quidem an. 1609. die 31. Augusti, incipit, *Piorum hominum.* Alteram an. 1614. die 19. Julij, incipit, *Alias volentes.*

Complura similia suppeterent exempla, ex quibus liquet, non esse planè insolitum eâdem de re distinctis temporibus diversas confici Bullas, quod in Sabbatino Privilegio similiter evenire potuit. Hoc ipsum alio probare nititur argumento Philibertus Fezayus, qui consuli poterit *Privileg. 2. controvers. 6. §. 2.*

Præambul. 34. num. 5. & in ejus subsessu altero nū. 2.

Et iteratò apparuisse DEIPARAM *Ioanni XXII.*

Alij, è quorum numero est idem Fezayus, & Antonius de Cabanate in *Paradis. Carmel.* non solùm iteratò eandem JOANNIS Bullæ emanasse volunt, verùm etiam ipsam DEIPARAM & ante Pontificatum, & *Ioanni* jam existenti Pontifici & apparuisse, & idem revelasse contendunt. [Notandum est, (inquit Fezayus *loc. cit. controv. 7. §. 1.*) circa expeditionem Bullæ Sabbatinæ tria distingui tempora. *Primum* est, quando B. Virgo apparuit Jacobo de Ossa Cardinali Portuensi eumq; certiorem fecit de sua ad summum Pontificatum futura promotione. *Secundum*, quando factus Papa, nominatus fuit JOANNES XXII. & anno primo suæ coronationis expedivit Bullam Sabbatinam dat. Avenione, &c. *Tertium* deniq; tempus est, quando sanctissima Virgo iterùm apparuit JOANNI Papæ XXII. anno sexto ejus Pontificatus, promittens ei victoriam de adversario, & Ecclesiæ tranquillitatem, modò Carmelitarum Ordinem iterùm confirmando. Indulgentiam hanc (*Sabbatinam*) sic roboraret & confirmaret in terris, sicut propter amorem glorioſissimæ Matris suæ JESUS concessit & roboravit in cælis. Quamobrem iterato B. Virginis præcepto Pontifex iteravit Bullam Sabbatinam, Ordinem cum suis Privilegiis iterùm confirmavit.] Ita ille.

89.

Hæc Authorum dissensio nō tollit revelationis veritatem.

In hac sententiarum discrepantia, eligat, quam maluerit Lector, tum circa tempus factæ *Ioanni* revelationis, tum circa annum datæ Bullæ Sabbatinæ: verùm animadvertat, quod hæc Authorum dissensio veritatem revelationis non spectet, multò minùs tollere queat: cùm discordia testium, uti & Scriptorum, non perimat, aut infirmet efficaciam testimoniorum aut probationum, nisi sit in circumstantijs quæ variant substantiam facti, uti præclarè docet S. Thomas 2. 2. *quæst. 70. art. 2.* quod in nostro casu non occurrit: *Quin immò*, subjungit ibidem Angelicus Doctor, *aliqua discordia in talibus, facit testimonium credibilius, ut Chrysostomus dicit supra Matthæum, quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem sermonem proferre*, &c. Idem cum Augustino observant alij circa Euangelistarum in aliquibus discordiam.

Homil. 1. paulò post principium.

Imò

Imò si ob discrepantiam sententiarum, quoad supputationem annorum reijcienda esset hæc revelatio, paucæ profectò forent Historiæ cum prophanæ, tum Ecclesiasticæ, quæ pariter non essent reijciendæ, cum in plurimis dissentiant Historiographi & Scriptores circa annorum temporisq; designationem. Non est nostri nunc instituti per Annales Ecclesiasticos, variasq; discurrere Historias, & exempla producere ad hoc demonstrandum, sufficiat exemplum adferre, ne longiùs discedamus, circa ipsasmet res alias JOANNEM XXII. concernentes, ut omnibus pateat hanc opinionum dissensionem quoad temporis & annorum supputationem non solum deprehendi respectu nostræ revelationis, verùm etiã aliarum rerum gestarũ hujus Pontificis. Quantum pugnant Authores de ipsamet electione *Ioannis?* Platina, Bzovius, & alij electionem *Ioannis* more aliàs solito, ac per scrutinium factam fuisse tradunt. Villanius verò, Ciaconius, & alij per compromissum Cardinalium seipsum nominasse scribunt. Nonnulli coronatum volunt Lugduni quinto aut nono Septemb. Alij Avenione octava Septemb. quod affirmat Villanius *Ioannis* coætaneus. Blondus *decad.* 2. & cum eo Nauclerus Imperatorem Ludovicum Bavarum anno 1316. per Legatos confirmationem suæ electionis & coronationem à *Ioann. XXII.* petijsse tradunt: Cuspinianus verò cum alijs hanc legationem ad annum 1327. remittit. Trithemius controversiam Minoritarum cum *Ioanne XXII.* refert ad annum 1324. Marcus verò Ulyssipponensis in *Hist. Ord. Min. lib.* 8. hanc anno 1328. accidisse contendit. Idem Marcus *part.* 2. *lib.* 8. Michaëlem Cæsenatem Generalem Ordinis Minorum Ministrum, gradu & officio privatum à *Ioanne XXII.* eodem anno 1328. scribit: Bzovius verò ex manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, hoc accidisse anno 1327. asserit. idemq; circa res alias hujus Pontificis dici posset. Quemadmodum ergò contentiosus aliquis ineptè ac perabsurdè inferret JOANNEM XXII. in Pontificem minimè electum fuisse, eo quod variæ & repugnantes de ejus promotione sint sententiæ: neq; inauguratum aut coronatum fuisse, quia de loco inaugurationis seu coronationis non conveniunt Scriptores: neq; *Ludovicum* Bavarum petijsse à *Ioanne* suæ electionis in Imperatorem confirmationem, quia circa hujus Legationis annum dissentiunt Authores: nec inter *Ioannem* & Minoritas controversias extitisse, quia de ejus tempore diversimodè sentiunt Historiographi:

Non dissimilis dissensio reperitur apud Historiograph. in cæteris gestis *Ioannis XXII.* Pontificis.

riographi: ita non minus absurdè ineptèq; quispiam argueret, & inferret JOANNEM XXII. revelationem de Privilegio Sabbatino non habuisse, quia de ejus tempore & anno discrepant Scriptores. *Pertuerunt* quippe *ex variis causis in diversa abire*, inquit Raynaudus, *imo illud adjunctum, salvâ Bullæ & Visionis veritate quoad substantiam.* Cum hac dissensio, ut supra innuimus, non spectet revelationem, ejusq; substantiam, sed solum determinatum ejus tempus, aut Authores eam referentes.

CAPUT IV.

Refertur tenor Bullæ Sabbatinæ à IOANNE XXII primùm promulgatæ, aliorumq; Pontificum Diplomata eidem suffragantia.

90. DISSERUIMUS hactenus de revelatione JOANNI Pontifici communicata, deq; tempore obversatæ eidem visionis, nunc de Bulla illius *Sabbatina* nuncupata, & in dicta revelatione fundata, differendum erit. Habuit quippe à DEIPARA revelatione de publicando ac confirmando pro animabus Fratrum ac Confratrum in Purgatorio existentibus Privilegio, subjectam edidit Bullam.

JOANNES Episcopus, Servus Servorum DEI, universis & singulis Christi Fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, præsentes litteras inspecturis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ioanni flexis genib⁹ oranti apparet *Deipara Virgo* in habitu Carmelit.

Sacratissimo uti culmine Paradisi, Angelorum tam suave reperitur melodia, &c. *Sic mihi flexis genibus supplicanti Virgo visa fuit Carmelita, sequentem affata sermonem: O Joannes, O Joannes, Vicarie mei Dilecti Filij; veluti à tuo te eripiam adversario, te Papam facio, solemni dono Vicarium, meis coadjuvantibus supplicationibus dulcissimo Filio meo petens, quod gratiosè obtinui: Ita gratiam, & amplam meo sancto & decoro Carmelitarum Ordini Confirmationem debeas præconcedere, pa-*

ELIAM

ELIAM & ELISEUM in Monte CARMELO inchoato; quòd unusquisq; Professionem faciens, Regulam à meo Servo ALBERTO Patriarcha ordinatam, & per meum dilectum Filium INNOCENTIUM approbatam, observabit, & inviolatam obtinebit: ut verus mei Filij Vicarius, debeas in terris assentire, quod in cælis meus statuit semel & ordinavit Filius; quod qui in sancta perseverabit Obedientia, Paupertate & Castitate, vel qui sanctum intrabit Ordinem, salvabitur. Et si alij devotionis causâ, in sanctam ingrediantur Religionem, sancti habitus signum ferentes, appellantes se CONFRATRES & CONSORORES mei Ordinis prænominati, liberentur & absolvantur, tertiâ eorũ peccatorum portione, à die quo præfatum Ordinem intrabunt: Castitatem, si vidua est, promittendo; Virginitatis, quæ Virgo est, fidem præstando: si conjugata, inviolatè observationem Matrimonij adhibendo (ut S. Mater imperat Ecclesia.) Fratres Professi dicti Ordinis, supplicio solvantur & culpâ. Et die quo ipsi à sæculo recedunt, & properato gradu accelerant Purgatorium: Ego Mater gratiosè descendam Sabbato post eorum obitum, & quod inveniam in Purgatorio, liberabo, & eos in Montem sanctum vitæ æternæ reducam: Verùm quod ipsi Confratres & Consorores, teneantur Horas dicere Canoniales, ut opus fuerit secundùm Regulam datam ab Alberto. Illi, qui ignari sunt, debeant vitam jejunam ducere, iis diebus, quos sacra jubet Ecclesia, nisi necessitatis causâ alicui essent traditi impedimento, Mercurio & Sabbato debeant à carnibus abstinere, præterquam in mei FILII Nativitate. Et hoc dicto evanuit hæc sancta Virgo. Istam ergò sanctam Indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, sicut propter merita Virginis Matris, gratiosè Christus concessit in cælis. Nulli ergò hominum omninò liceat hanc paginam nostræ Indulgentiæ seu statuti & ordinationis irritare, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,

Ex hoc Virgineo Pontificioque oraculo manifestè patet *Eliam & Elisæum* Prophetas fundatores fuisse Ord. Carmelit.

Promissio Deiparæ de liberandis Frat. ac Confratribus suis Sabbato post eorũ obitum à Purgatorio.

Utrum hæc liberatio fiat semper per personalem descensum, infrà c. 13. dicetur.

Quid observandum sit volentibus frui privilegio Bullæ Sabbatinæ?

sumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & B.B. Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Avenione, die 3. Martij. Pontificatus nostri Anno 1. legunt alij sexto.

Nulli ætati defuere Pontifices, qui Sabbatinâ *Ioan. XXII.* Bullam Apostolicâ authoritate comprobarent, confirmarentque.

Horum primus fuit *Alexander V.*

Diximus suprà nullâ ætate defuisse Pontifices, qui hoc Privilegium, hancq; Bullam suis Apostolicis Diplomatibus confirmarent atteſtarenturq;. Si quidem cum Bulla Sabbatina, Pontificiâ JOANNIS XXII. authoritate primùm sæculo decimo quarto promulgata fuerit, mox sub initium sæculi subsequentis, decimi quinti scilicet ALEXANDER V. anno Christi 1409. Pontificatus sui primo, dato Diplomate, *Ioannis* Bullam comprobavit, ac novo pondere firmavit. In quo etiam Diplomate *Ioannis* Autographum à se visum, ac diligenter inspectum ac recognitum testatur: ejusdem Autographi Apographum verbatim exscriptum suo illi Diplomati inseruit. Singulari verò divinæ providentiæ beneficio adscribendum videtur, quod *Alexander* in suum Diploma Bullam *Ioannis* verbatim integrèq; retulerit, quod paucis post annis videlicet 1421. Diplomatis *Alexandri* publicum authenticumq; Majoricæ instrumentum conficeretur, ad instantiam R. P. Alphonsi de Theranno Angli: qui Autographum seu Bullam originalem *Alexandri* quam Judicibus & Notarijs legendam inspiciendamque, ut ijdem testantur, exhibuit, atq; in Angliam, ubi Prioris munere fungebatur, erat asportaturus, unà cum Bulla *Ioannis* adservandam.

Cùm enim infelici sorte ac calamitate *Ioannis* & *Alexandri* Autographa postmodum perierint, hoc instrumentum & alia authentica superesse voluit, & præfatorum Autographorum vices supplere.

91. Tenor autem Bullæ ALEXANDRI, & præfati Instrumenti hic est.

In Nomine Domini nostri IESV Christi, Amen.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quatercentesimo vigesimo primo, mense Ianuarij, die secundo ejusdem mensis, decimâ quintâ indictione, regnante Excellentissimo & Serenissimo Domino N. Rege Alphonso, DEI gratiâ, invicto Rege Aragonum, & Siciliæ, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ, Corsicæ, Comite Barcinoniæ, Duce Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comite Rossonis, & Seritaniæ, regiminis verò ejus anno sexto feliciter, Amen. Nos Petrus de Terranova Iudex, & Paulus de Rubengerio, Imperiali Authoritate ubique, & Regiâ totius Insulæ Majoricarum Iudex Ordinarius, ac Notarius Publicus, & Testes subscripti, ad hoc vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus,

facimus, & teſtamur, quòd ad noſtram accedens præſentiam Venerabilis F. P. Alphonſus de Therano de Regno Angliæ, Prior Conventus Capturienſis, Ordinis S. MARIÆ de Monte CARMELI, nobis præſentavit, & publicè legi fecit quandam Bullam Papalem felic. record. ALEXANDRI Papæ V. impetratam per dictum Ordinem, quam vidimus, legimus, & inſpeximus diligenter, tenoris & continentiæ ſubſequentis: petijtq; à nobis Venerabilis Prior, noſtrum, qui ſuprà, Iudicis, & Notarij in hac parte Officium implorando, ut ipſam Bullam in formam publicam ad cautelam dicti Ordinis, cujus intereſt, & intereſſe poterit in futurum, redigere & exemplare deberemus.

Nos autem attendentes petitionem dicti exponentis, tanquam ſanæ & juſtæ rationi conſonam, quia juſtè petentibus non eſt denegandus aſſenſus, dictam Bullam cum Bulla plumbea pendente, prout jacet, nihil per nos aucto, vel mutato, ſeu etiã diminûto, quod ſenſum mutet, augeat, vel variet intellectum, in præſentem formam publicam, & ſumptum publicum duximus fiducialiter redigendum, ut tanta fides adhibeatur huic publico ſumpto, quanta adhiberi poſſit originali Bullæ prædictæ. Cujus Bullæ tenor per omnia talis eſt.

ALEXANDER Epiſcopus, Servus Servorum DEI, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, tam præſentibus quàm futuris præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Tenore cujuſdam Privilegij felicis recordationis IOAN. vigeſimi ſecundi, prædeceſſoris noſtri, dilectis Filijs Priori Generali, & Fratribus, & dilectis in Chriſto Filiabus, Sororibus, Confratribus Confratriæ Fratrum dicti Ordinis Carmelitarum conceſsi, per nos viſi & diligenter inſpecti, de dicto Originali ſumpto, ut de ipſo imposterum certitudo plenior habeatur, præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt.

Ioannes Epiſcopus, Servus Servorum DEI, Vniverſis & ſingulis Chriſti Fidelibus, &c.

Datum Romæ 7. Decembris apud ſanctam Mariam Majorem, Pontificatus noſtri anno 1.

Vnde ad futuram memoriam, & dicti Ordinis certitudinem & cautelam præſens publicum Tranſumptum, exinde factum eſt per me prædictum Notarium Petrum, meoq; ſolito ſigno ſignatum, noſtrisq; Iudicis & ſubſcriptorum Teſtium ſubſcriptionibus roboratum. Actum Majoricæ anno, menſe, die & indictione præmiſſis.

S. Ego

Ego Petrus de Terra nova, qui suprà, Imperiali authoritate ubiq;, & Regiâ totius insulæ Majoricarum, Iudex ordinarius atq; Notarius publicus, præmissa omnia rogatus scripsi, meoq; solito signo obsignavi. &c.

Ego Paulus de Rubengerio de Placentia, qui suprà, Iudex me testor.

Ego Dominus Alphonsus de Majorica, prædictam originalem Bullam cum plumbea pendente vidi & legi, & me subscripsi.

Ego Dominus Andreas De poculis prædictam originalem Bullam vidi, & legi, & me testor.

Ego Dominus Philippus de Arta, ut suprà.

Ego Dominus Philippus de Au, ut suprà, me subscripsi.

92. Alterum authenticum Apographum seu exemplar Diplomatis ALEXANDRI extat novem à priore elapsis annis scilicet 145[illegible] confectum, non immediatè ex Bulla *Alexandri*, sed ex superiori Instrumento excerptum per Matthæum de Monte Leone Judicem, [illegible] Nicolaum de Urone Notarium, &c. Agrigenti in Sicilia die 6. Augusti anni jam dicti; sigillum apponente Illustrissimo ac Reverendissimo D. Laurentio Episcopo Agrigentino, qui superius Transsumptum ad petitionem R. P. Gerardi de Trapano in Sicilia Carmel. Ordin. Provincialis, vidit, legit, & diligenter auscultavit, &c. Huic etiam Instrumento plurimi subscripsêre Judices ordinarij, publiciq; Notarij adeò ut præfatis duobus Instrumentis nihil prorsus desit, quo minus censeantur authentica, fidemq; faciant Bullæ *Ioannis* & *Alexandri*: cum tota solemnitas, quam Jura, tum Canonicum, tum Civile exigunt, [illegible] ijs conficiendis observata esse manifestè appareat.

Porrò advertendum est circa superiores *Ioannis* & *Alexandri* Bullas, Angelum Cherubinum Monachum Cassinensem, *Tom.* 1. Bullar. Romæ excusi an. 1638. *ad Constitut.* 31. *Clementis VII. ad* §. 1. hujus Constit. hæc scribere: *Has Constitutiones prætermisi* (loquitur de præfatis *Ioannis* & *Alexandri*) *quia continent elargitionem Indulgentiarum, quæ [illegible] formata fuit; ut hîc dixi in Rubrica.* Ex quo colligo *primùm* ambas istas Bullas non latuisse Angelum Cherubinum. *Secundò*, eundem horum Diplomatum Originale vel Transumptum seu Instrumentum ita authenticum præ manibus habuisse, ut sufficeret ad inferendas Bullares præfatas Constitutiones, nisi aliud, scilicet jam dicta Indulgentiarum reformatio, obstitisset. *Tertiò*, non ideò omissas fuisse à Cherubino, quòd ei forent suspectæ, verùm quòd reformatam crederet Indulgent[illegible]

dulgent. elargitionem,&c. Hæc verò reformatio intelligenda est de Indulgentia tertiæ partis peccatorum, quæ à PAULO V. una cum alijs fuit immutata in alias,etiam liberaliores, anno 1606. non autem de Sabbatina, quam an. 1609. *Paulus V.* potius confirmasse, quam revocasse infrà demonstrabimus.

93. SEQUENTI sæculo nempè decimo sexto, Ecclesiam an. 1523. regere incepit CLEMENS VII. qui ad excitandam tepescentem Fidelium devotionem, & reprimendas seu præcavendas à nonnullis motas, aut quæ moveri posse videbantur, contradictiones, difficultatesq; singularissimum illud Privilegium Sabbathinum à JOANNE XXII. & ALEXANDRO V. probatum ac publicatum duplici Constitutione de novo asseruit, comprobavit, confirmavitq;. Priorem reperiet Lector apud Emmanuelē Rodericum *Tom. 2. qq. Regul. q. 97. art. 7.* & Thomam à JESU *lib. 2. de Confratern. Cap. 2.* ut alios omittam Carmelitas eam referentes sub hac verborum forma.

Extāt Romæ in Archivo Conventus Carmelit. Transpontin.

Tenor prioris Bullæ *Clement. VII.* Diplomata *Ioann. XXII.* & *Alexand. V.* confirmantis.

DILECTI FILII Nicolaus Audet Generalis, ac Provinciales & Priores domorum Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo juxta morem dicti Ordinis, nec non Confratres utriusq; sexus Confraternitatum in Ecclesijs domorum seu domibus ejusdem Ordinis institutarum nobis nuper exponi fecerunt, quod alias fel. record. IOAN. Papa XXII. & ALEXANDER V. Romani Pontifices, Prædecessores nostri, universis & singulis Christi Fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo intrare seu Confratrum Confraternitatis ejusdē numero adscribi, ipsiusq; statuta observare, ac habitum dicti Ordinis deferre, seq; fratres, & sorores dicti Ordinis appellare, itaq; similiter Virgo Castitatem, vidua verò continentiam, conjugata autem matrimonij jura, prout sancta Mater Ecclesia præcipit, à tempore eorum ingressus inviolabiliter servare velle promiserint, & observaverint, tertiam suorum peccatorum partem in Domino relaxarunt. Ac die quo à sæculo hujusmodi purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa DEI Genitrix MARIA Sabbato sequenti post ipsorum Confratrum seu Religiosorum, ac Sororum obitus visitando à pœnis purgatorij hujusmodi eorum animas liberabit. Quodq; Confratres ipsi litterarum eorundem Prædecessorum participes fieri volentes Horas Canonicas juxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini concessam, & ordinatam recitare; ignari verò litterarum diebus, quibus sancta Ecclesia jejunare præcipit, jejunare: nec non quarta feria & sabbato tempore vitæ eorum (præterquam die, qua aliquā ex ferijs prædictis Nativitatem Domini nostri IESV Christi occurrere contigerit) à carnibus abstinere debere &c. [Recensitis deindè permultis alijs Privilegijs prosequitur.]

Nos itaq; hujusmodi supplicationibus inclinati IOANNIS *&* ALEXANDRI, *ac aliorum Prædecessorum nostrorum litteras, ac per eosdem Prædecessores omnia & singula Privilegia &c. Etiam per Nos & Sedem Apostolicam concessa, quorum omnium Tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, Authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & innovamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere & inviolabiliter observari debere,* &c. *Dat. in Urbe sub annulo Piscatoris, die* 15. *Maij, Anno M. D. XXVIII.*

94. POSTERIOR *Clementis VII.* Constitutio sub plumbo expedita emanavit Romæ anno Domini 1530. Pontificij sui an. 7. pridiè Idus Augusti. Refertur integrè à Cherubino inter *Constitutiones* CLEMENTIS VII. *num.* 31. & à Roderico semel & iterum in Bullario Anconitano excuso an. 1623. primo quidem *Tom.* 2. *in Clemente VII. in undecima*: deindè in *addition. ad eundem Tom. num. secunda*: alijsq; cum pluribus, ut sequitur.

Tenor posterioris *Clement. VII.* Bullæ, qua denuo eadem dictarum litterarum confirmatio repetitur.

CLEMENS *Episcopus, Servus Servorum* DEI, *ad perpetuam rei memoriam.*

Ex clementi Sedis Apostolicæ provisione, nec non personarum DEO *votarum sub Religionis jugo & regulari castimonia Domino militantium pia devotione provenire dignoscitur, ut Rom. Pontifex quandoq; per Prædecessores suos Romanos Pontifices, pro personarum earundem, ac illarum locorum felici statu & quiete, ac Christi Fidelium pijs operibus vacantium animarum salute concessa approbet & innovet, ac innovata communiat, & alia de novo concedat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.*

Sanè pro parte dilectorum filiorum Nicolai Audet Generalis, & Provincialium, & Priorum Domorum Ordinis beatæ MARIÆ *Virginis de Monte* CARMELO, *nec non Confratrum utriusq; sexus Confraternitatum in Ecclesijs hujusmodi Ordinis eorum ejusdem Ordinis institutarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis* IOAN. XXII *&* ALEXANDER V. *Romani Pontifices, Prædecessores nostri, universis & singulis Christi Fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, seu Confratrum Confraternitatum hujusmodi numero adscribi, ipsiusq; Ordinis statuta observare, ac habitum dicti Ordinis deferre, seq; Fratres & Sorores dicti Ordinis appellare, ita tamen quod si mulier Virginitatem, vidua verò continentiam, conjugata autem matrimonij jura (prout sancta Ecclesia præcipit) tempore earum ingressus inviolabiliter servare promitterent, & observarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relax-*

relaxarunt, ac ipsa gloriosissima DEI Genetrix semper Virgo MARIA ipsorum Confratrum seu Religiosorum ac Sororum animas post eorum transitum suis intercessionibus continuis, piis suffragiis, & speciali protectione adjuvabit: quodq; Confratres ipsi, gratiarum earundem Prædecessorum participes fieri volentes, Horas Canonicas juxta formam ab ALBERTO Patriarcha dicto Ordini concessam, & ordinatam recitare: Ignari verò litterarum, diebus, quibus sancta Ecclesia jejunare præcipit, jejunare, nec non quarta feria & Sabbato toto tempore vitæ eorum, præterquam die, qua aliquam ex festis prædictis Nativitatem Domini nostri IESV Christi occurrere contigerit, à carnibus abstinere deberent. His præmissis mentionem ingerit complurium privilegiorum, immunitatum, exemptionum, &c. à Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus eidem Ordini concessarum, mox incipit Bullam Sabbatinam hisce verbis confirmare &c.

Nos igitur dicti Ordinis (quem præ cæteris in visceribus gerimus charitatis, prosperum & tranquillum statum, ac animarum salutem paterno zelantes affectu, hujusmodi supplicationibus inclinati, IOANNIS & ALEXANDRI ac aliorum Prædecessorum nostrorum litteras, ac per eosdem Prædecessores omnia & singula Privilegia, immunitates, exemptiones &c.

Quorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, authoritate Apostolica Tenore præsentium approbamus & innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere decernimus.

In altera hujus Bullæ parte concedit idem Pontifex plurima privilegia, indulgentias, gratias, &c. Confraternitati B. MARIÆ Virginis de Monte *Carmelo*, de quibus omnibus nos infrà *parte tertia, quarta & quinta*, uberius agemus, tandemq; concludit hanc Bullam hoc modo, *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ* 1530. *pridie idus Augusti Pontificatus nostri anno septimo.*

QUADRIENNIO post PAULUS III. illud *Clementis VII.* Diploma, & privilegia in eo innovata ac confirmata suæ Bullæ incipienti: *Provisionis nostræ provenire debet subsidio, ut suum jus cuilibet conservetur.* inseruit iterumq; confirmavit his verbis: *Nos tenorem quarundam litterarum felic. record CLEMENTIS Papæ VII. Prædecessoris nostri, in Registro ipsius Prædecessoris compertum* &c. Et post integram *Clementis* Bullam descriptam subjungit: *Cæterum, ut earundem tenor litterarum hic insertus, omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, authoritate nostra decernimus, ut*

95. Idem præstitit *Paulus III.* an. 1534. Asservatur hoc *Pauli III.* diploma authenticum in

Conventu Carmelit. Rothomagensi & integrum refertur ab Irenæo in *Monumentis lib. cit. pag. 26.*

illud idem robur, eandem vim, eundemq; vigorem dictus tenor habeat, quæ haberent originales litteræ supradictæ, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunq; & ubicunq; sive in judicio, sive alibi, ubi fuerit exhibitus seu ostensus, & eidem tenori firmiter servetur in omnibus, sicut ejusdem originalibus literis daretur, si forent exhibitæ & ostensæ &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1534. 3. Novembr. Pontificatus nostri anno primo.

Paulus IV.

PAULUM IV. qui eodem sedit sæculo, peculiari Diplomate cui JOANNIS XXII. Bullam indidit, eandem probasse ac confirmasse tradit Theophilus Raynaudus in *Scapulari Mariano parte 1. Cap. 2.*

96. *Pius V.* an. 1566.

CLEMENTEM VII. & PAULUM III. & IV. secutus est PIUS V. eodem sæculo anno 1566. 6. Calend. Maij: *motu proprio* Privilegium Sabbatinum confirmavit per Constitutionem incipientem *Superna dispositione.* Cujus Autographum cum sigillo plumbeo Romæ in Archivo Convent. Transpontini asservari scripsit Lezana *Tom. 4. Annal. ad an.* 1322. in qua inter cætera hæc habentur. *Nec non omnium & singulorum Privilegiorum, Indulgentiarum, & Gratiarum etiam Sabbatinorum per piæ mem. IOANNEM XXII. INNOCENTIVM VIII. & CLEMENTEM VII. & alios Romanos Pontifices, Prædecessores nostros quomodolibet concessorum & approbatorum, ac quarumcumq; litterarum desuper confectarum tenores de præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio &c. Nostra mera liberatione, omnia & singula Privilegia, Indulgentias & alias Gratias &c. Auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus.* Vides, subjungit, Lezana, pie Lector, à PIO Pontifice, *motu proprio approbata privilegia Sabbatina per IOAN. XXII. & CLEMENTEM VII. concessa &c.*

97. Et *Gregorius XIII.* an. 1577.

INTRA idem sæculum, vix elapsis ab emanata CLEMENTIS VII. Bulla altera annis 47. GREGORIUS XIII. PII V. in Romana Sede Successor, anno 1577. Pontificatus sui anno sexto, amplissimo encomio Carmeli Ordinem Sodalitiumq; propria Constitutione concelebrat, nec modo Diplomata *Ioannis* XXII. *Alexandri* V. ac *Clementis* VII. in actu signato memorat, tanquam legitima, verum etiam novo ea ro bore communire voluit, referens idem præstitisse *Pium V.* aliosq; anteriores Pontifices, juvat nonnulla ex Gregoriana hac Constitutione hic adjungere.

Docet hic Pontifex

Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam.

Ut Laudes gloriosissimæ Virginis MARIÆ referre, quæ salutis nostræ prædi-

Auctor

Auctorem, lingua nunquam cesset humana, sed ejus sanctissimum nomen pia devotione celebretur, ac veneretur: sacrum Ordinem sub invocatione ejusdem B. MARIÆ de Monte CARMELO, quem eadem Virgo venustissima & omnibus virtutum floribus insignita edidit, propriq; nominis titulo insignivit, à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus probatum, variisq; privilegijs, & facultatibus jam pridem decoratum: ex quo in agro Domini uberes fructus manarunt, & in dies non mediocres producuntur, gratia nostra speciali complectendum esse censemus, quo & antiqua privilegia illi Ordini (nostra ad id accedente authoritate) sublatis quibusdam impedimentis præserventur, ac Fideles singuli ad Ecclesias ejus Ordinis statutis diebus constituentes, eo libentius ibidem conveniant, ac orationi incumbant, aliaq; infrà scripta pia opera exerceant, quo exindè dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se esse refectos, &c.

Deiparam V. sac. Carmeli Ordin. edidisse proprijq; nominis titulo insignivisse. Idem tradit *Sixtus IV.* in Bulla supra *Cap. 4. num. 27.* relata.

Nos igitur Ordinem ipsum, illiusq; personas inter cæteros Regularium Ordinum Professores in Catholica Ecclesia militantes, tamquam Religionis Exemplar speciali charitate fulgentes, Sanctorumq; Prophetarum ELIÆ, Elisæi & Enoch: nec non & aliorum Sanctorum Patrum, qui Montem sanctum CARMELI, juxta ELIÆ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes specialibus favoribus & gratijs prosequentes. & infrà.

Commendat Ordin. Institutores & merita.

Idemq; IOANNES XXII. pro animabus, quæ in purgatorio existunt, & habitum hujus Religionis gestarunt, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero adscripti in honorem ejusdem beatæ MARIÆ Matris DEI, die Sabbati post earum transitum intercessionibus ejusdem continuis, pijs suffragijs, & meritis ac speciali protectione adjuvandis privilegium publicavit corroboravit & confirmavit, &c.

Privilegiū Sabbatinū.

Deniq; CLEMENS Septimus, post IOANNEM XXII. & ALEXANDRVM V. eorum litteras approbando: habitum gloriosissimæ & beatissimæ Virginis MARIÆ Matris DEI gestantibus, seu Confraternitatem ingredientibus, & alia servantibus, ut in ijsdem litteris continetur, Indulgentijs, peccatorum remissionibus, & gratijs singulis utriusq; sexus concessis, perpetuæ firmitatis robur addidit, & innovavit, ipsisq; & alijs participationem omnium bonorum spiritualium totius Ordinis Carmelitarum, & universalis Ecclesiæ, nec non Indulgentias stationum in Ecclesijs almæ urbis, tam intus, quam foris, temporibus, quibus eædem indictæ sunt, indulsit & concessit. Quas etiam idem PIVS Quintus immediatè Prædecessor noster approbavit & confirmavit decernentes præsentes litteras, sub quibusvis similium & dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut derogationibus similium & dissimilium Privilegiorum,

Confirmat eximias indulgentias ac privilegia Confrat. Carmelo-Parthen. à pluribus Pontific. concessa. Extat hoc diploma apud *P. Ildephons.*

Gratia-

Gratiarum, Indulgentiarum, & aliarum quarumcunq; concessionum nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, censeriq; debere; ac de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, aut impugnari non posse, sed præsentes validas semper & efficaces existere, ac perpetuo suffragari. Sicq; & non aliter, in præmissis omnibus & singulis per quoscunq; Iudices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatij apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere; irritumq; & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die decimo octavo Septembris 1577. *Pontificatus nostri anno sexto.*

à Iesu-Maria in lib. privileg. Ord. *pag.* 326. Rodericum & Cherubinum in suis Bullarijs, Irenæum, Fezayum Lezanam, & alios.

98. Thom. à JESU lib. 2. *de Confrat. Carm.* & Leo à S. Joanne in *Fœdere Spirit.* referunt *Sixtũ V. Gregor. XIV.* & *Clement. VIII.* & duos priores etiam alij. Extant litteræ originales Romæ in Conventu Transpontino.

TANDEM, ut cæteros transeamus, qui à nonnullis adduci solent Pontifices, sub principium ferè sæculi, quod nunc decurrit, decimi septimi PAULUS V. promulgato an. 1606. Diplomate, Marianæ Scapularis Sodalitio ampliſſimas largitus est indulgentias, & illud ubivis locorum erigendi Generali Ord. Carmelitarum, ejusq; Vicario absolutam impertitus est facultatem, de quibus in IV. & VIII. hujus operis *Parte* diffusius disseremus: atq; anno 1613. die 11. Februarij post longam maturamq; Sabbatini privilegij à sacra universalis Inquisitionis Romanæ Congregatione discussionem, subjectum promulgari fecit decretum.

Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, quod populus Christianus possit piè credere de adjutorio animarum Fratrum & Confratrum Sodalitatis B. Virginis MARIÆ *de Monte* CARMELO; *videlicet beatissimam Virginem animas Fratrum & Confratrum in charitate decedentium, quæ in vita habitum gestaverint, & castitatem pro suo statu coluerint, officiumq; parvum recitaverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiæ jejunia observaverint & feria quarta & Sabbato à carnibus abstinuerint (nisi ubi in istis diebus Nativitas Domini inciderit) suis intercessionibus continuis, pijsq; suffragijs, & meritis ac speciali protectione post earum transitum, præcipuè in die Sabbati, qui dicitur Ecclesia eidem beatiss. Virgini dicatus est, adjuturam*, &c.

De

De hoc decreto plura dicentur inferius, ubi exponentur, expendenturq; illius clausulæ.

CAPUT V.

Examinantur & ponderantur producta suprà Diplomata.

ADVERTENDUM imprimis ex P. Lezana *Tom. 4. qq. Regul.* verb. *Litteræ Apostolicæ.* litterarum Apostolicarum tria esse genera. Quædam cum bulla plumbea pendente circa magna expediuntur negotia, quæ generali vocabulo *Bullæ* vocantur. Aliæ pro parvis expediuntur negotijs, cum sigillo cereo, per annulum Piscatoris, & vocantur *Brevia.* Aliæ vocantur *Signaturæ,* quæ sunt supplicationes, seu petitiones in scriptis Papæ, vel ejus min istris porrectæ, quibus Papa subscribit per *Fiat*, vel simile verbũ, non tamen ornatæ sigillo, *&c.* ita ille ex Rebuffo in *Praxi beneficior. tit. de Bulla,* tit. *de Brev.* & tit. *de Signatur.* Petro Gregorio in *Syntagm. lib. 17. cap. 15.* & Graffio 1. *parte Decis. lib. 4. in explicat. Bull. Cœn. cap. 6. num. 9. & 91.* Etsi verò præcisè & rigorosè loquendo *Bulla* dicatur, quæ plumbo munitur, frequenter tamen ab Authoribus, & à nobis nonnunquam etiam in hoc Opere sumitur pro qualibet Pontificia Constitutione. Laudatum suprà ALEXANDRI V. Diploma, neq; Brevium, neq; Signaturarum est è numero, verùm ijs omnibus superiùs, utpote bullatum: quod manifestè constat ex adducto *præcedenti Capite* Instrumento: quæ plumbi solemnitas, quantum augeat Bullæ momentum ac pondus, quantamvé rebus in ea descriptis fidem & authoritatem conciliet, Lectori benevolo dijudicandum, ac perpendendum relinquo.

99. Tria sunt litterarum Apostolicarum genera. Quid sit *Bulla*, quid *Breve*, quid *signaturæ*

Cujus sit authoritatis supra adductum *Alexandri V.* diploma & quibus accensendum?

Circa CLEMENTIS VII. Constitutionem observandum venit *primò*, eam fuisse plumbo munitam: quod atteſtatur *Alexander Riarius,* Alexandrinus Patriarcha, Romanæ Curiæ, Cameræq; Apostolicæ causarum generalis Auditor & Judex ordinarius, in litteris præfatæ Bullæ præfixis apud Rodericum in *Bullario pag. 313.* edition. Antuerpiens. an. 1623. Ex quo veræ ac germanæ Bullæ authoritas elucescit; nec leviter, aut causâ minimè discussâ expeditam fuisse præsumendum est;

100. Cujus *Clementis VII.* &c.

cùm id genus Constitutionum à summis Pontificibus, nonnisi in gravioribus negotijs, ac præmissâ (ut par, & moris est) accuratiori diligentiâ, & examine soleat adhiberi.

Secundò, constat ex dictis *Alexandri* Patriarchæ litteris, eam Bullam emanasse, æmulis quibusdam contradicentibus, quod ad ordinariam Bullæ authoritatem singularem addit sententiæ energiam, controversiæque, inter litigantes, solutionem. Hos citatos fuisse à Patriarcha, ut contra Bullam opponerent, si quid haberent, indicant hæc ejus verba: (*Citari fecimus ad quendam peremptorium terminum, &c.* nec comparentes ad præscriptum ab illo terminum, contumaces pronunciavit: *Nos*, inquit, *Alexander Auditor & Iudex præfatus, dictos citatos non comparentes, reputavimus, prout erant, quoad actum & terminum hujusmodi, suadente justitiâ, contumaces, & in eorum contumaciam supradictas literas Apostolicas ad manus nostras recepimus, vidimus, legimus, tenuimus, palpavimus, & diligenter inspeximus, sanasq́, integras, & illæsas, ac omni prorsus vitio & suspicione carere reperimus*, &c. Hoc tam accuratum Judicis in ijs examinandis studium ac diligentia, juremeritò omnem tollere debet scrupulum. Esto enim CLEMENTI Pontifici ob gravissimas præsentissimasq́; occupationes otium non fuerit, aut permissum, ejus causæ examen (cujus oppositum liquidò demonstrat plumbi circumstantia) supplevit nihilominus generalis Auditoris eximia, summa diligentia: qui nec alteri causam hanc commisit discutiendam, nec leviter litteras attrectavit, verùm diligenter inspexit, & sanas, illæsas, omni vitio suspicioneq́; carentes deprehendit. Qui attenderit, severiores ipso Principe solere esse Judices, in ejusmodi causis & inquisitionibus, adversus Bullam tantâ ac tali cautione probatam, quod opponat, non reperiet, nisi Alexandrinum Patriarcham, aut corruptissimum, perditissimumq́; hominem suspicetur; qui Apostolico prætorio, in gratiam Carmelitarum, pro oraculo pronunciaverit mendacium: aut adeò hebetem, ut ea, quæ in litteris narrabantur, non penetraret, fabulamq́; summo Pontifici sub nomine & auspicijs JOANNIS XXII. & ALEXANDRI V. expositam, in præjudicium Apostolicæ Sedis, Pontificiâ authoritate confirmari non videret. *Post præfatam*, inquit Irenæus, *Alexandrini sententiam, atq́; contumaciam condemnationem non potest contra Sabbatinam opponi: nemo enim est audiendus post confirmationem factam, quando præcessit oppositor, & non comparuit termino præ-*

Lib. cit. Sect. 2. cap. 2. §. 2.

no præfixo ad opponendum, ait P. Lezana *Tom. 4. qq. Regul.* qui id colligit ex *Cap. fin.* de Elect. *in 6.*

In relect. circa validitatem cujusdam Capituli *dub. 1. num. 2.*

Tertiò, Tenor & stylus ejusdem Clementinæ intentum nostrum confirmat. Nam remittendo Juris Interpretibus expositionem horum verborum in ea repertorum: *Nec non potiori pro cautela, ea omnia etiam de novo concedimus*, &c. tot tantisq; circa finem corroboratur clausulis derogatorijs, cassativis, revocativis, modificativis, præservativis, restitutivis, *&c.* alijsq; efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ut absq; temeritate nullus asserere queat, expeditam fuisse leviter, & inauditâ, indiscussâq; causâ à Pontifice hanc Constitutionem. Ex ijs clausulis una inter alias attentiùs perpendenda videtur. *Nos igitur*, inquit Pontifex, *dicti Ordinis*, &c. *IOANNIS & ALEXANDRI, ac aliorum prædecessorum nostrorum litteras*, &c. *quorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habere volumus, authoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & innovamus*, &c. Tum in fine: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrarum, approbationis, innovationis, concessionis*, &c. *infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum*, &c. quæ ultima verba præ cæteris os obstruere deberent loquentium iniqua, adversarioq; terrorem incutere, quâ indignationem Omnipotentis DEI, nec non *SS.* Apostolorum Petri & Pauli Pontifex comminatur ijs, qui præsenti suæ Constitutioni, (quâ nimirum probat, & confirmat litteras *Ioannis* & *Alexandri*, atq; in eis contenta de novo concedit) contradixerit. Quod comminationis genus, nec pro qualibet re ferire, nec à Christi Vicario sine magna prudentia, certaq; scientia adhiberi solet.

Ex clausulis insolitis quibus diploma *Clement.* munitur, summa ejus authoritas elucescit.

Expenderuntur nonnullæ.

Ex modò relatis *Clementis* verbis, duo colligit P. Irenæus *loco citato.* PRIMÒ, non posse aliquem litteras *Clementis* reijcere, quin incurrat indignationem Omnipotentis DEI, & *SS.* Apostolorum: nec easdem admittere, quin authoritate Apostolicâ probatas *Ioannis* & *Alexandri* Constitutiones fateatur. Quo argumento, inquit idem Irenæus, contumacem urgeo, utrum videlicet superiori *Clementinæ* libenter subscribat? si abnuat, sit tibi tanquam publicanus, & quasi anathemate perculsus, qui Omnipotentis DEI indignationem non reformidat: si consentiat, quid de Bulla *Ioannis* ampliùs disputat, ut

101.

Nullus potest Bullam *Clementis* respuere sine indignatione omnipotentis DEI.

eam impugnet; quam à summo Pontifice tantâ cautione, tamq; singulari diligentiâ probatam legit, & innovatam?

Quid operetur *Clementis VII.* diploma, circa *Ioan. XXII.* & *Alexand. V.* Bullas, si hæ perditæ fuissent?

ALTERUM nihil referre, utrum perierint Bullæ *Ioannis XXII.* & *Alexandri V.* quamdiu habebitur *Clementina*, quæ sufficienter expressas & insertas eorum Constitutiones non modò restituit (si obsoletæ fuerant & antiquatæ) sed præterea in æternùm conservat. Præfata enim clausula vim habet non generalis modò & confusæ, sed specialis & individuæ expressionis, cum omnibus suis qualitatibus, inquit Tamburinus *Tom. 1. de potest. Abbat. disp. 18. q. 6. num. 41.* cum alijs ibidem relatis. Ex Barbosa verò de clausulis usu frequentioribus *clausula ita* idem præstat, ac si tenor esset insertus; etiamsi ad instantiam parti privilegium concedatur: nec in contrarium admittitur probatio ubi hæc additur clausula. Nec oppones ex eodem Barbosa, nihil eam operari in eis, quæ sunt facti. Nam respondeo apertam esse Barbosæ sententiam ex ratione, quam subijcit: *Quia*, inquit, *nihil operatur ex præsumitur* (Princeps) *ea ignorare*. Inutilem ergo non arbitratur clausulam in omni facto, sed in eo, quod à Principe præsumitur ignorari, quale censeri potest alicujus negotium, de quo Princeps non faceret mentionem. Secus verò se habet nostra quæstio: nam ignoratam

Quàm efficaciter sola *Clement.* Constitutio Sabbatinam asserat?

CLEMENTE VII. Sabbatinam, aut JOANNIS vel ALEXANDRI Constitutionem non licet præsumere, cùm expressè nominet, contenta describat, ipsasvé litteras suæ Constitutioni insertas esse præcipiat, etiam sub indignatione Omnipotentis DEI. Quorum omnium tantum videtur momentum, ut ex sola *Clementina* efficacissimum præcedeat argumentum asserendi Sabbatinam.

Quomodo obviandū sit adversarijs Sabbatinam oppugnantibus?

Nec aliud respondendum opinor adversarijs, dum urgent, quo in loco, quo in libro, quibus in archivis servetur Sabbatina Constitutio? quam legi in præfata CLEMENTIS VII. Bulla, in qua habetur pro expressa & inserta. Inde jam arguant adversus Pontificem, quod egerit temerè, aut debitam animi considerationem non adhibuerit, vel certè imperitiæ eundem accusent, quod Bullam probaverit, quæ Constitutioni insertam voluerit, quæ debitis destitueretur fundamentis; caveant verò, ne indignationem incurrant DEI, & Apostolorum, dum tam audaci animo primæ Sedis decreta contemnere præsumunt.

Quid illi debeant timere & cavere?

102. CONSULTÒ prætereo, ne prolixior hîc sim, aliorum Pontificum

cum

cum Constitutiones, & ad GREGORIUM XIII. venio, solum observandum esse insinuo, circa PII V. qui *Gregorium* immediatè præiverat, Diploma, expeditum fuisse, uti suprà diximus, *motu proprio*, & *merâ deliberatione*, &c. quibus clausulis firmius redditur, atq; ab omni prorsus doli aut fraudis suspicione vindicatur, ut uberius declarant, qui vim ejusmodi clausularum in Apostolicis Constitutionibus perpendunt. Vide sis P. Lezanam *Tom. 3 qq. Regul.* verb. *Clausula*, aliosq; ab ipso ibidem relatos, qui tres conditiones, quibus concessio facta *motu proprio* excedit concessionem factam *ad instantiam* refert & exponit.

Quid circâ *Pij V.* Diploma, ex eo, quod *motu proprio* expeditum, observandum sit?

In quo differat concessio facta motu proprio & ad instantiam &c?

Bulla *Gregoriana* attestatur *Pij V.* Constitutioni, eam semel iterùmq; commemorando: *Sabbatinæ* verò fidem & authoritatem plurimùm auget; cùm ex JOANNE XXII. ter eam repetat, bis autem ex ALEXANDRO V. ex qua iteratò repetitâ Pontificis mentione conijcere licet, nihil temerè & incautè, sed ex certa scientia & deliberatione decrevisse GREGORIUM, prædecessorum litteras probando ac confirmando. Inter cæteras, quibus suum communivit Diploma *Gregorius*, clausulas, ea maximè observanda est, quâ decernit illud de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis defectu notari aut impugnari nunquam posse, his verbis: *Decernentes præsentes litteras*, &c. *de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, aut impugnari non posse, sed præsentes validas semper & efficaces existere, ac perpetuò suffragari.* quodnam verò sit discrimen, & quæ differentia inter *subreptitias* & *obreptitias litteras*, declarat P. Lezana cum alijs ab ipso citatis *Tom.4. qq Regul.* verbo *Litteræ Apostolicæ*, inquiens: *subreptitiæ dicuntur litteræ, quæ impetrantur exprimendo falsitatem, seu tacendo veritatem, seu illa, quæ jus & stylus Curiæ exprimi jubent. Obreptitiæ verò illæ, quæ impetrantur supplicato Papa sic involutè, sub involucro verborum, ut non perceperit veritatem.* Hæc clausula sic exposita validum pro Sabbatina præbet argumentum ac momentum. Si enim litteræ GREGORII nec *subreptitiæ* nec *obreptitiæ* dicendæ sint; sanè nec à veritate censeri debent alienæ, nec aliquid continere quod juri repugnet, aut quod à Pontifice non fuerit clarè, distinctèq; perceptum. Atqui illæ affirmant à *Joanne XXII. Alexandro V. Clemente VII.* & *Pio V.* Sabbatinam emanasse, ergo verum omnino erit, quod de eo privilegio in eorum Bullis narratur.

Quænam clausulæ in Bulla *Gregorij XIII.* Sabbatinæ maximè prosint?

Exponitur discrimen intercedés inter subreptitias & obreptitias litteras, & quænam tales dicantur?

Accedit non fuisse contra stylum Curiæ peccatum, id omitten-

do, quod exprimendum erat (alioquin subreptitiæ forent litteræ, quod negat Pontifex) hic verò Curiæ stylus est, ut dum citatur Pontificium aliquod Diploma ex authenticis producatur: Ergo temporibus GREGORII XIII. illud etiam fuisse observatum, quoad Diplomata suorum prædecessorum, quæ citat, legitimè inferri & concludi videtur.

Altera clausula *Gregorianæ* Constitut. pro Sabbatina expenditur.

Animadvertenda sunt etiam verba, quæ allatæ clausulæ nox subjecit GREGORIUS, illa quippe & amplius mentem ejus manifestant, & validiùs Sabbatinæ veritatem confirmant. *Sicq; & non aliter*, inquit Pontifex, *in præmissis omnibus & singulis per quoscunq; judices ordinarios & delegatos, quavis authoritate fungentes, etiam causarum Apostolici palatij Auditores, ac S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere, irritumq; & inane, quidquid secus super his à quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Ex quo constat eorum retundi & comprimi ausum & temeritatem, qui de Bulla Sabbatina aliquid senserint, huic *Gregorianæ* Constitutioni oppositũ: imò nullam forè & inanem judicis sententiam, quæ aliud asseruerit.

Ad quid obliget Episcopos & generalem causarum Cameræ Apostolicæ Auditorem?

Demùm mandat Episcopis, & Generali causarum Cameræ Apostolicæ Auditori, ut præsentes litteras publicent, & super præmissa efficacis defensionis præsidium, authoritate Apostolica præstent Carmelitis, adhibitis censuris & pœnis Ecclesiasticis adversus contradictores, & alios non parentes, appellatione postposita, invocato etiam (si opus fuerit) sæculari brachio pro compescendis ijs rebellibus.

CAPUT VI.

Bulla JOANNIS XXII. & ALEXANDRI V. authenticis instrumentis asseritur & confirmatur.

Quænam requirãtur ad authenticum legi-

103. ANTEQUAM instrumenta producam, quæ Sabbatinam comprobent Bullam, opere pretium videtur, paucis insinuare, quid jura, sive canonica, sive civilia ad legitimam instrumenti authentici rationem requirant. ALEXANDRI III. Constitutio de hoc argumento & titulo sic habet: *Scripta*

vera

verò authentica, si testes inscripti decesserint (nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint per quod probari possint) non videntur alicujus firmitatis robur habere. Et GREGORIUS IX. *cap. ultimo* de fide instrumentorum: *Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam justam causam exemplari petantur, coram ordinario judice, vel delegato ab eo specialiter præsententur. Qui si ea diligenter inspecta in nulla sui parte vitiata reperiat, per publicam personam ea præcipiat exemplari, eandem authoritatem per hoc cum Originalibus habitura.*

timumq; instrumentum?

Ex utroq; hoc Capitulo authentici instrumenti rationem ac leges determinatas habemus. Nam ex ALEXANDRI decreto manu publica, vel authentico sigillo muniendum est. Per manum publicam *glossa ibidem* Notarium intelligit, qui dicitur servus publicus, sigillum verò authenticum appellat Episcopale. *Cui*, inquit, *creditur, quamdiu contrarium non ostenditur.* Eadem Glossa *eodem tit. in cap.* 1. verb. *authenticum*, sic iterum definit: *Authentica scriptura est, quæ per manum publicam, vel per judicem, cum trium testium, vel duorum ad minus subscriptione, vel testimonio facta est.* Quæ definitio manum publicam seu Notarium à judice distinguit.

GREGORIUS vult illa coram ordinario judice, vel delegato præsentari & diligenter inspici, an in nulla sui parte vitiata existant, &c. Glossa ex *capite* inter dilectos. *De fide instrumentorum*, nonnulla alia exigit, scilicet annum indictionis, & annum Domini, nomen Imperatoris, diem mensis, &c.

His suppositis de legitima instrumentorum ratione, quærimus authentica in supplementum Bullarum *Ioannis* XXII. & *Alexandri* V. licet validiora adduci nequeant Pontificijs, quæ supra exhibuimus.

104.

Omnium vetustissimum est istud, quod *Cap.* 4. *num.* 91. produximus, & asservatur Genuæ, cujus meminêre Arnoldus Bostius in *speculo Historiali lib.* 7. *cap.* 36. Paleonydorus in *Histor. ord. Carm. lib.* 3. *cap.* 11. Balduinus Leersius in *Collectaneo Exemplor. cap.* 6. & præterea complures alios antiquissimus Codex Conventus Mechlinienſis his verbis: *Hæc est Bulla IOANNIS XXII. quam ALEXANDER V. confirmavit,* &c. *Est in Conventu* (a) *Ianuensi ejus instrumentum authenticum.* Hoc instrumentum desumptum est ex ipsismet *Alexandri V.* originalibus litteris, ut judex, Notarius, Testesq; subscripti in illo testantur; litteras illas originales præsentante & exhibente R. P. Alphonso de Theramo Priore

Instrumentum Majoricense confectum an. 1421.

(a) nunc dicitur *Genuensis.*

Priore Conventus Capturiensis Ordin. Carmelitar. quas sic expos tas litteras, cum bulla plumbea pendente vidisse se, legisse atq; di genter inspexisse, ijdem affirmant, judex, Notarius, ac Testes in strumento subscripti, Majoricæ an. Domini 1421. die 2. Januarij,

Agrigentinum an. 1430.

Alterum, cujus etiam supra mentionem fecimus confectum Agrigenti die 6. Augusti ann. Salutis 1430. ad instantiam R. P. G rardi de Trapano, totius Siciliæ Carmelitar. Provincialis, cui sig lum apposuit Reverendiss. D. Laurentius Episcopus Agrigentin euiq; plures subscripsêre, Judex, Notarius, adhibitiq; Testes. Ex quoq; Genuæ, & refertur à P. Irenæo inter *Monumenta Tract. de sing. Virg. protectione.* & P. Philippo à SS. Trinitate in *Theologia Carmelit. quæst.* 19. *art.* 4. & alijs.

Messanense an. 1443.

Tertium exhibet R. P. Michaël Munnoz in *Propugnaculo Eliæ lib. tit.* 3. *cap.* 1. *art.* 3. *num.* 3. dum de authenticis, multiplicibusq; t emplaribus Bullarum *Ioannis XXII.* & *Alexandri V.* agit, inquiens *unum indubitatæ fidei apud me habeo, exemplatum anno Domini* 1443. *Augusti, authenticum & in nulla parte vitiatum*, &c. nec spernenda est hujus instrumenti antiquitas.

Romanum an. 1527.

Quartum reperio Romæ in Conventu Transpontino asservatu cujus meminit P. Lezana in MARIA *patrona cap.* 5. *nu.* 23. quod co fectum esse dicit anno Salutis 1527. die 19. mensis Septembris, p Nicolaum de Ferrario juris utriusq; Doctorem, & Jacobum de Ja fera Drepanitam, regium Notarium in regno Siciliæ. Duo alia thentica Bullæ *Ioannis* & *Alexandri* instrumenta in eodem Monaster extare idem affirmat: unum anno 1421. Majoricæ, de quo supra lo cuti sumus, & alterum anno 1443. Messanæ per Bartholomæum Stagno juris utriusq; Doctorem, & Matthæum de Pagliarino Not rium expeditum; quod videtur idem esse cum præfato P. Michaë lis Munnoz.

Rhedonense an. 1586.

Quintum reperiri testatur P. Irenæus *lib. cit. sect.* 2. *cap.* 2. in communi Turonensis Provinciæ archivo, in Conventu Rhedonen si asservari solito, datum anno 1586. die 14. Julij, signatum à Nota publico, in Episcopali Palatio, præsente ac jubente Generali Vica Illustriss. Genuensis Archiepiscopi. Nota hic manum publicam, a authoritatem ordinarij seu delegati judicis.

Venetianū.

Aliud Venetijs extitisse attestaur Albertus Kolaccus in *Commen antiquit.*

antiquit. adeò authenticâ vetustate corrosum, ut in quibusdam locis vix legi potuerit. Complures alij alia referunt, & extare instrumenta similia asserunt *Messanæ* in Sicilia, *Valentiæ*, *Barcinonæ*, *Toleti* & *Salmanticæ* in Hispania, *Parisijs* in Gallia, *Bruxellis* in Belgio, &c. quorum nonnulla in antiquitate nihil cedunt suprà recensitis; constat verò apud Jurisperitos tanto esse instrumenta, cæteris paribus, majoris fidei & authoritatis, quantò fuerint antiquiora; maximè si extent, non modò apud illos, quos concernunt, verùm etiam in Archivis publicis & communibus, uti de uno ex his nostris reperto in Archivo Curiæ Archiepiscopalis *Cæsaraugustanæ* testatur Marcus Anton. de Casanate; & de alio invento in Archivo publico Officialatûs *Valentini* in Hispania, Joannes Pintus de Victoria, in *Hierarchia Carmelitana Tract. 5. cap. 3.* Cujus etiam authenticum Transumptum confectum fuit, præsente & approbante Illustrissimo Domino Petro Gines de Casa-nova, Episcopo Segorbiensi, Utriusq; Juris Doctore, Vicarioq; Generali dicti Archiepiscopatus, & Patriarchæ Antiocheni Excellentissimi D. Joannis de Ribera.

Alia complura varijs temporibus confecta.

In *Paradis. Carm. præamb.* 33.

Nec præfatorum diminuit instrumentorum fidem & authoritatem, quod non omnia ex ipso Autographo immediatè transumpta sint, verùm nonnulla ex Apographis duntaxat authenticis: si enim Apographa legitimè, & cum debitis solemnitatibus sint confecta, horum etiam Transumpta legitimè facta, eandem cum autographis seu originalibus Bullis merentur fidem, juxta Bartholum in *authentica*, si quis in aliquo. *num. 9.*

105.

Diploma CLEMENTIS VII. incipiens, *Ex clementi Sedis Apostolicæ.* legitimum esse atq; authenticum, attestatur *Alexander Riarius*, Patriarcha Alexandrinus, Romanæ Curiæ, ac Cameræ Apostolicæ causarum generalis Auditor, ac Judex ordinarius, in solemni Instrumento, cui Diploma *Clementis* verbatim inserui. Refert hoc *Alexandri* instrumentum, præter Rodericum *loco suprà citato*, P. Irenæus in *Monumentis ad Tract. de singul. Virg. protectione*, & nos *superiori Capite* nonnulla ex illo produximus.

Diploma *Clement. VII.* legitimum & authenticũ esse cõstat.

Quàm sit etiam authentica, legitimaq; Constitutio *Gregorij XIII.* qua sæpius dictorum *Ioannis* & *Alexandri* Pontificum Bullas approbavit, confirmavit, ac *perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur* adjecit, ex subjecto patet instrumento.

Similiter Diploma *Gregorij XIII.*

In Nomine Domini, Amen.

Nos Ioannes Garcia, miseratione Divinâ, tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Millinus nuncupatus, Sanctissimi Domini nostri Vicarius Generalis, ac in Vrbe, & ejus districtû Iudex ordinarius, universis ac singulis præsentes nostras litteras Transumpti inspecturis, visuris, lecturis, & auditurit, notum facimus & attestamur, quòd nos nuper [illegible] infrà scriptâ die vidimus, & diligenter inspeximus litteras Apostolicas fælic. recordat. GREGORII Papæ XIII. sub Datum Romæ apud S. Petrum, die 18 Septemb. Anno 1577. Pontificatûs sui anno sexto, illæsas, intactas, & in aliquo non vitiatas, quarum tenor est, qui sequitur, videlicet,

GREGORIVS Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam.

Vt laudes gloriosissimæ Virginis MARIÆ, &c. post integrè descriptam Bullam sic finit: *In quorum fidem,* &c. *Datum Romæ ex Ædibus nostris anno à Nativitate Domini nostri IESV Christi 1622. indictione quintâ, die verò [illegible] mensis Septemb.* &c.

Ac Decretum *Pauli V.*

Decreto tandem, jussu *Pauli V.* anno 1613. promulgato, testimonium perhibent sac. Inquisitionis Regni Lusitaniæ Consiliarij, ut sequitur:

Nos supremi Tribunalis sanctæ Inquisitionis in hoc Lusitaniæ Regno Consiliarij, per præsentes litteras notum facimus, jussu SS. Domini Papæ PAVLI V. anno 1613. editum fuisse decretum, in Congregatione Illustrissimorum Cardinalium Inquisitorum, cujus nos certiores facti sumus per epistolam Illustrissimi Cardinalis Millini, missam ad Dominum Generalem Inquisitorem hujus Regni eodem anno 1613. quia verò Reverend. admodùm P. Magister Fr. Martinus Dionisius, Provincialis Ord. B. Virg. de monte Carmelo in hoc Regno, à nobis postulavit authenticum hujus decreti Transumptum, quo Religiosis ejusdem sui Ord. innotescerent in eo contenta, aliisq; justis de causis, jussimus hoc ipsum authenticum ei tradi, per nos subscriptum, sigilloq; sanctæ Inquisitionis munitum. Est autem hujusmodi.

Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, quòd populus Christianus &c. ut suprà. *Capit. IV. num. 98.* Videsis instrumentum hoc integrum apud P. Irenæum *loc. cit. pag. 38.*

Cùm in præfatis omnibus instrumentis conficiendis, omnis solemnitas, quam ad legitimi instrumenti rationem, jura & leges exigunt, observata sint, quid illis desit, ut censeantur authentica, fidemvé faciant Bullæ *Ioannis XXII.* & *Alexandri V.* non apparet. Ex quo

quo infero, aut nullam publicis instrumentis fidem deberi (quo admisso omne hominum commercium in belluinum declinaret) aut eam præfatis quoque debere adhiberi.

CAPUT VII.

Enodantur difficultates, quæ contra asserta in superioribus Capitibus moveri solent.

106. Quàm acriter à nõnullis impugnatum fuerit Sabbatinum privilegiũ? At multò acriùs DEIPARA illud semper asseruit: & quibus id modis præstiterit?

NUllum unquam, ex concessis Carmelo-parthenio Sodalitio beneficijs ac Privilegijs, acriori impetu oppugnatum fuit, quam Sabbatinum illud, de quo in superioribus differere cæpimus. Incredibile est, quanto nisu nonnulli laboraverint ac contenderint, etiam apud Sedem Apostolicam, pro illius extinctione: quos non motus ac tempestates, in diversis Regionibus, adversarij excitaverint, ad dejciendum Marianos Sodales de antiquissima hujus parthenij favoris possessione: verum nullius vehementior zelus extitit, in Privilegio hoc evertendo, quam ipsiusmet Cælorum Reginæ in eodem asserendo. Egit quippe, tum privatis apud dilectissimum Filium suum interceßionibus, ut à summis Pontificibus, ejus in terra Vicarijs, nedum retractaretur, verum novo perpetuæ, inviolabilisq; firmitatis robore muniretur: tum publicis apud homines prodigijs, ijsq; creberrimis ac planè celeberrimis, ut pia ergà ejusmodi donum affectio, & excitaretur ampliùs, vehementiùsq; invalescceret, quo contentiùs Anti-Mariani nitebantur apud omnes illud convellere & extinguere.

Animadvertendum quoq; hic est, quod sicut nulli defuêre ætati adversarij, qui Sabbatinam lacerarent Bullam ac Privilegium, sic nulli defuisse viros eximios sapientissimosq;, qui illud tuerentur ac vindicarent, nec miracula, quæ cælitùs testatam facerent, hinc ejus veritatem, inde admirandam sanctissimæ Virginis in suum Carmeli Ordinem, Sodalitiumq; benevolentiam ac præsidium, sed de his æmulorum impugnationibus inferiùs plura dicemus, nunc ad dissolvenda argumenta ac momenta, quibus Sabbatinam oppugnant, & eliminare contendunt accedamus. Dicunt ergò

PRIMÒ, Bulla sabbatina non reperitur inter *Extravagantes IOANNIS* 107.

NIS XXII. in fine Sexti Decretalium, nec apud *Cherubinum* in tam multis, tamq; spissis Pontificiorum Diplomatum voluminibus, ergo non erit legitima.

Satisfit primæ objectioni, & demõstratur non omnes *Ioan. XXII.* Bullas reperiri in sexto Decretalium, aut apud Cherubin.

RESP. illegitimam esse illationem. Constat enim primò *Sextum Decretalium*, seu collectionem ad *Sextum* adjectam Bullas omnes *Ioannis* minimè continere: ut patet ex Bullis, quibus *Ludovicum* Tholosanum Episcopum, & *Thomam Aquinatem* Sanctorum Fastis adscripsit, quæ in *fine Sexti* non leguntur. Plures quoq; idem Pontifex Carmelitarum Ordini Bullas concessit, Historiographis notissimas, & in libro *Speculum Ordinis* nuncupato descriptas, quas nec in *Sexto*, nec inter *Extravagantes*, nec in ipso *Cherubino* reperire est.

Præterea in utraq; SIXTI Bulla pro Carmelitis, quarum una eorum complectitur privilegia, vocaturq; *Mare magnum*: altera varias enumerat Indulgentias, &c. recensentur plures *Ioannis XXII.* Constitutiones, quæ nec in *fine Sexti*, nec apud *Cherubinum* inveniuntur. Et verò quam absurdè quæret adversarius omnes *Bonifacij VIII.* Bullas in *Sexto*, etsi *Extravagantibus* magis aucto. Quare nihil obest quod *Ioannis* Sabbatina desideretur inter *Extravagantes Sexti*, cùm Authores omni exceptione majores, fideq; dignissimi suppetant, qui eam referunt.

Cherubinus in suo Bullario innumeras Rom. Pontif. Bullas prætermisit.

Constat *secundò*, Cherubinum innumeras quoq; aliorum Pontificum Bullas omisisse, & exordium ducit à LEONE magno, cùm tamen *Clemens* primus, *Anacletus*, *Sixtus*, *Hyginus*, & alij *Leone* antiquiores, apud Severinum Binium, in prioribus Generalium Conciliorum voluminibus, plures habeant Bullas ac Decreta à *Cherubino* penitus neglecta & omissa. Titulus ipse primæ editionis Bullarij satis aperte insinuat, non putasse *Flavium Cherubinum* omnes à se collectas Pontificum Constitutiones, sed prætermissas plurimas; imò *Angelus Cherubinus* Monachus Cassinensis, in epistola tertiæ editioni à se præfixa, ingenuè confitetur, auctum in multis à primo collectionis tempore. Nec mirum videatur *Cherubinum* Sabbatinam *Ioannis XXII.* & alteram *Alexandri V.* cui illa verbatim inserta erat, prætermisisse, cùm nullam prorsus *Alexandri* Diploma adduxerit, licet ab eo complura (uti ipse quidò demonstrat P. Irenæus, non pauca illorum recensendo) emanaverint. Nec sapiens quis dixerit, eas omnes Bullas spurias, & adulterinas esse, quæ apud *Cherubinum* non leguntur.

Loc. cit. cit. 2. cap. 5.

Resp.

Resp. *secundò*, Bullam JOANNIS XXII. & ALEXANDRI V. reperiri apud *Cherubinum*, non quidem seorsim, sed in Diplomate CLEMENTIS VII. incipiente, *Ex clementi Sedis.* uti suprà *Capit. IV.* vidimus: qui dictorum Pontificum litteras pro expressis & insertis haberi voluit.

SECVNDÒ in SIXTI IV. *Mari magno* nulla penitùs fit mentio Sabbatini privilegij, aut Bullæ, imò nec in alia ejusdem Pontificis Constitutione, qua concessas Ordini Carmelit. Indulgentias collegit & confirmavit, ergo signum manifestum est, *Sixti* temporibus nullam extitisse, ne quidem ejus memoriam. 108.

RESPOND. futile esse argumentum ab authoritate negativa desumptum, & ab ipsis Rudimentarijs Dialecticæ reijci solere, sufficit namque assertum id fuisse ab alijs Pontificibus tanta cum cautione ac providentia, quantam *Sixtus* ipse adhibere potuisset. Diluitur secunda objectio.

Verùm ut objectioni satisfiat, dico neminem esse, in privilegijs Mendicantium vel modicè versatum, quem lateat, omnia Prædecessorum privilegia, in Bullas (quas *Mare magnum* nuncupavit) *Sixtum* minimè retulisse atque inseruisse. Et ut de Carmelitico in particulari loquamur, possunt exhiberi plus quàm quadraginta Diplomata admodum momentosa, nobis concessa, quæ in SIXTI IV. *Mari magno* omninò desiderantur. Sufficit vel unicum v. g. adducere, *Honorij* scilicet *III.* quo Ordinem Regulamq; nostram confirmavit, à Cherubino relatum *Tom. 1. Bullarij* inter Constitutiones *Honorij III.* octavum, à *Sixto IV.* prætermissum. Idem asserendum de Bulla alia Indulgentiarum ejusdem *Sixti*, & ex multis suggero Indulgentiam 10. dierum ab *Innocentio IV.* impertientibus Carmelitis eleemosinam concessam, ex *Speculo Ordin.* conscripto per Joannem de Cataneis, quam *Sixtus* etiam non expressit. Ratio hujus esse potest, quod in *Mari magno* ea solummodò referre voluerit privilegia, circa quæ forsan aliquod esset dubium: in altero Diplomate eas duntaxat Indulgentias, quas haberet fama, at originales earum litteræ non venissent ad manus Reverendiss. P. Christophori Martignoni tunc Generalis, qui pro securitate dictarum Indulgentiarum sic sibi cognitarum à sua Sanctitate confirmationem petebat. Ex quo sic discurrere licet. Generalis Ordinis proposuit *Sixto IV.* Indulgentias communi rumore famaq; divulgatas, quarum tamen originales litteras non viderat: atqui Sabbatina jam tum erat

Mare magnum non comprehēdit omnia Mendicāt. concessa privilegia Apostolica.

Plura ex his adducit P. Irenæus *loc. cit. cap. 5. §. 2.*

ubique fama divulgata (ut patet ex dictis, & ex Authoribus illius ætatis infrà producendis ampliùs patebit) nec à Generali præfato legitur inter alias *Sixto IV.* proposita: Ergo originales illius litteras viderat Generalis. Eam verò fuisse mentem tam *Sixti IV.* quàm ejusdem Christophori Generalis conijcere licet ex ipsis Bullis.

109.

TERTIÒ, urget nuperus Scriptor, si Sabbatina aliquando extitisset Bulla, cur non adhuc existeret?

Dissolvitur tertia objectio, & ostenditur, quòd sicut innumera interièrè monumenta, ac libri, &c. ita & Bullàm Sabbatin. perire potuisse.

RESPOND. puerilem esse hanc ratiocinationem. Cur enim Adam mortalium primus adhuc non vivit, si aliquando vixerit? Cur antiquæ Romæ gloria, majestas Imperij, aliaq; ejusmodi non perseverant? Cur tot, tantaq; monumenta Christianæ Religionis perierunt in Oriente, in Anglia, Germania, Galliaque: tot libri Patrum, Philosophorum, Theologorum, Historiarum, &c. adeò ut vix ullum illorum supersit vestigium. Si aliquando extitêre, cur adhuc non extant? Mortales homines, cæteraq; sublunaria corruptionis legi subjecta esse, si respondeas, cur de Bulla nostra non idem sentias? Præterquam quod responderi posset, adhuc Sabbatinam existere à laudatis *Clementis VII. Alexandri V.* aliorumvé Pontificum Constitutionibus. *Dices*, plures adhuc existere Pontificum etiam *Ioanne XXII.* antiquiorum Constitutiones, quas inter Sabbatina potuisset servari. *Resp.* plures perijsse Pontificum, etiam *Ioanne XXII.* recentiorum Constitutiones, uti constat de *Alexandri V.* aliorumque, quas inter Sabbatina potuit interire, ac forsan de facto interijt. *Instabis*, Carmelitarum eam semper fuisse solicitudinem in colligendis, asservandisq; *suî* Ordinis monumentis, ut tam privilegiatum cælitùs Diploma neglexisse non sit credendum.

Respond. Fuisse quidem in hoc studiosos, casum tamen, humanamq; conditionem aliquando prævaluisse, & evitari non potuisse, non modò quoad hoc Diploma, verùm etiam quoad plura alia, quorum nunc vix fragmenta habemus, opera integra desideramus. Plures etiam Authores, ac plurima Authorum nostro ex Ordine Operum recensent Bibliothecarum Scriptores, è quibus præter nomen, & aliquod aliquando fragmentum nihil superest. Ex tanto librorum numero, quos uni *Ioanni Bachoni* nostro, dicto *Doctor Resolutus*, tribuit Pitsæus, ad an. 1346. quid nunc obtinemus? imò ex centum quadraginta Scriptoribus Carmelit. quos una ex Anglia idē recensēt Pitsæus, pauciss-

Quàm innumeri perierint libri Authorum Ord. Carmelit.

pauciſſimorum nunc extant opera. Sanctiſſimos ex noſtra Religione Antiſtites *Andream Corſinum* & *Petrum Thomam*, alioſq; plura ſcripſiſſe conſtat ex eórum hiſtorijs & vita, vixq; ex eis præter titulos aliquid novimus. Nec ſingularis Carmelitarum, ſed communis omnium Ordinum, Statuum, Nationum, Imperiorum, imò Eccleſiæ (cujus ſolicitudo pro conſervandis Conciliorum & Canonum ſcripturis minor eſſe non debuit, quam Carmelitarum pro ſuis Privilegijs) ea etiam eſt conditio.

QUARTÒ, petes rationem reddi, cur & quomodo præ cæteris *Ioannis XXII.* Bullis, ſola ſabbatina evanuerit, nec cum cæteris ejuſdem Bullis ad nos pervenerit? **110.**

RESP. ad hoc P. Irenæus, ad rem non facere rationem, propter quam perierit, ſed utrum perierit, ſi enim perijt, aliquando extitit. Extitiſſe quidem probatum eſt ſupra: at utrum verè perierit, an verò lateat in tenebris, nondum liquet, ſed habemus authentica *Clementis VII.* & aliorũ Pontificum diplomata, Notariorum inſtrumenta, Authorũ monumenta &c. quæ exiſtentis olim fidem faciant, atq; latentis vel deperditæ vices ſuppleant. Rationem iterũ ſi urgeas? Aliorum ego à te rationem poſtulo, quæ tibi ſatisfaciat. E ſacris paginis cur, amabo, & quomodo antiquiſſima Moyſis volumina ad nos venerunt, alij verò non venêre Codices Moſaicis poſteriores, quos legimus citatos. 3. *Regum Cap.* 11. 14. 15. Joſue 10. & alibi paſſim? Cur ex operibus Patrum nova quotidie luci reſtituantur, alia jaceant in tenebris? Ex profanis, cur Ciceronis *de Republ.* libri potiùs perière, quam *Academicæ quæſtiones?* imò ex ipſis Academicis, cur priores ſervati, poſteriores perditi cum alijs, quos Geſneri Bibliotheca enumerat in Marco Tullio? Mitto infinita, in quibus res eſt aperta, verum ut poſtulatam efficacius rationem retorqueam, de Nicæno Concilio urgeo (quod in plurimis alijs parem habet vim) legitimus ac genuinus iſtius Codex cur non exiſtit, ſi aliquando extitit? ſi exiſtit integer, cur varia celeberrimæ Synodi hinc inde colliguntur fragmenta, ut totum reſarciatur, quod ex proprio volumine poteſt exhiberi? ſi perierit, qua ratione? quomodo? cujus negligentia? Num ſummos Pontifices, Epiſcopos & alios, quorum ſolicitudine regitur Eccleſia, reos facies? Hic liceat adverſarij dialecticam ſubijcere, quâ concluderet reijciendum Nicænum tanquam ſuppoſititium, nec unquam Patres Nicæam

Loc. cit. Diluitur quarta objectio.

Ij libri sũt *Verborum, dierum Salamonis: Verborum Ieroboam, Roboam, Abiam, & aliorũ Regum Iudæ & Iſraël. Lib. juſtorum*, &c.

cæam conveniſſe, cum germana ac primæva iſtius Synodi collectio non exiſtat; ſi enim aliquando extiterit, cur adhuc non exiſtat? Tranſumpta ſi ſufficiant, cur idem de Sabbatina non admittat? Ex quibus patet hallucinari adverſarium, dum in re facti rationem poſtulat, qui teſtes potius quærere debuit, & ab ijs rei ſubſtantiam ſuis veſtita circumſtantijs, aut ſpoliatam expectare. Fallitur verò, dum è Bulla *Ioannis XXII.* Sabbatinam duntaxat perijſſe aſſerit: nam plures alias eodem Pontifice obtinuimus pro Conventibus Angliæ & alijs rebus, quarum nonnullæ leguntur in *Speculo Carmelitarum* per Joannem de Cartaneis collecto, ſed primarium earundem exemplar, ubi delitescat, ignoratur: ſuſpicamur verò plurima ejuſmodi exemplaria Anglorum calamitatibus fuiſſe oppreſſa. Nihilominus ſi obſtinatiùs Sabbatinam quæras, extitiſſe uſq; ad annum circiter 1548. Author eſt Joannes Balæus Hæreticus, qui à ſe viſam fatetur: cur autem eo in regno ab eo tempore perierit, nemo inquiret, qui immenſam Eccleſiaſtici ſtatûs jacturam, lugendum rei literariæ fatum, reſq; alias iſtius inſtituti vel minimum cognoverit.] Hactenus Irenæus.

III.

Diſſolvitur quinta objectio, & inſinuatur, cur Bulla Sabbat. in Angliam potiùs quàm aliò delata fuerit.

QUINTÒ, cur Sabbatina Bulla dicatur viſa, aut periſſe in Anglia potiùs, quam Avenione, ubi fuit data, aut alijs in locis.

RESP. Nihil legitimè inferri, aut concludi contra Sabbatinam Bullam ex eo, quod uno in loco data fuerit, & in alio viſa aut perempta: quotidiana enim conſtat experientia, transferri decreta, acta, exemplaria &c. ad nova loca, ſive neceſſitatis cauſa, ſive ut melius conſerventur. Et neceſsè fuit eam deferri ad ALEXANDRUM Romam, aut ad illum locum, in quo is tunc morabatur, quando Diploma ſuum expedivit incipiens, *Tenore cujuſdam Privilegij.* cui eam verbatim inſeruit, illam comprobando ac confirmando. Ideò verò delatum poſtmodũ fuiſſe Apographũ Bullæ Sabbatinæ in Angliam tradunt alij, ut illa in Provincia, ſeu loco aſſervaretur, in quo cælitùs delatum etiã ſervabatur Scapulare: & quod Provincia Anglica, ijs temporibus, cæteras Ordinis Provincias, pietate, doctrina, Religiosorum, cænobiorumq; numero, præcederet. Hinc non ſemel in ea celebrata fuêre Ordinis noſtri Comitia Generalia, & omnium primus poſt tranſmigrationem è Syria, in quibus *S. Simon Stock* aſſumptus fuit in Generalem. Ex ea etiam frequenter deſignati fuêre, & ad Romanam Curiam deſtinati, ut apud Sedem Apoſtolicam præcipua Ordinis

Quàm ea celebris fuerit præ cæteris Carmelit. Ord. provincijs.

dinis negotia expedirent: quinimò ad Concilia, Tarraconense in Hispaniam, Lugdunense primùm in Galliam, Pisanum in Italiam, Constantiense in Germaniam, ut advertunt, præter P. Petrum Thomam Sarracenum, cæteri Ordinis Historiographi. Hi omnes fatentur summam ijs temporibus rerum nostrarum curam fuisse penes Anglos.

Idem attestantur Exteri & Anglicani Scriptores, è quibus Pitsæus differens de Carmelit. Ord. *in Anglia*, inquit, *plusquam in quacunq; alia Europæ parte, hunc Ordinem floruisse constat: magisq; abundasse & numero Monasteriorum, & Doctorum virorum copia.* Huc facit, quod scribit celebris ille Angliæ Historiographus Nicolaus Harpsfeldius, Archidiacon. Cantuarien. *in Histor. Anglicana, sæculo* 14. *cap.* 17. Ubi postquam plures è singulis Ordinibus pietate atq; doctrinâ illustrissimos recensuisset viros, ita concludit: *Sed hos omnes, & cæteros hoc sæculo non modo singulos, sed universos, non tantum exæquant, sed longè, ni fallor, in hac scriptionum palæstra & laude, librorum, laborumq; magnitudine superant Carmelitæ* &c. Atq; iterum sæculo 15. cap. 18. recensitis variarum Religionum, ob doctrinam ac scripta clarissimis Viris, subjungit: *Sed cæteros omnes, in hac litterariæ palæstræ & scriptionis laude, Carmelitæ, ut & alijs ferè sæculis, superant*, &c.

In Indice Scriptorum Carmel. suo Operi de rebus Anglicis præfixo.

An, & in quo cæteros ibidem Ordines superaverint?

Præfatæ sententiæ suffragatur cum Paleonydoro Raynaud. inquiens: [JOANNES Autographum Carmelitis ipsis tradidit, tanquam ad eos maximè attinens. Carmelitæ autem varijs apographis confectis, & huc illucq; transmissis, Autographum ipsum ad Generalem Præpositum, cujus in Anglia Sedes ordinaria erat, deferri curarunt: apud eum in generali Ordinis Tabulario, cum alijs magni momenti Diplomatibus aut Instrumentis asservandum. Ita Paleonydorus. Undè inferunt Recentiores, in ea clade, quæ sub Henrico VIII. omnia sacra in Anglia involvit, perijsse Bullæ *Ioannis* Autographum, & mirum non esse, quod nullibi extet.]

Lib. cit. part. 2. quæst. 2.

II2.

Sextò, *Paulus V.* revocavit omnes Indulgentias quibuscunq; Confraternitatibus concessas, & in specie anno 1606. etiam Sodalitij sacri Scapularis: Ergò Sabbatinam pariter cum cæteris extinxit.

Resp. *Paulum V.* suâ revocatione non comprehendisse defunctorum, sed vivorum duntaxat Indulgentias, uti videbimus infrà in *IV. hujus Operis Parte Cap.* 3. uti etiam, teste Peregrino, in *Compend. privil. Verbo Indulg. nu.* 9. ipsemet *Paulus V.* declaravit an. 1609. die 23. Februarij;

Satisfit sextæ objectioni, & indicatur quas In-

dulgentias *Paulus V.* revocaverit?

bruarij; at Sabbatina Indulgentia magis est defunctorum, quàm vivorum: Ergo revocatam esse non est censendum.

RESP. II. *Paulum V.* non revocasse (quod ipse quoque in suo Diplomate revocatorio confitetur) nisi eas Indulgentias, quas praedecessores Romani Pontifices concesserant, illi verò licet Sabbatinam probaverint, publicaverint, ac confirmaverint, non tamen concesserè, cùm à B. Virgine confirmandam solùm acceperint: qui illam à suo Filio gratiosè obtinuit: unde hæc Indulgentiæ concessa tamdiu durabit, quamdiu ipsi DEIPARÆ, Filioq; ejus placuerit, aut illam non retractaverint.

RESP. III. quòd etsi gratis admitteremus, etiam defunctorum Indulgentias à *Paulo V.* fuisse cassatas & annullatas, nihil tamen inde adversus Sabbatinam concludi posse; cùm ipse singulari decreto illam postea probaverit ac confirmaverit, atq; per hoc consectarium priore revocatione immunem reddiderit, aut fuisse, declaraverit.

113. SEPTIMÒ, Bulla Sabbatina asserit, quòd *Fratres professi dicti ordinis à supplicio solvantur & culpâ*, at hoc solidæ minimè congruit Theologiæ, quæ negat Indulgentiam ab ulla eximere culpa. Hoc quoad culpam lethalem est certum ex fide, ut benè notavit Soarez *Tom. 3. part. disp. 50. sect. 1. num. 2.* quia de fide est, neminem liberari à culpa mortali absq; Sacramento Pœnitentiæ susceptо, re ipsâ vel in voto. Sed neq; culpam venialem obliterari per Indulgentiam, est communissima Scholasticorum, & moralium Theologorum doctrina: omnes sentiuntq; varia jura, in quibus Indulgentiæ dicuntur non prodesse nisi expiatis per contritionem aut confessionem. Exsolutio itaque à pœna & à culpa vi Indulgentiæ pugnat cum sana Theologia, quomodo ergo JOANNES XXII. ex DEIPARÆ jussione promulgat Indulgentiam exsolventem à pœna, & à culpa?

In *4. dist. 20. & 21.* Summistæ V. *Indulgentia.*

Diluitur septima objectio, & exponitur, quo sensu dicatur aliquãdo per Indulgentiã remitti

RESP. Indulgentiam nullius culpæ etsi minimæ labem extergere, licet aliquando Indulgentia dicatur concedi in remissionem peccatorum, quo sensu 2. *Machab.* 12. dicitur, *Salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*: hoc est, à reatu peccatorum reddi duo. Et in *Extravag.* Antiquorum *de pœnit. & remiss.* dicitur datam esse per Indulgentiam remissionem culpæ & pœnæ, ut significaretur, eos qui Indulgentiam essent consecuti, fuisse exsolutos nexu culpæ & pœnæ: culpæ quidem, per absolutionem aut contritionem Indul-

gentiæ

gentiæ præsuppositam: pœnæ verò formaliter per Indulgentiam. ita Maldonatus, & communiter Doctores. Nec alio sensu credendum est, S. Franciscum petijsse à Christo Domino, ut indulgentia Portiunculæ esset à pœna & culpa; quando Christus ejus petitioni, talis Indulgentiæ per Pontificem concedendæ, annuit. Et æquè valet pro omnibus Indulgentijs sub ea forma concessis. Quoad speciales autem quasdam indulgentias, idcircò dictum est, concedi in eis exsolutionem à culpa; quia fiebat potestas eligendi Confessarium à quavis culpa absoluturum, vi potestatis extraordinariæ. Cujusmodi facultas concessa quoque est à CLEMENTE VII. Sodalibus SCAPULARIS Carmelitici, ut infrà *Parte V.* videbimus. Hoc additamentum certis duntaxat indulgentijs adjunctum, nonnulli ignoranter ad omnes indulgentias diffuderunt; cùm tamen paucæ habeant illud adjunctum facultatis eligendi Confessarium ab omni culpa absolventem. Ratione cujus Echius atque Valentia censuerunt dictum aliquando esse, indulgentiam cum ea facultate concessam, dictam esse liberare à pœna & à culpa. At postea modus ille loquendi in nullis ampliùs indulgentijs usurpatus est, ad excludendum falsum sensum de exterstone culpæ præcisè per indulgentiam.

culpam & pœnam? *Quæst. de Indulgentijs.*

q. de Indulg. P. 1. in 3. P. disp. 7. q. 20. p. 3.

OCTAVÒ, Objiciunt nonnulli discrepantiam & diversitatem, quæ videtur esse in ipsis Bullis suprà dictis, circa ipsum tempus liberationis animarum è Purgatorio. Nam JOANNES XXII. & ALEXANDER V. affirmant id futurum primò post Confratrum obitum Sabbato, juxta illa DEIPARÆ verba: *Ego Mater*, &c. *Sabbato post eorum obitum, quot inveniam in Purgatorio, liberabo.* Hoc ipsum sensit CLEMENS VII. in priori sua Constitutione anno 1528. *Sabbato sequenti*, inquit, *post ipsorum obitum à pœnis Purgatorij liberabit*; at in posteriori anno 1630. idem *Clemens* nullam Sabbati fecit mentionem, sed *post eorum transitum suis intercessionibus continuis, pijs suffragijs, & singulari protectione adjuturum*, &c. dicit: nec PAULUS V. primi post decessum Sabbati meminit.

114.

RESP. nullam in prædictis legitimam assignari ac inveniri posse repugnantiam: quod enim priores asserunt, posteriores nullatenus retractant: quod illi affirmant, isti minimè negant: quod illi clarè enuntiarunt, isti quidem non repetierunt; quis verò inde inferat id eos reijcere, aut derogare ei velle. Quod autem videbatur obscurum,

Refellitur octava impugnatio, & ostenditur nullam esse discrepantiam in

prædictis Bullis circa privilegium Sabbatinum.

Tom. 2. qq. Regul. q. 97. art. 7.

& difficultatem nonnullis facessere, quasi expectandum foret Sabbatum, ut sanctissimæ Virginis fruerentur beneficio, id declararunt posteriores Bullæ, ideò dixit Rodericus primam declarari per secundam; non verò revocarunt, quod de Sabbato fuerat affirmatum, si enim duo illa inter se conferantur attentiùs: *Sabbato post eorum obitum liberabo; & post eorum obitum continuis intercessionibus, pijs suffragijs,* &c. *adjuvabo*; quænam hîc propositionum contradictio? Ex priori colligimus liberandos in Sabbato: ex posteriori adjuvandos continuis post obitum intercessionibus, *&c.* adeò ut exspectare Sabbatum non sit necesse. At nec prima propositio exspectandum significat Sabbatum, quasi ante illud pœnæ non solvantur: nec secunda id negat faciendum in Sabbato, quod post obitum tempore minimè determinato peragendum concedit. Advertendum etiam, quod Sabbatum à CLEMENTE VII. in posteriori, ut diximus, Bulla prætermissum, restituerit GREGORIUS XIII. in Diplomate, *Ut laudes.* utramq; demum sententiam conciliat expressis verbis PAULUS V. in suo Decreto anni 1613. *Suis*, inquiens, *intercessionibus continuis*, &c. *post eorum transitum, præcipuè in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia Beatiss. Virgini dicatus est adjuturam*; juvabit ergo ante Sabbatum, verùm *in Sabbato præcipuè*, id est, abundantiùs & efficaciùs. De hac quoque conciliatione istarum duarum formularum *adjuvabit*, & *liberabit*, quas usurpant Pontifices, differens P. Fezayus *Privileg. 2. controver. 2. §. 5.* inquit: *Liberabit adjuvando, & adjuvabit liberando.* Et Venerab. P. Thomas à JESU, prædens diversum hunc summorum Pontificum loquendi modum, & cur, quòd sive dicatur in Bullis, quòd DEIPARA absolutè promiserit illos primò Sabbato liberare, sive dicatur, quòd solùm promiserit illos suis continuis precibus, ac suffragijs, *&c.* adjuvare, ut liberentur, nihil hoc derogare aut diminuere de privilegio, quia uterq; loquendi modus idem significat, & eundem habet effectum. Ideò quippe illa adjuvabit, ut primo liberentur Sabbato: quid etenim à suo dilectissimo Filio Mater petet gratiæ & misericordiæ, maximè sua interponendo merita, quod non obtinebit? aut pro quo rogabit, qui non liberetur? Nec hîc ambigendi relinquitur locus, cum cælorum Regina, attestantibus Romanis Pontificibus, suam suis gratiosè obtulerit ac sanctè promiserit Fratribus ac Confratribus favorem atque adjutorium, pro sequenti post eorum decessum Sabbato: certos quippe per

Lib. 2. de Confrat. cap. 2.

Explanatur enucleatiùs promissio DEIPARÆ de liberatione suorum Sodalium è Purgatorio in Sabbato.

per hoc reddere voluit, quod eorum pœnæ ultra hunc diem non forent extendendæ. Alioquin necessarium minimè fuisset deputare hanc Sabbati diem, si misericordissima Virgo solùm in genere, & communi cæteris Fidelibus modo, illos adjuvare promisisset, quia hoc quotidie præstare poterat, creditúrq; facere pro universis sibi devotis, designando ergo Sabbatum demonstrare voluit, quod illo essent piacularibus flammis eximendi. Neque hoc mirum cuiquã videri debet, si penitiùs perpendat munera, quæ pro hujus privilegij adeptione sanctissima Virgo à Sodalibus exegit. Illa enim, maximè, si modicam nostræ ætatis Fidelium pietatem ac fervorem attendamus, satis gravia oneroſaq; sunt: præsertim cùm toto vitæ decursu sine intermissione præstanda sint. ita ferè præfatus Thomas. De muneribus pro hujus Privilegij consecutione requisitis, quorum ille hîc meminit, infrà *Parte VII.* copiosiùs agemus.

Non desunt tamen nonnulli, qui non improbabiliter existimant, priorem *Clementis VII.* Bullam per posteriorem ita declarari, ut Confratres non debeant intelligi à purgatorio infallibiliter liberandi primò ab eorum obitu Sabbato, sed continuis sanctissimæ Virginis suffragijs &c. adjuvandi, quæ Confratrem adjuvabunt eo tempore, quo supremo judici fuerit placitum: sive ante primum Sabbatum, sive in ipsomet, sive sequenti alio tempore. Et hoc postremùm, maximè illi experientur Confratres, qui in observatione à DEIPARA requisitorum pro hujus Privilegij indeptione munerum, atq; obligationum parum fideles, atq; indiligentes fuerunt: quorum sæpenumero non pauci sunt, uti non semel cælitùs Viro sanctissimo Ordinis nostri revelatum fuisse in Thesauro *Partheno-Carmelitico cap.* 3. insinuavi, de quo etiam inferiùs plura dicemus.

ANIMADVERTENDUM hic venit, quod licet eductio illa animarum Fratrum ac Sodalium Ordinis Carmel. è purgatorio, præcipuè & ordinariè fiat Sabbato ab eorum obitu, juxta promissionem SS. Virginis, & Bullas *Ioannis XXII.* & *Alexandri V. Clementis VII.* & aliorum, non sic tamen id intelligendum, quod nunquam citiùs fiat, quod benè observavit Raynaudus *libro* sæpiùs laudato, *part.* 2. *quæst.* 5. inquiens: *Revera verba DEIPARÆ à IOANNE relata id non ferunt,* (nimirum liberandos tantum esse Sabbato) *sed tantum, quod Sabbato primo sint liberandi; ita ut ad summum sint illuc usq; hæsuri in purgatorio; quod tamen* 115. Impensè observãda Raynaudi expositio & doctrina

circa hanc D. Virg. promissionem.

non obstaret, quo minus anima, quæ ante Sabbatum esset expiata liberaretur. Hoc ibidem consequenter demonstrat ex decreto *Pauli V.* verbisq; et Officio solemnis Commemorationis B. MARIÆ V. de Monte CARMELO ab eodem Pontifice & sacr. Rituum Congreg. approbato de-

Ex 2. Nocti. lect. 6. sumptis: B. Virgo *Filios in SCAPVLARIS Societatem relatos, materno pie nè affectu, dum igne purgatorio expiantur, solari, ac in cœlestem patriam ab tentu suo, quantocyus pie creditur efferre.* Ubi benè notanda illa dictio *quantocyus.* Et mox paucis interpositis subjungit *loco cit.* idem Raymundus. *Hinc tamen non ligantur (ut sic dicam) piæ sospitatricis manus, quo minus, si ante Sabbatum occurrat solemnis festivitas in qua soleat, aut velit aliquos pœnis exsolvere, fas ei sit anterius expromere largitatem suam, in clientes laborantem in purgatorio, & non expectato die Sabbati, facere eum participem extraordinariæ largitatis, quam facit in eo solemni festo. Utrumvis enim ipsa elegat, quis potest ei dicere, quare ita facis?* Consuli poterit etiam circa hæc P. Thomas Saracenus in *Historia sacra de origine & progressu Confraternitatis B. MARIÆ de Monte CARMELO part. 3. informat. 4.* & P. Matthias a S. Joanne *lib. de vera devotion. sacri Scapularis cap. 25.* Ubi diffusiùs illa tractata reperies.

Cur DEIPARA præ cæteris hebdomadæ diebus Sabbatum deputaverit huic animarum liberationi?

Cur autem sereniſſima Virgo voluerit Sabbato potiùs quam alio hebdomadis die, Fratribus & Confratribus suis in expiatorijs ignibus existentibus, subvenire, & illo exindè eripere, non est nostrum quærere; quia non est nostrum leges ei præfigere aut præscribere, quid aut quando auxilium illis præstare debeat; congruè tamen delegit Sabbatum, tanquam diem ipsius cultui dedicatum: ut pateſiat Fidelibus, quanti sit piè venerari, colereq; DEIPARAM; cujus quocunq; festum, etiam minimum (quale est, quod Sabbato peragitur) adeò gratiosum est apud Deum, & tanta beneficentia ac liberalitate ergà animas purgatorij illustratur. Vide sis de his fusiùs differentem P. Gregorium Nazianzenum à S. Basilio in *Adoptione Parthenica 2. part. Cap. 48.*

In MARIA Patrona *cap. 5. num. 29.*

Quare Sabbatum Deiparæ dicatum sit?

Quare verò Sabbatum præ cæteris hebdomadæ diebus DEIPARÆ dicatum sit, paucis tradit P. Lezana ex varijs Authoribus, titulis, ac rationibus, quorum non infima est, quod sicut Sabbatum seu septima dies Saturno Deorum patri ab Ethnicis olim dicata fuit, sic veri DEI parens MARIA Sabbatum sibi elegit, in quo admiranda suæ beneficentiæ, potentiæq; opera & prodigia hominibus exhiberet.

Hinc

Hinc tot legimus hoc die à DEIPARA beneficia & miracula sibi devotis, atq; etiam peccatoribus propitiùs præstita. Quod è diversis Authoribus ac historijs Lezana demonstrat, tandemq; suum discursum his concludit verbis: *Meritò proindè Fratribus ac Confratribus nostris adaptant nonnulli veluti à clementissima DEIPARA ipsis dictum, illud* Job. 5. Cap. *in sex tribulationibus liberabo te, & in septima* (id est Sabbato, quæ est dies septima) *non tanget te malum*, propter singulare patrocinium eo die illis exhibendum: & præostensum in ELIA antesignano, qui, ut notat S. Thomas 22. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3. fugit à facie Jezabel in die Sabbati; & in ELISÆO secundo Ordinis vexillifero, qui filiam Sunamitidis Sabbato resuscitavit, prout notat Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem.* Plura circa hoc legi poterunt apud Laurentium Chrysogonum 1. *part. Mundi Mariani discurs.* 11. *num.* 108. *& seq.* qui postquam permulta miracula olim à Christo Domino die Sabbati facta ex Evangelio recensuisset, quæ etiamnum hodie spiritualiter fieri à DEIPARA demonstrasset, concludit his verbis: *Hæc aliaq; innumera misericordiæ opera, tam corporalia, quam spiritualia prævidens Salvator Matrem suam in totius generis humani beneficium operaturam, complacuisse sibi visus est mirificè in SABBATO, ac proindè hujusmodi pientissima æque ac stupendissima opera perpetravit, quo magis dies ille honori parentis dilectissimæ olim dicandus, toti mundo magis esset venerabilis* &c.

NONO, objicitur varietas ac diversitas contextus & tenoris ipsius Bullæ *Ioannis XXII.* ex qua concludunt illam legitimam non esse. **116.**

RESP. Concedendo aliquam reperiri varietatem in extimo verborum cortice apud varias Bullæ *Ioannis* exscriptores. Sed hæc diversitas nihil obest, cum sensus sit planè idem, saltem in asserenda Bullæ substantia, ut hic sanè prorsus idem est in omnibus variantibus lectionibus. Et eodem summo jure, inquit Raynaudus, anxiè cavillandi circa voces discrepantes, æque agi posset adversus varietatem multarum scripturarum, quas Christus & Apostoli allegarunt, eodem semper sensu, sed cum variatione aliqua in minutijs, aut cortice vocabulorum. Item varij Evangelistæ eandem Christi sententiam, diversis sæpè verbis enunciant. Quis eos dissidere idcircò dicat? *Nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur*: ait Augustinus adductus in *Decretalibus de verbor. significat.* Et S. Gregorius: *Sensum non verba considerare debemus*

Dissolvitur nona objectio.

Loc. cit. par. 2. q. 2.

Cap. 7. lib. 1. Epist. 28.

Add. *C. Nihil.*

debemus. Panormitanus deniq; : *Diversitas verborum non vitiat, si idem in substantia concludatur.* Hoc in pleriſq; allegationibus antiqui teſtamenti per Chriſtum & Apoſtolos factis deprehendi, ſenſu ſæpè allegato abſq; verborum cortice, ſubjectis pleriſq; exemplis docenta præfato

Loc. cit. c. 6. §. 2.

Raynaudo citati Mariana atq; Ribera. Imò, ut obſervat P. Irenæus, ipſa oratio Dominica *Lucæ Cap* 11. non eodem modo refertur, quo apud alios; nam ibi quinq; tantùm recenſentur petitiones cum Matthæi 6. *Cap* ſeptem diſtinctè referantur: indè tamen nemini ſuſpecta fuit unquam oratio Dominica aut viſa rejicienda. Non eſt ergò facienda vis in aliquali verborum diverſitate in hoc negotio deprehenda, cum ſenſus ſemper ſit unus idemq;, ut deprehendet quicunq; illas ad invicem conferet: potuit autem ea in vocibus variatio accidere exempli, quod aliquis non nactus exemplar autographi, aut apographi Bullæ *Ioannis*, aut pertæſus eam ad longum exſcribere, ſenſum repræſentare compendiò: vel ut aliquid in ſpeciem obſcurum efferret clarius, adhibuit brevem paraphraſim, undè vocum nonnulla varietas, ſalva veritate, cui ſoli præcipuè eſt proſpiciendum.

Unde proceſſerit aliqualis verborum varietas deprehenſa in quibuſdam exemplar. Bullæ Sabbatinæ?

Aliam hujus diverſitatis cauſam adducit R. P. Daniel in *Vindic. Carmeli num.* 816. [Potiſſimum, inquit, orta videtur ea variatio e multiplicibus tranſcriptionibus, & magna diſcernendi veteris characteris difficultate, atq; antiquæ orthographiæ varietate. Hinc quibuſdam verbis, terminis, particulis, aliter & aliter in diverſis exemplaribus expreſſis, aut quaſi ex conjectura poſitis, aut interpunctionibus non uniformiter ordinatis, varietas inter exemplaria, & consequenter major contextus ipſius Bullæ obſcuritas cauſata fuit,] &c. Confert deindè *ibidem* inter ſe tria exemplaria Bullæ Sabbatinæ, Romanum, Genuenſe & Mechlinienſe, adnotando diſcrimen, quod inter illa intercedit, quod ſanè modicum & prorſus accidentale & non ſubſtantiale eſt.

117. Decimo, Objiciunt alij annorum diſcrimen, quibus dicitur eſſe promulgata: à nonnullis enim primò, ab alijs ſexto Pontificatus *Ioannis* data aſſeritur; quod manifeſtè arguit legitimã minimè eſſe.

Refellitur decima impugnatio. Ad Luciniũ *Epiſt.* 28.

Respondet Theoph. Raynaudus ridiculè objici hanc varietatem in annorum numero adſcripto Bullæ *Ioannis*, cum conſtet eam varietatem librariorum oſcitantia tam ſæpe irrepere, ut S. Hieronymus advertit, ac conqueritur, quem de hoc lubet paucis hic audire:

dire: *Si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sint; quæ sensum legentis impediant, non mihi debes imputare, sed tuis & imperitiæ Notariorum Librariorumq; incuriæ, qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt: & dum alienos errores emendare enituntur ostendunt suos* &c.

Paragramma est mutatio inversioq; litterarum, inquit ibidē interpres; ut si pro κόραξος dixeris κόλαξος.

RESPOND. II. indè sequi posse videtur corruptam esse apud aliquos Authores, & quibusdam in circumstantijs accidentarijs vulgatam *Ioannis* Bullam (vulgatam appello, quæ vulgò solet citari scilicet *Sacratissimo uti culmine*) at salva nihilominùs, & integra perseverat quoad substantiam, uti jam suprà diximus. Nec urgeas Bullæ substantiam recipere non posse certitudinem, quam diu *datum* est incertum: id enim falsum esse constat; cum ob dissensionem, sive in annorum designatione, sive in alia circumstantia accessoria, apud Authores repertam, nullus prudens arguat historiam falsitatis. In omni enim tam sacra, quam profana historia, nihil magis obvium est, quam discrepantia in annorum supputatione, & controversia de quibusdam nonnunquam circumstantijs, quæ substantiæ rei nihil omninò officiunt. [Nihil certiùs, (inquit P. Irenæus *loc. cit.*) incarnati, natiq; VERBI mysterio, vix tamen aliquid minùs certum anno, quo in carne VERBUM apparuit. Ratam habent Catholici inventionem S. Crucis, cujus nihilominus circumstantiæ adeò sunt variæ apud Authores, ut conciliari nequeant. Vixisse *S. Vrsulam, SS. Christophorum* & *Georgium* & alios ejusmodi, nemo est, qui neget, etsi fermè in infinitis differant, qui eorum acta describunt. Uno verbo, Annales vix aperueris, quin occurrant controversiæ de circumstantijs alicujus rei, cujus substantiam ut certissimam admittunt. Authorum igitur discrepantia circa *datum* vulgatæ *Ioannis* Sabbatinæ aliud non evincit, nisi deceptos fuisse aliquos in transcribendo Bullæ *dato*: quod substantiam narrationis non temerat.]

Discceptatio circa annorum supputationem, & alias circumstãtias accessorias non adimit veritatem historijs quoad substantiam.

Quæres, quænam sit probanda lectio, quisvè annus alteri præferendus? *Respondeò* cum præfato P. Irenæo certare Authores non imparibus momentis. *Sextus* ex Genuensibus alijsq; authenticis Instrumentis colligitur: *Primus* à nonnullis Authoribus, quos secundùm authentica emendandos nemo dubitat, nisi litteræ tenor, vel detrimentum aliud suadeat. Utraq; sententia seorsim accepta probabilis est, *id est*, neutra involuit repugnantiam aliquam: quidquid verò hic senseris circa Bullæ expeditionem, idem quoad temporis rationem,

118.

Privil. 2. contro. 7. In *Vin. Carmel. num.* 835.

sentiendum erit circa apparitionem B. Virginis, de qua supra dixi-
mus. P. Philibertus Fezayus, P. Daniel & quidem alij conantur
utramq; sententiam conciliare, dicendo anno *primo* expeditam fuis-
Bullam, & anno *sexto* confirmatam ac promulgatam.

Non deficiunt alia argumenta, licet planè futilia, quibus fabu-
linum Privilegium ac Bullam, ingenia quædam tumultuosa ac turbi-
da, quæ omnibus concutiendis novandisq; student, convellere ni-
sunt. Ex horum numero fuit Joannes Launoyus, Nortmannus
qui primus frontem atterere, & apertè in illam invehi cœpit. Hu-
Aristarchum his celebrat verbis Theophilus Raynaudus in *prolusione*
part. 2. Scapularis Mariani: *Passim innotuit ingenij ejus prurigo, qua celebri-*
tem captans ex sensuum antiquorum convulsione, collisus est cum bona parte re-
ligiosorum Ordinum qui in Gallia florent; nimirum cum Benedictinis, Carthusi-
nis, Dominicanis, Societatis JESV, sed maximè cum Carmelitanis, & ma-
jus opus moliens, etiam sanctos Cælites à multis sæculis veneratione popularis
frequentatos, novus Censor exauctoravit, & Cælo dejectos inter figmenta re-
cit &c. Quam verò inaniter adversus receptissimam pietatem (pri-
legiatam Carmelit. SCAPULARE) arma moverit, deq; ea, qu-
triumphata sit gloriatus, abundè demonstrat ejus impugnationib-
obviando Joannes Cheron Burdegalensis, in *Vindicijs privilegiati Scapu-*
laris; Thomas Aquinas à S. Joseph, Aquitanus, in *duplici Dissertatio-*
pro sodalitio sac. Scapularis; Philibertus Fezayus, Doctor Aquita-
Lib. de duplici Privilegio Scapularis Mariani; Irenæus à S. Jacobo Rhete-
nensis in *Tract. Theologico de singulari Virginis protectione*, & novissimè pra-
fatus Theophilus Raynaudus Soc. JESU, in opere inscripto, Scapular
Partheno-Carmeliticum illustratum & defensum &c. quod Opus omnibus
ita perplacuit, ut intra modicum temporis spatium quater in diver-
sis Regionibus recudendum fuerit. Hic in 2. *part.* ejusdem operis
5. postquam præclarè adversariorum satisfeciſſet objectionibus, hanc
suam concluſit responſionem verbis. [Quid dignum tanto hinc
tulerunt impugnatores indulgentiæ Sabbatinæ, & liberationis Sab-
lium sacri SCAPULARIS è purgatorio, beneficio DEIPARÆ
Quomodo tumentes veſicæ crepuerunt, salva veritate Privilegij Vi-
ginei pro ijsdem? Non sunt ergò implanati Fideles, ut mentiebatur
iniquitas sibi. Sed veritas admodum pia, cui nihil solidè oppo-
potest, magno Fidelium commodo, à pluribus jam sæculis per omn-
Christia-

Christianas oras, bonis quibusq; faventibus, ipsaq; Ecclesia annuente, disseminata est & propagata.]

119. Juvat in hujus Capitis calce duo, quæ circa *Ioannis* & *Alexandri* diplomata observat præfatus P. Irenæus exscribere. *Primum* Sabbatinam asseri debere, etiamsi vulgati *Ioannis* & *Alexandri* textus non essent legitimi. Hoc suadent omninò laudatæ pridem Pontificum Constitutiones, quæ fidem faciunt, promulgasse *Ioannem* Sabbatinam atq; *Alexandrum* confirmâsse: at quibus verbis litterisq; id ambo egerint, non declarant. Vulgatam igitur lectionem sive admittas, sive reijcias, perseverabit Sabbatina, quamdiu præfatarum *Clementis* & aliorum Pontificum Bullarum fides erit integra & incolumis. Quod velim observatum, ut evidens fiat, quantum differant argumenta, quibus Sabbatina secundum se impugnatur, ab alijs, quæ vulgatas ejusmodi evertunt Constitutiones. Esto enimverò dem (quod non concedo) legitimas non videri vulgatas, quid tandem inferes? nullam esse Sabbatinam? Hoc pernego: nam fundamentum mihi supereßet asserendi Sabbatinam; nempè citata & indubitata aliorum Pontificum diplomata, quamvis nullum suppeteret defendendi vulgatas. *Rogas*, quænam tunc ea sit, & qualis Sabbatina? *Respond.* Eam esse, cui testimonium adhibuêre laudati Pontifices: cujus tenorem suis insertum litteris voluit *Clemens VII.* cujus naturam purpurati Patres authoritate *Pauli V.* anno 1613. declararunt.

Alterum vulgata *Ioannis XXII. Sacratissimo uti culmine* &c. germanam esse atq; legitimam quoad substantiam Sabbatini privilegij, etsi in circumstantijs passa fuerit aliquod detrimentum. *Substantiam* appello, quod præcipuè intendit Bulla, diciturq; à Logicis *subjectum*, *materia*, *primarium objectum* &c. ab Æthicis *consilium*, *finis*, &c. *Circumstantias* intelligo litterarum, phrasim, verba, contentorum ordinem, dispositionemq; & alia ejusmodi. Incorruptam esse Bullam quoad substantiam Sabbatinæ indulgentiæ, probatur ex alijs Pontificum Constitutionibus, quas antea intemeratas demonstravimus, quibus hæc in parte conformis est vulgata *Ioannis* Bulla, uti ex mutua illarum collatione constabit. Passam autem fuisse *Ioannis* Bullam detrimentum aliquod in circumstantijs, ex eo patet, quod integra non recitetur, sed interceptis cum clausulis: sensus in aliquibus sit satis obscurus: annus, quo data est Bulla, varius sit apud aliquos, atq; ex alijs ejusmodi, quæ prætermitto tanquam facilia.]

CAPUT VIII.

Quid sentiendum sit de privilegio animarum &c. per Bullam Sabbatinam manifestato?

Asseritur divini Officij, Pontificia, purpuratorum Patrum, Antistitumq; Authoritate ac suffragio.

120. DISSERUIMUS hactenus de revelatione *Ioannis XXII.* de Bulla Sabbatina, per ipsum promulgata, per quam nobis DEIPARÆ apparitio & revelatio ipsi exhibita innotuit. Restat nunc ut de re ipsa revelata, Privilegio scilicet Sabbatino, seu liberatione animarum è purgatorio nonnulla dicamus. Quærimus ergò in præsenti, utrum reipsa ita sit, quod animæ eorum, qui Confraternitati B. MARIÆ V. de Monte CARMELO adscripti fuêre, sacr. ejus SCAPULARE gestando, & præscripta ab eadem munera observarunt, Sabbato ab eorum obitu, si contingat eas purgatorio addici, indè eripiantur? Priusquam quæsito satisfaciamus, nonnulla observanda & supponenda veniunt.

Post judicium universale nullæ manebunt animæ in Purgatorio.

Supponendum est *primò*, animas purgatorio adjudicatas tandiu in illo detineri, donec pro peccatis suis actualibus satisfactorio Divinæ justitiæ satisfaciant, vel aliorum satisfactiones pro earum compensationem pœnarum culpis illarum debitarum DEO offerantur: ideoq; contingere non rarò solet, ejusmodi animas permultos ibidem annis hærere; non quidem ita, ut aliquæ etiam post judicium universale sint ibi mansuræ adhuc purgandæ (quam opinionem in errorem quidam tribuunt Origeni) cum Augustinus dicat, *purgatorias pœnas nullas futuras, nisi ante illud ultimum tremendumq; judicium*; neq; etiam ita, ut ultra decennium nulla ibi detineatur, ut videtur sentire ex levibus quibusdam conjecturis permotus Soto *in 4. d. 19. q. 1. art. 2.* verum secundùm proportionem & mensuram pœnæ, quam DEUS æquissimus Judex taxavit, pro peccatis exsolvendæ.

Origen. *Hom. 14. in Luc.* *Lib. 21. de Civit. Dei. cap. 16.*

Utrũ ultra decennium nullæ detineantur in Purgatorio?

Supponendum est *secundò*, non esse contra vindicativam DEI justitiam, si subindè nonnullæ animæ, propter oblata ab alijs pro eis opera satisfactoria, citiùs liberentur, quam exigebat reatus pœnarum delictis

Nõ est contra vindicativã Dei justitiam,

delictis suis debitarum. Cujus ratio est, quia talia opera æquivalent pœnis illis temporalibus, quas justo DEI judicio animæ istæ ibidē perpessuræ erant; adeoq; hic, ex parte ejusmodi opera offerentis, intercedit ratio justitiæ commutativæ, per quam DEO æquivalens satisfactio redditur; ex parte verò DEI manet integra illæsaq; ratio justitiæ punitivæ. Et hinc est, quod P. Suarez cum S. Thoma, alijsq; permultis Theologis doceat, satisfactionem viventium pro defunctis esse simpliciter de justitia, & infallibiliter acceptari secundùm totum suum valorem.

si propter aliorum satisfactiones quædā citiùs liberentur, quàm earū exigebat reatus. *Tom. 3. in 3. P. disp. 48. sect. 6.*

Tertiò supponendum est, licet ita sese res habeat, quod per opera satisfactoria DEO offeratur æquivalens compensatio pro pœnis, quas in purgatorio luituræ erant illæ animæ, attamen nobis nonnisi per revelationem constare potest, an illæ animæ de facto liberentur: quia ignoramus, an ex parte nostra debitis modis, ac requisitis cum circumstantijs peregerimus ea opera, pro commutatione talium pœnarum necessaria.

Licet satisfactio vivētium pro defunctis sit de justitia, non tamen nobis constat, an de facto liberentur.

Quartò supponendum est, sicuti Spiritus sanctus, licet omnibus sacrarum litterarum Scriptoribus semper & specialiter adstiterit, ne in scribendo errarent, non tamen omnibus semper immediatè, & de novo revelavit, quæcunq; scribenda erant, verum quandoque aliquos excitavit solùm, ut audita, vel visa scriberent, interim ijsdem specialiter adfuit, ac direxit, ne laberentur, uti patet ex S. Luca in principio sui Evangelij: nihilominus tanta & non minor fides adhibetur his ab Ecclesia, quam illis, qui immediatè ex Divina revelatione scripsêre. Ita, proportione tamen servata, dico de revelatione facta summis Pontificibus de re aliqua gravissima, & Ecclesiæ proponenda. Sicut enim illis, quibus immediatè fit Divina de hujusmodi re revelatio, Spiritus sanctus adsistit, ne facilè labantur, ita reliquis Pontificibus, qui postmodum eandem rem ex auditu approbant, confirmant, ac de novo publicè proponunt Ecclesiæ, specialiter Spiritus sanctus assistit, esto talis res nō concernat dogma fidei, vel mores. Non quod in particularibus quæstionibus & controversijs facti non possint errare Pontifices, sed quia in hujusmodi gravioribus majorisque momenti quæstionibus speciali Spiritus sancti assistentia diriguntur, ne facilè errent.

Luc. *cap.* 1.

His præsuppositis dicendum est, re ipsa ita esse, quod animæ illorum,

Asseritur Privilegiũ Sabbatin. Pontificiâ authoritate ac suffragio.

illorum, qui in vita sua habitum seu Scapulare B. V. MARIÆ de Monte Carmelo gestarunt, & servanda observarunt, quantocyus liberentur à pœnis purgatorij, post eorum obitum, præsertim ipso die Sabbati, qui specialiter eidem beatissimæ Virgini dicatus est.

Hoc assertum ut certum & indubitatum habendum est, cum desumptum sit, & ijsdem fermè verbis contineatur in supra productis Apostolicis litteris, Romanorumq; Pontificum decretis, quos constat ex SS. Patrum sensu esse *Os* & *linguam Ecclesiæ*, quæ in rerum piarum affirmatione hallucinari non potest, cum Spiritum sanctum habeat ductorem & moderatorem.

Nihil etiam continet Divinæ Justitiæ in puniendis peccatis actualibus, vel venialibus, vel mortalibus quoad culpam pœnamq; æternam remissis adversum; aut Catholicæ fidei, probatæ Theologiæ sanæq; doctrinæ contrarium, uti ex hactenus dictis liquidò constat, constabitq; ampliùs ex infrà dicendis.

Fuit divinitùs revelatum *Ioanni XXII.* & authenticè in Ecclesia publicatũ.

Prætereà hoc Privilegium *Ioanni XXII.* summo Pontifici, ut in superioribus Capitibus demonstravimus, cælitùs revelatum fuit, & per authenticum Diploma legitimè in Ecclesia propositum, ergò bonum, indubitatumq; erit. Consequentia patet ex ultima suppositione mox exposita. Nam in rebus istiusmodi specialiter summis Ecclesiæ Pastoribus Spiritus S. assistit, ne facilè labantur in similibus approbandis, publicèq; in Ecclesia proponendis.

Licet autem hujus privilegij revelatio JOANNI Papæ exhibita non sit de aliquo determinatè & in particulari, est tamen in genere & in communi, quod ad veritatem hujus propositionis omninò sufficit. Imò hoc debet Confratres reddere cautiores, solicitiores; ut arctiùs satagant præscriptis sibi muneribus satisfacere; cum contingere possit; quod non obstante hoc Sabbatinæ Bullæ privilegio quispiam in particulari nec quantocyus, nec Sabbato ab expiatorio igne eripiatur: vel quia nonnunquam neglexit aut intermisit præscriptas à DEIPARA hujus Privilegij ergo obligationes ac munera: aut si nunquam prætermisit, segniùs tamen atq; indiligentiùs illa præstitit, nec requisita cum pietate ac perfectione. Hæc verò quàm sint conformia sanæ & in Ecclesia receptæ doctrinæ nemo non videt. Imprimis enim quilibet gestans Marianum Scapulare, ejusq; Sodalitio adscriptus semper incertus est, & ignorat, utrum sibi in particulari hoc proderit privilegium,

legium, ideoq; per hoc excitatur ad frequentanda, minimeq; negligenda alia pia opera, & media ad evadendos purgatorij cruciatus. Impellitur deindè quilibet ad ritè perfecteq; præscripta Confraternitatis munera, pietatisq; opera obeunda: qualia sunt, castitatem pro suo statu colere, Officium DEIPARÆ recitare, aut jejunia & abstinentiam observare, &c. quæ pro hujus privilegij adeptione necessaria sunt. Deniq; ex hoc privilegio, & communicata de eo *Ioanni* Pontifici revelatione, constat contra nostri temporis hæreticos, & Purgatorium esse, & animas ibidem detentas juvari precibus Sanctorum, & operibus bonis satisfactionibusq; vivorum. Hæc verò omnia tantum abest, ut sanam Catholicamq; doctrinam offendant, ut eam haud parum etiam confirment, ac promoveant.

122. Referuntur Pontifices, qui illud comprobarunt, confirmaruntque.

Probatur præterea nostra assertio authoritate complurium Pontificum privilegium Sabbatinum, per Bullam JOANNIS XXII. evulgatum, comprobantium. *Alexandrum V. Clementem VII. Pium V.* & ut transeam alios, *Gregorium XIII.* suis Apostolicis Diplomatibus privilegium Sabbatinum in Bulla JOANNIS contentum, iterùm iterùmq; legitimè comprobasse, confirmasse, corroborasse, Christiq̃ue Fidelibus proposuisse, satis superq; suprà demonstratum est; at juxta ea, quæ in quarta suppositione diximus, non modo ijs Pontificibus, quibus immediatè quidpiam revelat Spiritus sanctus, Ecclesiæ proponendum universæ, specialiter assistit, ne facilè aberrent, verùm etiam eorundem successoribus, qui decursu temporis idipsum comprobant, confirmant, similiterq; publicè proponunt, ac promulgant; ergo eandem fidem promerebuntur, cùm utrisq; uti dictum est, specialiter Spiritus sanctus adsit.

Neque obstat, si dicas Pontifices in similibus occasionibus solere uti consilijs Theologorum, inquisitionibus, & informationibus, *&c.* quæ necessaria minimè forent, si Spiritus sanctus specialiter ijs assisteret, & similia revelaret, cùm is inquisitione, consilioq; hominum non egeat; nam etiam in rebus fidei proponendis ac definiendis solent adhibere & præmittere varias inquisitiones, consultationes, & uti medijs hunc in finem à DEO concessis, qualia sunt, Scriptura sacra, traditiones Divinæ & Apostolicæ, Concilia, doctrina SS. Patrum, Doctorumq; Ecclesiæ, rationes naturales, & his similia, pro ratione materiæ, & quæstionum difficultate; quod jam inde à temporibus

ribus *S. Petri*, primitivæq; Ecclesiæ, ad hoc usque tempus observatum videmus. In primo quippe omnium Concilio *S. Petrus* exactissimam inquisitionem, antequam in alterutram partem quidquam statueret, adhibuit. Qua præmissâ, ait: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, &c.* Non ergo opus alienum à Spiritu sancto sunt disquisitiones ac consultationes, quas Pontifices in comprobandis ac confirmandis prædecessorum suorum decretis præmittunt, adhibentque: nec minus Spiritus sanctus ijsdem adest, quàm illis, quibus immediatè de re aliqua facta est divina revelatio.

Act. 15.

123. Asseritur Decreto *Pauli V.* & sacr. gener. Roman. Inquisitionis.

Solidissimum quoque nostri Privilegij seu asserti testimonium & ineluctabile præbet firmamentum, Decretum sacræ & generalis Inquisitionis, jussu *Pauli V.* anno 1613. Romæ editum, quod suprà *Capit. IV. num.* 98. ad verbum exscripsimus. Circa quod pauca paucis hic observanda veniunt.

Primùm, mandari hoc Decreto universis Pontifice supremo inferioribus, ut permittant, & non prohibeant Carmelitas prædicare & publicare in Ecclesia hoc Privilegium: *Patribus Carmelitanis permittatur prædicare*, &c.

Secundò, permittuntur prædicare hoc Privilegium non uni particulari Regioni, Provinciæ, Regno, Reipub. *&c.* sed toti Ecclesiæ *quòd populus Christianus*, &c.

Tertiò, potest populus Christianus piè credere, ope & adjutorio B. MARIÆ Virg. liberari animas suorum Confratrum à pœnis purgatorij: *Quòd populus*, inquit, *Christianus possit piè credere, de adjutorio animarum Fratrum ac Confratrum sodalitatis beatissimæ Virginis MARIÆ de monte CARMELO, videlicet Beatissimam Virginem animas Fratrum & Confratrum in charitate decedentium*, &c.

Quartò denique advertendum, Decretum hoc judicialem esse sententiam ac definitivam Sedis Apostolicæ, & sanctæ generalis Inquisitionis Romanæ, ut infrà plenius docebimus.

Cur Privilegiũ Sabbat. de veritate minimè suspectũ sit?

Ex prima observatione deducimus, falsitatis argui non posse hoc Privilegium. Nam Ecclesiæ gravissimè noceret, si falsa impune prædicarentur populo Christiano, sciente, suadente, ac permittente Fidei magistro, summo Pontifice; & ne id contingat, Spiritus sanctus in ejusmodi rebus decernendis, & in Ecclesia, vel per ipsum, vel per prædicatores, & verbi DEI præcones proponendis, specialiter ei adsistit.

sistit. Hinc est, quod alij Doctores, & aliarum Ecclesiarum Rectores, jam inde ab exordio nascentis Ecclesiæ ad Romanum Pontificem, tanquam ad Fidei Magistrum, & ad solidissimam veritatis petram semper provocarunt, & confugierunt, quotiescunq; aliquid, de quo ambiguum erat, an orthodoxæ Catholicæq; doctrinæ consonum esset, in suis Provincijs ac Diœcesibus populo Christiano prædicari intelligerent, ut de veritate certiores ac securi redderentur. Hoc testatissimum facit *Epistola* S. Hieronymi 57. *ad Damasum* Pontificem, in qua ipsum, & Romanam Ecclesiam velut cæterarum matrem, & ad quam majores Fidei quæstiones referri solent, consulens, quid in certa (de qua maxima erat inter ipsos Episcopos disceptatio) fidei materia credere debeat, postulat.

Omnes dubiæ fidei quæstiones ad summũ Pontificem decidendæ referri debent.

Ex secunda observatione discimus, quanti momenti sit negotium hoc Privilegij Sabbatini; licet enim videatur tantum esse facti particularis, est tamen planè gravissimum, cùm de consilio & consensu Pontificis, ac sacræ Romanæ generalisq; Inquisitionis, proponi possit ac prædicari universo populo Christiano. imò R.P. Raynaudo visum est, non ad facta duntaxat, verùm etiam ad doctrinam suo modo pertinere hoc Pontificis Decretum, ut ex ejusdem mox referendis verbis constabit.

Quanti momenti negotium sit Sabbatinum Privilegium?

Ex tertia observatione habemus, hanc assertionem Privilegij Sabbatini eam obtinere authoritatem & firmitatem, ut infra Fidei dogmata nequeat habere majorem, cùm inter ea referatur, quæ ab universis Fidelibus piè credi queunt; quid sit autem *piè credere*, infrà enucleatiùs exponemus ex doctrina Angelici magistri *Quodlib. 9. art. 16.*

Cujus sit authoritatis?

Ex quarta denique deducitur, standum esse huic Decreto ab omnibus sive Ecclesiasticis, sive Sæcularibus, *&c.* cujus ratio est, quia judiciali, definitivæq; sententiæ Romani Pontificis subditur omnis potestas, etiam sæcularis, in his, quæ Ecclesiam spiritualiter concernunt: quale hoc est Privilegium; ita N. Thom. Waldensis *lib. 2. doctrinal. Fidei*, Soto *dist. 25. quæst. 2.* Navarr. in *cap.* novit. *de jud. not. 3.* & alij.

Decretum *Pauli V.* de Privil. Sabbat. habet rationem definitivæ sententiæ; & quid inde sequatur?

Fuit tamen nonnemo, qui satis audaciter ausit reclamare, affirmans, *hoc Scapularis Privilegium non esse prædicandum populo, & hoc prædicare esse magnum scandalum*. quem dedocere, & accuratius erudire,

124.

Loc. citat. part. 2. quæst. 5. P. Raynaudus docet Thō. Hurtadū quid censendū, ac quomodo loquendum sit de præfato *Pauli V.* Decreto.

hoc subjecto voluit R. P. Theophilus Raynaudus discursu. [Liqu (inquit) Hurtadum manifestè corrigere Decretum Pontificium, qu jubetur, ne quis Episcopus, aut Fidei quæsitor, vel alius quicunq obstrepat Carmelitanis proponentibus pro concione promissione de qua agimus, (videlicet de adjutorio præstando animabus, &c. Purgatorio detentis) è contrario Hurtadus non vult eam prædica vel permitti ut prædicetur: idq; ait esse certum: & secùs facere, magnum scandalum, quo nihil potuit injuriosius in Pontificis D cretum proferri, sed homo solitus omnia sua sensa venditare oraculis, impegit hic in petram, in quam quisquis arietat, ipse co fringitur, ut ait *S.* Augustinus, &c.] mox subjungit.

Quid ex hoc Decreto inferendum sit?

[Insuper ex Pontificio hoc Decreto inferendum est, quantu cumq; pungere videatur difficultas, in qua enodanda versamur, n quaquam tamen succumbendum ei esse: cùm sit certum erroneu esse, & cum periculo Fidei violandæ conjunctum asserere permissi niem, de qua agimus, non esse piam & probabilem. Quomodo enim non esset pium & probabile, quod Pontifex vult nemine contra cente spargi ad populum? ita ut non possint immediati circa Fide Excubitores prohibere, quominùs hæc promissio publicè propon tur? si enim res secus haberet, & hæc assertio promissionis supe dictæ contineret doctrinam fermentatam, & furfuribus admistam, Pontifex erraret, non jam in facto (circa quod Pontifices, tanquam homines ex falsa informatione possunt decipi) sed planè in doctrin quam Pontifex docet esse piam, & idoneam, ut tanquam pium pabu lum proponatur ovibus Christi: cùm tamen aliter res haberet. Ab hoc dicere sorderet intollerabili errore: & quantum arbitror hæresi quod monstro in exemplo. *SIXTVS IV.* gemino Decreto relato i Corpus Juris, & firmato in Concilio Tridentino, ac per multos sub sequentes Pontifices, declaravit, hanc propositionem *B. Virgo est con cepta sine peccato originali*, esse piam & probabilem. Unde qui dicere hanc propositionem modalem, *pium est ac probabile ita sentire de Con ptione*, esse falsam, & Pontifices ac Concilium in ea tradenda errasse non esset immunis ab hæresi, quia impingeret Magistris Fidei erro rem in doctrina. Esto enim propositio de inesse, subsirata huic pro positioni modali, non sit de fide, imò possit sordere falsitate specu lativâ (tametsi non practicâ, quia prudenter existimatur vera, pro babiliter

babiliter ac piè) at speculativâ falsitate possit sordere. Hoc nemo debet negare. Ecclesia siquidem nihil adhuc definivit de puritate Conceptionis, spectatâ absolutè. Definivit tamen pietatem, & probabilitatem assertionis affirmantis eam puritatem. Unde huic definitioni obsistere, sordet errore in Fide, non autem absoluta inficiatio puritatis Conceptionis. Idem igitur dico de permissione, quam excutimus. Nimirum suppositò Decreto Pontificio, non posse salvâ fide negari, quod pium sit & probabile, eam promissionem habere pro vera: & quod possit licitè, & sine scandalo prædicari populis, & quod Bulla JOANNIS, qua hæc promissio continetur, non sordeat errore: nec sit ab homine Catholico reijcienda, tanquam seminium scandalorum, aut contemptus mediorum salutis à Christo institutorum. Mirabile verò esset tot Pontifices, & tot oculatissimos Argos, qui cum eis excubant circa doctrinam sanam, cœcutivisse hac in parte: nec advertisse virus abditum in doctrina toties firmata, & quam disertè Ecclesia annuit prædicari, atque agnoscit piè credendam; proindeq; prudenter, & absq; periculo erroris practici posse affirmari.] Hactenus ille.

Placuit hanc ratiocinationem tametsi longiusculam ex eo describere, quæ id quod dicebamus adeò clarè demonstrat, ut nullus non perspicere possit, modò velit non liventibus oculis aspicere.

125. Deiparam solere quãtocyus Cõfratr. animas è Purgatorio liberare, probatur Divini authoritate Officij.

QVOD verò *quantocyus* solari, atque educere soleat DEIPARA Virgo Sodalium suorum animas, qui servanda servarunt, è piacularibus flammis, habetur expressissimis verbis, in lectionibus Divini Officij pro festo Commemorationis solemnis B. MARIÆ Virg. de monte CARMELO, à sacr. Rit. Congregatione pluries approbati.

Non in hoc tantùm sæculo (verba sunt lectionis sextæ) *Ordinem sibi tam acceptùm multis prærogativis B. Virgo insignivit; verùm & in alio, (cùm ubiq; & potentiâ, & misericordiâ plurimùm valeat.) Filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesq; paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorio expiantur, solari, ac in cælestem patriam obtentu suo quantocyus piè creditur efferre.*

Quam vim & authoritatem obtineat præfatum Officium, & unde

hæc proveniat, quantumvè apud Fideles fidem promereatur, paucis 1. *Part. Cap. 6. num.* 41. demonstravimus : nonnulla tamen adden dictis adjungenda veniunt.

Quinam Pontifices approbarint festum Commem. solemn. B. MARIÆ V. de monte Carmel. ejusq; Officium?

Animadvertendum imprimis est, *Sixtum V.* anno 1587. die 2 Junij Pontificatus sui anno 3. hoc festum solemnis Commemorationis B. MARIÆ V. cum nonnullis alijs Festivitatibus Carmelit. Di calceatorum Ordini proprijs, per Bullam incipientem, *Eximium quod in vobis elucet.* comprobasse ac confirmasse. Quod circà idem Festum, & prædictum officium Commemorationis &c. post *Sixtum V.* præstitit *Paulus V.* anno 1609. die 10. Junij, subscribente Card. Bellarmino, qui illud, aliaq; officia propria Ord. Carmelit. Exca de mandato sacr. Congregat. recognovit, & approbavit: & *Urban VIII.* anno 1628. die 12. Junij, uti patet ex decreto sacr. Rituum Congregationis in calce illius libri Officiorum excuso, & relato P. Irenæo inter Monumenta *Tractatus de protect. B. V. pag.* 3. & alijs.

Divinum Officium non continet secundùm omnes sui partes doctrinam fidei?

Animadvertendum est *secundò* Divinum Officium non semp secundum omnes sui partes continere doctrinam Fidei, sed quandò historias pias, quales sunt vitæ & acta Apostolorum, Martyrum Confessorum, aliorumq; Sanctorum, quæ proponuntur non ut cer de fide, verum ut pia & humanitùs credibilia, ac moraliter certa. Ea tamen pars officij, quæ causam seu fundamentum continet aliqua festivitatis, debet præ cæteris omnimodam habere veritatem, ac certitudinem: quod adeò verum est, ut etiam quando de aliquo, Sanctorum Fastis aliàs adscripto, instituenda est specialis aliqua festivitas ob particulare aliquod mysterium, aut rationem E. G. de S. Francisco ob receptionem sacr. Stigmatum; oportet ut ratio & fundamentum talis festivitatis, ejusq; subsistentia ac veritas à Romano Pontifice prius examinetur, ac comprobetur, quam tale festum permittatur aut instituatur, etiam in particulari aliqua Diœcesi, aut Provincia: in examinando verò, dijudicando ac comprobando fundamento hujus festivitatis, ac cultus religiosi in illa DEO exhibendi, Pap speciali Spiritus sancti assistentia dirigitur, ne facilè aberret.

Quid de causa alicujus festivitatis censendum, & à quo illa discutienda, dijudicandaque sit?

Privilegiũ Sabbat. est inter alia causa festi

Ex qua doctrina deduci & inferri posse videtur, privilegij Sabbatini veritas ac firmitas. Cum enim Privilegium hoc sit aliquatenus ratio ac fundamentum celeberrimæ festivitatis Commemorationis scilicet B. V. MARIÆ de Monte CARMELO, juxta judicium & sententiam

tentiam Sedis Apostolicæ, post præmissum maturum, exactumq; examen ac discussionem sacræ Rituum Congregationis, sequitur illud omnimodam habere debere veritatem ac certitudinem. Sequela patet ex mox dictis. Antecedens probatur ex *lectione sexta* prælibati *Officij* &c. post verba namq; supra relata subjunguntur hæc: *Tot ergò tantisq; beneficijs Ordo cumulatus solemnem B. Virginis Commemorationem, ritu perpetuo ad ejusdem Virginis gloriam quotannis celebrandam instituit.* Commem. solemn. B. Virg. de Mont. Carmel.

Licet autem hic, festum hoc Commemorationis Ordo instituisse dicatur, attamen id non fecit, nisi ex indulto Sedis Apostolicæ, & post discussum, dijudicatumq; ab eadem, sacraq; Rituum Congregatione ejus causa, motivo ac fundamento. Et licet plura in hoc fundamento includantur à DEIPARA Ordini collata beneficia, tamen infimum illorum non est Sabbatinum Privilegium, uti ex ipsarum lectionum contextu liquidò satis patere videtur. His accedunt indulgentiæ plenissimæ, quibus eandem Celebritatem in Ecclesia comprobare, confirmare ac illustrare voluit eadem Apostolica Sedes.

126.

Dices, Privilegium hoc, negotium esse particularis facti, & non doctrinæ, in quo falli potest Pontifex, ac solis humanis testimonijs & informationibus potuisse moveri præfatos Pontifices, sacramq; Congregationem ad tale Privilegium pro motivo ac fundamento dictæ Festivitatis adjudicando ac comprobando; igitur non apparet, undè suam habeat firmitatem.

Respond. Privilegium hoc secundum se præcisè consideratum, videri particularis esse facti, prout tamen est ratio & fundamentum alicujus festivitatis, cultusq; religiosi in ea DEO exhibendi esse maximi planè momenti. Sicuti Canonizatio alicujus Sancti, licet sit negotium particularis facti, quia tamen est maximi in Ecclesia momenti, plusquam humana fide pollet, &c.

Nec refert, quod in his Pontifex moveatur & innitatur humanis testimonijs & informationibus. Quia licet hæ natura sua & præcisè consideratæ sint fallibiles, nec ampliùs quam moraliter & humanitùs veritatem adstruant, nihilominus prout subsant Divinæ providentiæ, qua Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigente moderatur, & ut eis Pontifex innititur, ac movetur ad discernendum de ratione ac fundamento publicæ alicujus festivitatis, majorem asserunt fidem, quam humanam ac moralem. Eodem planè modo, proportione servata, quo in Canonizatione alicujus Sancti contingit: licet enim te-

stimonia ac informationes hominum natura sua fallere possint, eos considerando tamen illas, modo jam dicto, plusquam humanam fidem merentur. Imò licet contigeret, quod ejusmodi informationes ac testimonia, quibus Pontifex permovetur ad aliquid definiendum, quandoq; falsa essent, ejus tamen doctrina definitio, ac decretum falsa esse nequeunt, ob rationem jam insinuatam; atq; adeò ipsius Pontificis inquisitioni, ac diligentijs promissa non est infallibilitas, sed soli personæ definienti ac docenti ex cathedra, ut scilicet illius doctrina definitio ac decretum falsa esse non possint. Et tametsi hoc universaliter intelligendū sit de rebus ad fidem, vel bonos mores attinentibus, piè tamen, juxta doctrinam S. Thomæ, de alijs etiam nonnullis rebus, veluti de Canonizatione Sanctorum, atq; similibus, proportione semper servata, credendum est.

Quodl. 9. art. 16.

127.

Episc. authorit. ac suffrag. asseritur Sabbat. Privilegium.

Sanctissimorum Pontificum suffragio accedit illustrissimorum Antistitum, quod in controversia, in qua versamur, plurimum sane ponderis habet. Qui sicut à Spiritu sancto positi sunt, ut regerent Ecclesiam DEI, & à summo Pontifice in partem Pastoralis solicitudinis vocati sunt. Hi, ut utriusq; vocationi atq; expectationi faciant debitis, sollicitè attendere & invigilare debent circa divina maximè, ne profana sacris corrumpantur: ideoq; nullam erigi in Diœcesibus suis Confraternitatem, nullas promulgari indulgentias, nec quicquam simile permittere debent, cujus prius non discussérint rationem, aut examinaverint veritatem, ac proponendi indulserint facultatem.

Quod sit ipsorum in similib. &c. munus?

Quis verò recenseat Antistites, quorum authoritate à pluribus jam annis erecta atq; confirmata est Mariani Scapularis Confraternitas, atq; per eam promulgata Sabbatina indulgentia, sive privilegium? Quod postremum Episcoporum examen extremum pariter Sabbatinæ affert momentum. Ut enim in civilibus litteræ Principum supremum ad Senatum referuntur, non ut ab eo authoritatem adsciscant, sed ut probetur character Principis, numvè dolus irrepserit, aut quid simile? verum à Senatu semel probatæ reijciuntur à nemine: ita in rebus Ecclesiasticis summorum Pontificum litteras legunt, & recognoscunt Præsules, plumbum, stylum & alia pro sua sapientia explorant, tandemq; de legitima ejusmodi litterarum natura & qualitate ferunt sententiam. Qua lata, nulli alteri concessa est facultas repudiandi, quod ipsi probaverint. Huc faciunt illa *D. Gregorij* verba ad Joannem

Constant.

Constant. Episcopum: *Quid Fratres*, inquit, *tui omnes universalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cæli sunt? quorum vita simul & lingua, inter peccata, erroresq; hominum, quasi inter tenebras lucent*: quæ sanè *D. Gregorij* sententia omnem auferre videtur facultatem reprobandi, quod Episcopi probavêre, omnemq; fraudis suspicionem ac tenebras removent eo à negotio, quod tot astris fuerit expositum & collustratum. Næ digni non essent infulis ij Antistites, qui hæc omnia permitterent, si falsa essent, aut suspecta; quinimò ijs annumerandi, de quibus Isaias *Cap.* 18. ait: *Canes muti non valentes latrare.* *Tom. 4. in Regist. epist. 38.*

Hinc si urgeas, inquit Irenæus, quo fundamento Sabbatinum Privilegium astruam? Remittam ad Episcopos, quorum authoritate permittitur & erigitur SCAPULARIS Sodalitium. Quo argumento id ipsi faciunt, eodem ego utor, ut vindicem, quod permittunt. Si permissam ab Episcopis Confraternitatem SCAPULARIS absque prævio examine contendas; præfatam opponam primùm solicitudinem: tum gratis dato, & minimè concesso, quod unus & alter rem non discusserit, illud idem de cæteris, non nisi falsò simulq; perabsurdè, ac summâ Illustrissimorum Præsulum injuriâ dicam concludi.

128. Recensentur varij modi conciliandi firmam fidem seu credulitatem.

Lvbet hoc Caput præclarâ quâdam Navarri doctrinâ obsignare, quâ non modò ea, quæ hactenus diximus, verùm etiam ea, quæ in sequentib9 Capitibus dicemus, confirmantur. *Is, Commentar. in Rubric. de judicijs, num. 52. in fine.* docet, [ad habendam firmitatis credulitatem sufficit testimonium Historiæ sacræ, quia in illa nihil est falsum; *Cap.* Ego solis. *dist. 9.* Sufficeret etiam Bulla authentica Papæ, vel Cæsaris, & etiam sententia, quæ in rem judicatam transijsset. *Arg. Clement. 1. de probat.* & L. res judicata pro veritate habetur. *ff. de regul. jur.* Sufficeret etiam instrumentum publicum, legitimè confectum: Originale, vel Exemplum cum solemnitate debita ex eo transumptum, juxta *cap. 1. & 2.* & Cap. *Cùm Ioannes.* & Cap. fin. *de fide instrument.* Sufficeret etiam fama in antiquis, hoc est, quæ ante centum annos contigerunt, secundùm Innocent. in *Cap.* Veniens. *de verborum significat.* quem post alios declarat Decius in *Cap. 1. de appellatione. num. 18.* Sufficeret etiam, ut arbitror, testimonium duorum testium, communiter pro idoneis habitorum & juratorum. *Arg. cap.* in omni. *de testibus. Cap.* Cùm esses. *de testament.* Licet non citatâ parte id factum fuerit; quia illud magis pertinet ad solemnitatem fori exterioris, quàm ad informationem

nem interioris *Argum. cap.* in Nomine Domini. *de testibus.* Hæc si applicentur materiæ, in qua versamur, facilè apparebit asserti nostri de Sabbatino Privilegio omnimoda veritas ac firmitas.

CAPUT IX.

Confirmatur Bullæ Sabbatinæ privilegium ex doctrina S. Thomæ, communiq; judicio ac sententia celeberrimarum Universitatum, plurimorumq; Doctorum per IV. ætates sibi succedentium.

129. SI ea, quæ hactenus produximus, maturè perpendantur, poterunt, meo judicio, omnem intellectum benè dispositum ad piè credendum, & benè sentiendum de privilegio Sabbatino non ægrè, imò vel reluctanter pertrahere: non pauca verò supersunt argumenta haud levis ponderis ac momenti, quæ juncta superioribus Lectorum animos excisis scrupulis universis facilè omninò convincent. S. Thomas differens 22. q. 171. de essentia Prophetiæ, docet *art.* 5. dupliciter à DEO moveri & instrui Prophetam in rebus occultis, seu revelandis, aut per revelationem expressam, aut per inspirationem sive instinctum occultum. *Mens*, inquit, *Prophetæ dupliciter à DEO instruitur: uno modo per expressam revelationem: alio modo per instinctum quendam occultissimum, quem nescientes humanæ mentes patiuntur, ut Augustinus dicit super Genesim ad litteram.* Inter hos verò duos modos non exiguum discrimen intercedit. Illi enim, qui aliquid à DEO discit per expressam revelationem, certissimus redditur illud esse à DEO; ac proinde ei non posse subesse falsum. Alius verò, qui per instinctum occultum movetur, non est certus, neq; discernere valet, utrum illud sit à DEO, an à proprio spiritu: verum præstat de his differentem ipsum audire Angelicum Doctorem: *De his ergò, quæ expressè per Spiritum Prophetiæ Propheta cognoscit, magnam certitudinem habet, & pro certo habet, quod hæc sunt sibi divinitùs revelata. Undè dicitur Hierem. 26.* in veritate misit me Dominus ad vos, ut loquerer in aures vestras omnia verba hæc: *alioquin si de hoc ipse certitudinem non haberet, fides, quæ dictis Prophetarum innititur, incerta*

Prophetæ dupliciter à DEO instrui ac moveri solent.

Loc. cit.

Magna intercedit inter hos duos modos diffe-

certa non esset. Et signum Propheticæ certitudinis accipere possumus ex hoc, quod Abraham admonitus in Prophetica visione, se præparavit ad Filium suum Vnigenitum immolandum; quod nullatenus fecisset, nisi de Divina revelatione fuisset certissimus. Sed ad ea, quæ cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet, ut non planè discernere possit, utrum hæc cogitaverit, aliquo Divino instinctu, vel per Spiritum proprium, &c.

rentia quoad certitudinem.

Ex Angelica hac S. Thomæ doctrina, sic brevissimè pro asserenda Sabbatini privilegij veritate arguere licet: Illa, quæ per expressam revelationem divinitùs manifestantur certissima & verissima sunt; at *Ioanni XXII.* Pontifici per expressam revelationem divinitùs manifestatum fuit Sabbatinum privilegium, Ergò &c. Major patet ex superiori S. Thomæ doctrina. Minor constat ex his, quæ suprà *Cap. secundò* asseruimus: & probatur etiam ex illis Bullæ Sabbatinæ verbis: *Sic mihi flexis genibus supplicanti*, inquit JOANNES, *Virgo visa fuit Carmelita sequentem affata sermonem* &c. Quæ expressissima verba non solùm convincunt *Ioanni* per expressam revelationem fuisse divinitùs manifestatum hoc privilegium, verum etiam indicat visionem hanc fuisse corpoream, cum audierit B. Virginem se alloquentem. Talis verò revelatio seu visio, juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 174. *art.* 3. altioris est Ordinis, pluriſq; facienda. *Tertiò*, inquit, *ostenditur altior esse gradus Prophetiæ, quando Propheta non solùm videt signa verborum vel factorum, sed etiam videt, vel in vigilando, vel in dormiendo aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem: quia per hoc ostenditur, quod mens Prophetæ magis appropinquet ad causam revelantem.*

Quænam Prophetia censeatur altioris esse ordinis, & quare?

Confirmatur hoc ipsum ex alia doctrina ejusdem Angelici Præceptoris: nam *in citata quæst.* 171. *art.* 6. docet cognitionem, quam aliquis haurit ex revelatione divina non posse non esse veram, quia *eadem est veritas cognitionis in discipulo & docente*, undè *oportet*, inquit, *eandem esse veritatem Propheticæ cognitionis, & enuntiationis; quæ est cognitionis Divinæ, cui impossibile est subesse falsum*, &c. Enuntiavit ac promulgavit hoc privilegium præfatus Pontifex, prout cælitùs didicerat ac cognoverat; & cum illa cognitio in revelante non possit fallere, neque etiam falli potest ille, cui revelatum fuit hoc ipsum privilegium, neq; falsa esse ejus enuntiatio. Verum ergò erit hoc Sabbatinæ Bullæ Privilegium.

SOLENT quandoq; ex adversarijs nonnulli, Testes sive Authores 130.

res requirere, qui Sabbatino Privilegio attestentur; verùm illis re-
sponderi posset, Apostolicorum Diplomatum Testes præter ipsor
Pontifices minimè esse postulandos. Pontifices verò dedimus non
paucos, qui non ut privati Doctores, sed sub anathemate, & de po-
nitudine potestatis pro Sabbatino Privilegio sententiam tulêre. Pu-
blicam Judicum manum addidimus, planè præter debitum; cùm nulla
sit manus Apostolica certior, nec judicandi authoritas, quæ prima
Sedis superet oraculum; uti constat ex *Cap.* cum à nobis, *de Testibus &*
attest. quod est 28. *tit.* 20. *lib.* 2. *decret. Greg.* Etsi, ait, cujusibet al-
terius scriptura debeat Testium adminiculo fulciri: non tamen in lit-
teris Papæ Testes subscribere est necesse. Glossa verò ibidem monet
contra eas non admitti probationem, nisi essent falsæ; at citatæ Cle-
mentis, *Gregorij*, *Pauli*, &c. falsæ dici nequeunt: Ergò contra eas
admitti non debet probatio, nec præter eas Testes requirendi
sunt. His non obstantibus, si adversarius urgeat, alioqui Testes de-
deret, etsi majoris authoritatis præfatis Pontificibus non reperia-
mus, ad inferiores descendendum erit, quos ingenti numero produ-
cere non renuimus.

In litteris Papæ testes subscribere necessariũ minimè est: & contra eas non admittitur probatio.

131. Agmen ducent trium maximè illustrium hac nostrâ ætate
Universitatum Theologicæ Facultatis Doctores, qui requisiti, post
accuratissimum causæ examen, in favorem Sabbatinæ tulêre senten-
cui triplici ex capite fides & authoritas accrescit. *Primò*, quod eam
non sit privati Doctoris (quem forsan corruptum æmulus suspica-
tur) sed plurium ore proprio prolata, manuq; subscripta, non ali-
rum libros probando, verùm quid ipsi de Sabbatino sentirent Privile-
gio, manifestando. *Secundò*, inter Doctores causam hanc discutien-
tes, sententiamq; in eius favorem pronunciantes, nemo omninò de
Ordin. Carmelit. verùm universi diversorum Regularium, atq; Ec-
clesiasticorum, &c. *Tertiò*, acta sunt hæc, cùm adversus Sabbatinum
Privilegium acriùs insurgerent, oppugnarentq; vehementiùs adver-
sarij: ex quo conijcere est multò majorem exactioremq; solito in-
disquirenda, ac discutienda causa hac adhibitam fuisse diligentiam
cautionemque.

Trium celeberrimarum Univers. suffragio ac sententiâ asseritur Sabb. Privileg.

Harum sententiæ triplici ex capite authoritas accrescit.

Ferti Linquario *Clemens VII.* anno 1530. compescuerat adver-
santes huic Privilegio, verùm sub annum 1566. novi exorti sunt mo-
tus Salmanticæ in Hispania, & non parum efferbuêre ad extinguen-
dum

dum Marianum Privilegium. Recurritur ad Academiam & Facultatis Theologicæ Salmanticæ Doctores, ceu ad oraculum, qui discussis diligentiùs Sabbatinæ fundamentis, suo illam calculo comprobârunt. Causam & originem horum motuum, & singulorum Doctorum circa illud sententias integrè & verbatim refert Vener. P. Thomas à JESU, *Lib. 2. de Confrat. cap. 3.* & Didacus de Coria in *Dilucidario Histor. Ord. Carm. lib. 11. cap. 3.* Doctores præcipui, quibus commissum fuit hoc examen, hi fuêre: M. Mantius Dominicanus, Franciscus Sanchez Canonicus Salmanticensis, M. Rodriquez Cathedraticus Theolog. moralis, & M. Bartholomæus de Medina Dominicanus; omnes primarij illius celeberrimæ Universitatis Doctores. Primus protulit suam sententiam, sub hac verborum forma: *Ego Doctor Mantius, primarius Theologiæ Cathedraticus in Vniversitate Salmanticensi, censeo Confratres Ord. B. MARIÆ Virg. de monte CARMELO, posse frui Indulgentijs concessis à IOANNE XXII. ALEXANDRO V. & CLEMENTE VII. quoniam nec Concilium Tridentinum, nec motus proprius PII V. obstat, quominus possint dicti Confratres ijs frui.*

Salmanticensium Theolog. de Sabbat. Privileg. sententiæ.

Doct. Mantij Dominicani.

Subsignatum erat.

F. Mantius.

Alter ejusdem Religionis Magister, Bartholomæus de Medina, suo nomine orbi notus, sic inquit: *Visâ, & studiosè perpensâ Bullâ, per quam à IOANNE XXII. alijsq; summis Pontificibus, multæ ac magnæ Indulgentiæ conceduntur Religiosis Ord. B. MARIÆ Virg. de monte CARMELO, censeo, quod juxta Bullæ tenorem illis frui valeant: tum quia Bullæ sunt authenticæ, tum quia sacrosanctum Tridentinum Concilium similium Indulgentiarum usum minimè prohibet.*

M. Bartholomæi de Medina.

Subscriptum erat

F. Bartholomæus de Medina.

Non dissimili formâ utitur M. Rodriquez, inquiens: *Attentâ mente ponderatis ijs, quæ ad Privilegia & Indulgentias Ord. B. MARIÆ Virg. de monte CARMELO per summos Pontifices concessas, spectant, cùm semper in usu fuerint, & publicè in Ecclesia promulgatæ; nec hactenus Pontifex, aut Concilium aliquod ijs derogarit, censeo illis Confratres ejusdem Ordin. liberè uti posse, & adhuc manere in suo vigore ac valore. Idem sentio de Bulla Sabbatina, quæ cùm sit per totam DEI Ecclesiam, ab ejus Capite promulgata, profectò magnifacienda est, & majori quàm solo pietatis titulo observanda, ita sentio salvo meliori judicio, ac testor*

Doct. Rodriquez.

Ego Doctor Rodriquez.

Adstipulatur dictis præfatus Franciscus Sanchez, & Franciscus de Zuniga provisor Episcopatûs Salmanticensis, at quia testimonia illorum longiuscula sunt, ea hîc exscribere intermitto. Hoc unum tamen hîc addendum venit, quod in calce *Capit. supracit.* refertur de P. Emmanuele Roderico, viro ob sua de *Quæst. Regular. opera* orbi toti celeberrimo. Huic cùm præfatus P. Thomas à Jesu exhibuisset Apostolica Diplomata Privilegium Sabbatinum continentia, subjectum ab eo responsum retulit: *Ego non capio, quomodo quis de hoc Privilegio ambigere posset, nisi ille, qui has non viderit Bullas. quia mihi videtur nihil posse esse certius Divinâ revelatione, tot summorum Pontificum authoritate comprobata ac confirmatâ.*

P. Emmanuelis Rodriquez dictum observatione dignum.

Sabbatino quoque Privilegio unanimi consensu suffragata fuit Bononiensis in Italia Universitas. Cùm enim per R. P. Magist. Virginium Bentivolium S. T. D. hac super re anno 1609. consulta fuisset, per R. P. Magistrum Paulum Fraxinellum S. T. D. de Collegio Augustinianum, sic respondit: *Ego F. Paulus Fraxinellus, Augustinianus, S. T. Magister, & D. Collegiatus, ac in patrio gymnasio S. T. public. Lector, post maturam discussionem nostræ Vniversitatis, responsum est sub tali forma. Cum Bulla IOANNIS XXII. plures, illasq; Canonicas præseferat summorum Pontificum confirmatorias Constitutiones, nec ullo unquam tempore revocata fuerit, illam adhuc in suo robore manere.*

Bononiensis Universi. sententia.

Subscripsêre.

M. Adrianus Farina, Ord. Servorum, Decanus pro tempe.
Hannibal Malvetius, Canonicus Metropolit. Ecclesiæ.
M. Dominicus Istrianus, Ord. Prædicat.
M. Ambrosius Morandus, Canonic. Regul. S. Salvatoris.
M. Ioannes Baptista ab Horto, Canonic. Collegiat. S. Petronii, ac publ. Lector.
M. Bonifacius de Scyllis, tertij Ord. S. Francisci.
Et alij Magist. per ordinem, anno 1609.

Hæc refert P. Thomas Saracenus, S. T. D. Collegiatus Facult. Theolog. Universit. Bononiensis, ac S. Inquisitionis ibidem Consultor in suo Opere, inscripto *Historia sacra de origine & progressu Confrat. B. MARIÆ Virg. de monte CARMELO, part.* 2.

Ad Salmanticense in Hispania, Bononiense in Italia, accessit Gallorum Sorbonicum suffragium. Nam cùm in Rothomagensi Diœcesi

Diœcesi pluribus displiceret Carmelo-Parthenij SCAPULARIS Confraternitas; hinc inde facta est contentio quibusdam impugnantibus, alijs vindicantibus DEIPARÆ donum ac beneficium. Hæc inter Illustrissimus Antistes Rothomagensis, suarum esse partium ratus dissidentes componere, ac disputationi lucem finemq; adferre: quo efficaciùs id præstaret, quid sentirent ea de re Sorbonici Doctores, voluit explorare. Antistitis voto satisfaciunt Sorbonici: examen quæstionis octo selecti è celeberrimis suscipiunt, qui visis Bullis, omnibusq; pensatis, die 19. August. anno 1648. licitam Confraternitatis erectionem, & erectæ pridem confirmationem declararunt, Privilegium verò Sabbatinum juxta tenorem decreti *Pauli V.* publicandum, asserendumq; censuerunt. Ita P. Irenæus, apud quem etiam in *Monumentis lib. citat pagina* 52. Idiomate Gallico reperies præfatorum Sorbonicorum DD. decretum. Videatur etiam R. P. Ludovicus à S. Teresia *lib.* 2. Annal. Carm. Discalceat. Regni Franciæ *Cap.* 77.

Universitatis Parisiens. Sorbon. de Sabb. Privil. judicium.

Sorbonicæ Parisiensi adjungere possumus Universitatis Borbonizæ Aquensis, etiam in Gallijs, judicium ac suffragium: cujus Doctores Theologi post accuratum examen singulari decreto commendando ac comprobando librum R. P. Philiberti Fezayi, ejusdem Universitatis Facultat. Theolog. Decani ac Professoris Regij, in quo traditum cælitùs *S. Simoni Stock* Marianum SCAPULARE, Privilegiumq; Bullæ Sabbatinæ contra Launoyum propugnat, simul idem Privilegium comprobarunt ac confirmarunt. Cujus decreti, hoc est initium: *Nos subsignati Doctores aggregati in sacra Theologiæ Facultate Vniversitatis Borboniæ Aquensis testamur* &c. Finis: *in quorum fidem manu nostra propria subsignavimus, Aquis-Sextijs, die* 14. *Aprilis an.* 1648.

F. Jacobus Chieusse, Prior Convent. S. Augustini.
F. Claudius Cortetz Ord. Prædicatorum.
F. Joannes Dublè Exguardian. Ord. FF. Minor. Facultat. Theolog. Syndicus.
Claudius Nesmeus Canonic. Theolog. Ecclesiæ Metropol. S. Salvatoris Aquensis.
F. Joannes Baptista Alard Exprovinc. Ord. S. Augustini.
F. Gabriel Provensal Provincialis Ord. Servorum B. M. V. in Provincia Provinciæ.

Ioannes Baptista Michaelis, Canon. Eccles. Metropolitanæ S. Salvatoris Aquensis.

Caspar Goeffroÿ Gansard Canon. Eccles. Metropolitanæ S. Salvatoris Aquensis.

Decretum hoc integrum reperiet Lector in principio præfati Operis P. Fezayi, cum alio Stephani Chabert J. U. D. almæq; Universitatis Aquensis Rectoris &c.

132. Præmissis publicis Doctorum suffragijs, privata nunc nonnullorum per ætates sibi succedentium subjungenda sunt, priusquam verò singulos recenseamus, animadvertendum est Lectori, initio ferè cujuslibet sæculi, à decimo quartò inchoando, solitum fuisse Deum summum aliquem excitare Pontificem ad Carmelo-Parthenij SCAPULARIS beneficium ac privilegium commendandum, comprobandum atq; confirmandum. In decimo quarto *Ioannem XXII.* in decimo quintò *Alexandrum V.* in decimo sexto *Clementem VII.* in decimo septimo *Paulum V.* redeamus nunc ad sæculum decimum quartum.

Hoc primùm sæculo *Ioanni XXII.* cælitùs per DEIPARAM revelatum fuit Sabbatinum Privilegium, quod ipse quoq; primus omnium evulgavit, atq; Apostolica authoritate corroboravit Anno 1317. vel 1322. ut alij volunt.

Vide de his P. Cheron. in *Vindicijs Scapular.* Et P. Lezanam in *Patron. Marian. cap. 5. num. 24.*

Ioannes de Bacchone Anglus, cognomento *Doctor Resolutus*, qui floruit anno 1346. meminit ejusdem in *Tract. de Ordin. Carmel.*

Guilielmus de Sanviliaco, Gallus, qui devixit an. 1350. lib. *de Patronatu Virginis.*

Ioannes Hornebius, Anglus, an. 1374. lib. *de misericordia Virginis.*

Guilielmus Reufu, sive Rebuffus, Anglus, an. 1386. lib. *de miraculis B. MARIÆ V.*

Thomas Lombe, Anglus, an. 1387. lib. inscripto *Magna MARIÆ &c.*

SÆCULO XV. *Alexander V.* anno 1409. in Diplomate incipiente *Tenore cujusdam.* Confecta sunt etiam hoc sæculo plura, præsertim tria illa, quorum suprà meminimus authentica instrumenta ejusdam Bullæ: *Majoricense* an. 1421. *Agrigentinum* ann. 1430. *Messanense* anno 1443.

Baldvinus Leersius, anno 1460. in *collectaneo exemplorum. Cap. 6.* relatus à P. Daniele in *Vinea Carmeli num. 812.*

Gualte-

Gualterus Hunte, Anglus, an. 1478. in *Chronicis lib. 6.*

Ioannes de Malinis an. 1488. *lib. de decore Carmeli.*

Thomas Scropus, Episcopus Dromorensis, Anglus, an. 1490. lib. *de antiquit. & dignitate Ordin. Carmelit.*

Ioannes Paleonydorus, Batavus, an. 1492, *lib. 3. de antiquitat. & Sanctim. Ordinis Carmelit. Cap. 11.*

Arnoldus Bostius, Belga, an. 1494. in *speculo historiali lib. 7.* Laudatus à P. Daniele loco citato.

SÆCULO XVI. complures, ut supra vidimus, Sabbatinum comprobarunt, confirmaruntq; Privilegium Pontifices, *Clemens VII.* an. 1528. & 1530. duplici Diplomate. *Paulus III. & IV. Pius V.* anno 1566. & *Gregorius XIII.* anno 1522. *suprà Cap. 4. & 7.* producti. Expedita sunt etiam diversa hac ætate authentica ejus instrumenta, & apographa, inter quæ Drepanense, & Rhodonense recensentur, vide *suprà Cap. 6.*

Referunt nonnulli ad ann. 48. hujus Sæculi *Ioannem Ballæum*, Anglum, Episcopum quondam Ossoriensem in Hiberma, at posteà Lutheri asseclam, qui in *Cathalogo Scriptorum Britanniæ centuria 4. in Append. ad Robertum Bastion*, Bullæ & Privilegio Sabbatino testimonium perhibet: *Carmelitas assumpsit* (loquitur de JOANNE XXII.) *in jus & proprietatem S. Petri, ab omni Ordinariorum Dominio, ut soli Sanctissimo subjiciantur, tanquam filij dilectissimi, pluresq; eorum Episcopos fecit*, &c. *nam mirabilem ante Papatum (authore diabolo) visionem habuit, ut in Bulla testatur: quod MARIA Virgo in magna Cardinalium contentione ab adversarijs illum liberaret, ac Papam faceret; hac tamen servatá pactione, ut hos suos Fratres à Purgatorio servaret immunes.* Quibus verbis licet Bullæ sensum detorqueat à proprio, & diabolo authore illam accidisse visionem blasphemus mentiatur, de Sabbatina tamen sibi sermonem esse aperte significat. Autographum ipsum vel Apographum se quoque vidisse confitetur *centur. 5. in Append ad Nicolaum Trimeth*, his verbis: *Istam apparitionem cum inauditis Indulgentijs, & animarum à Purgatorio liberationibus*, &c. *in quadam Bulla legi, tam in Anglia, quàm in Hannonia, quæ etiam Romæ anno 1530. sub Clemente VII. renovata fuit*, &c. Suspectus non est habendus Baleus, quasi Carmelitarum fautor, quibus nihil unquam condonatum voluit. Hæreticum audire si quis renuat, per me licet, nec enim istiusmodi hominis, tot inter, tantosq; catholicos testes, egemus

mus suffragio: illum tamen adduximus, quia asserente Chrysostomo, *veritatis maximum argumentum est, cùm quis inimicos ad testimonium adhibet.*

Petrus Royuela, Hispanus, an. 1584. lib. *de antiquit. gratijs & indulgentijs* &c.

Chrystophorus Sylvestranus, Italus, an. 1585. lib. *suprà* 1. *parte Capit.* 7. *citato.*

Didacus Martinez de Coria, Hispanus, an. 1590. in suo *Dilucidario Historico Ord. Carmel. lib.* 11.

Petrus Lucius, Belga, an. 1593. in *Compendio historiali cap.* 13.

Thomas à IESV, Hispanus, an. 1599. lib. 2. *de Confratern. B. M. V. de monte Carmelo.*

SÆCULI XVII. in quo nos degimus, Authores cum plurimi sint, ordine alphabetico subindicare solum sufficiat.

Alphonsus Gomezius de Roya, Hispalit. Canonicus laudatus à Petro Irenæo *lib. cit. sect.* 2 *cap.* 3. §. 3.

Alphonsus à Matre DEI, citatus à P. Antonio à Spiritu S. loco mox referendo.

Alphonsus Navarrus, Hispan. citatus ab Auberto Miræo lib. *de origine & incrementis Ord. Carmelit. Cap.* 2. juxta edition. Coloniens. an. 1643. lib. *de privileg. Bullæ Sabbat.*

Andreas Duvallius, Doctor Parisiensis laudatus à P. Irenæo, *loco cit.*

Angelus le Blanch, Sabaudus citatus ab Auberto Miræo, *ubi sup.*

Antonius Olivan, Hispan. *de Privilegio Sabbatino* relatus ab eodem Miræo, *loco suprà citato.*

Antonius Sanderus, in *Brabantia illustrata in Chorographia Carmeli Brvxellens. capite* 5.

Antonius à Spiritu sancto, Lusitanus, in *Directorio Regular.* 1. *par. Tract.* 2. *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 64. juxta edition. Coloniens.

Augustinus à Virgine MARIA, lib. *de privileg. omnium Relig. verè indulgentiæ concesse extraneis intuitu Carmelitarum.*

Benedictus Gononus Ord. Cœlestini in *Chronico DEIPARÆ ad annum* 1321.

Berthelot, Abbatiæ S. Petri Senonensis magnus Vicarius, *libro edito Brvxellis anno* 1652.

Blasius Heytius, lib. *de stabilimento, antiq. Carmel. cap.* 6. apud Luc. Chrysogonum infrà referendum.

Claudius

Claudius Aquaviva, Societ. JESU Præpositus Generalis, non infimum inter assertores Bullæ Privilegijq; Sabbatini locum promeretur: esto enim nihil de eo scripserit, non minimùm tamen eidem sub *Paulo V.* uti infrà Cap. 14. dicemus, patrocinatus est: imò eodem tempore, attestantibus in libris infrà referendis Joanne Pinto, & Petro Thoma Saraceno à Reverendiss. P. Generali Carmelitarum facultatem Carmelo-Parthenium Scapulare suæ Societatis id petentibus Religiosis, conferendi petijt.

Congregatio sanctæ & generalis Inquisitionis Romanæ anno 1613. Decretum promulgavit pro Sabbatino Privilegio: & sacra Rituum Congregatio, ut suprà vidimus, pluries in approbatione Officij Commemorat. solemnis B. MARIÆ Virg. hoc Privilegium comprobavit.

Cyprianus à S. MARIA, Belga, in *Thesauro Carmelit. 1. parte. cap. 17. & seqq.*

Daniel à Virg. MARIA, in *Vinea Carmeli*, multis in locis, maximè *part. 5. cap. 5. & seqq.*

Elias à S. Teresia, Belga, in *Legatione Ecclesiæ Triumphantis ad militantem, lib. 2. cap. 9.*

Emmanuel à IESV-MARIA, Ecclesiastes Cæsareus, in Opere inscripto, *Fructus Carmeli, Tom. 1. discurs. 17.*

Emmanuel Rodriquez, Ordin. Minor. S. Franc. *Tom. 2. qq. Regul. quæst. 96. art. 7.*

Emmanuel Vallis Mouræ, Lusitanus, *Opusc. de incantation. sect. 1. cap. 1. num. 41.* ex quo Antonius de Casanate hæc refert: *Idem fuerit DEIPARAM promisisse absolutè se eos* (Confratres) *infallibiliter liberaturam ab ijs pœnis, ac promisisse, se illis infallibiliter auxilium per suam intercessionem præbituram; siquidem infallibile est eam in omni sua ad Filium deprecatione, exaudiendam esse pro sua reverentia & propriis meritis illi in eundem finem oblatis: quia alioquin frustra limitasset Sabbati tempus, si in eo se pro suis Fidelibus devotis suffragium laturam pollicita tantùm esset; hoc enim non in Sabbato tantùm, sed quovis alio tempore confert, &c.* *In Paradis. Carm. præambul. 34.*

Florentius Schilling, Germanus, Cleric. Regular. S. Pauli, in suo *Mariali, serm. de Scapulari Carmelo-Parthenio.*

Franciscus Berthet, Gallus, Doctor Sorbonicus, relatus à Miræo *loco citato.*

Franciscus Bonæ Spei, Belga, *Tom. 5. suæ Theolog. tract. 2. de Relig. disp. 2. num. 19. & seq.*

Franciscus à IESV-MARIA, Hispan. in *Commentar. cap. 12. Apocalypseos, sect. 3.*

Gabriel Prateolus, *Tom. 2. hist. de statu Eccles. ad annum 1324.* citat. ab Antonio à Spiritu sancto *loco suprà relat.*

Georgius Colvenerius in *Kalendar. B. V. ad diem 3. Martij.*

Gerardus Sayus, Tholosanus, citat. à Miræo *ubi suprà.*

Gregorius Nazianzenus à S. Basilio, lib. *de adeptione Parrhenia 2. par. cap. 17 & seqq. & 37. & seqq. & in Instructione familiari Confrat. cap. 10. & seqq.*

Gregorius Satarrus, Augustinianus, Valentinæ in Hispania Univers. S.T. Doctor & Professor, apud Joannem Pintum, in *Hierarchia Carmelitana tract. 5. cap. 3.* Hic cùm aliquando Theses de Privilegio Bullæ Sabbatinæ publico certamini expositas, acutissimo oppugnasset argumento; illo absoluto ad Auditores conversus, sic eos affatur: *Nolim quæso, vestrùm sibi persuadeat, aut suspicetur, me hanc thesem oppugnasse, quia de ejus sim dubius veritate; minimè gentium. talis porrò est fides, quâ hoc modo Privilegium, ut ipsemet Marianum geram Scapulare:* quod mox omnibus palàm monstravit.

Guilielmus Champeherieux, Gallus, *lib. de Confraternitat.*

Henricus Honghen, Ord. Minorum, lib. *de vera Fraternitate Part. 2. Exhort. 5.* quàm terminando, inquit: *Quis de re testificata & confirmata tot summorum Pontificum assertionibus, ausit ullatenus dubitare?*

Hermannus Wesselingius, Germanus, J. U. D. in suo *Nonogesimo Juris Universi*, titulo, *Bulla Sabbatina.*

Hieronymus de Ormachea, Hispan. *Tom. 1. Comment. in Cant. cap. 1. ver. 2.* Ex quo nostri Salmanticens. *Tom. 4. in 1. 2. Tract. 13. disp. 15. num. 7.* Quem sapientissimum Doctorem nuncupant, hæc exscribunt: *Voluit Virgo sanctissima hunc peculiarissimum favorem, scilicet celeberrimum illud privilegium Bullæ Sabbatinæ concedere intuitu Religionis illius, originem decentis ab illo Propheta, qui in vertice CARMELI montis, septima vice, SABBATI repræsentativa, ipsius memoriam & Festum immaculatæ Conceptionis in nubecula maris adoravit*, &c.

Hippolytus Narravius, Lucensis, totus quantus Author Marianus, in *Pontificibus Marianis in IOANNE XXII.*

Ioan-

Ioannes Baptista de Lezana, Hispan. in *Maria Patrona cap. 5. num. 24. & seq.* & in Annal. Ord. Carmelit. *Tom. 4. ad annum* 1322. & *Tomo 2. qq. Regul. cap.* 15.

Ioannes Baptista Novatus, Mediolan. Ord. Cler. Regul. Ministrantium infirm. *Tom.* 2. de Eminentia DEIP. V. &c. *Cap.* 12. in praxi colendi B. V. obsequio quinto.

Ioannes de Carthagena, Ord. Minorum, *Tom. 4. lib.* 17 *hom.* 2. & *Tract.* 1. *de sacra antiquit. Ord. Carmelit. cap.* 4. & *Tract.* 2. *cap.* 14. Quod Caput hisce verbis concludit: *Tandem Academica Salmanticensis, exploratis Apostolicis Bullis declaravit, validam esse Sabbatinam Indulgentiam, & in robore suo semper permanere, nisi per summum Pontificem, aut Concilium aliquod ei derogetur nosq; testamur insigniorum Doctorum illius Academiæ subscriptiones illam approbantes vidisse & legisse. Quare cum non solùm authoritate tantorum Doctorum, sed expressis summorum Pontificum oraculis, Indulgentia hæc Sabbatina sit corroborata & stabilita, non video qua ratione quispiam absq; ingenti temeritate illam inficiari queat.* Ita ille.

Ioannes à IESV MARIA, Calaguritanus, infrà referendus.

Alium *Ioannem à IESV MARIA*, Lusitanum adducit P. Irenæus, *loco suprà citato.*

Ioannes Pelysse, Gallus, apud Miræum *loco suprà citato.*

Ioannes Pintus de Victoria, Hispan. in *Hierarchia Carmelitana Tract. 5. cap.* 3. & Serm. *de S. Simone Stock.*

Ioannes à S. Thoma, Lusitanus, laudatus à P. Michaële Munnoz, in *propug ELIÆ, lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *art.* 3.

Ioannes Sylviera, Lusitanus, *Tom.* 3. *Commentar. in Evan. lib.* 5. *quæstione* 0.

Irenæus à S. Iacobo, Tract. Theolog. de singul. V. *protect. sec.* 2.

Iustinus Miechovienſis, Polonus, Ord. Prædicat. *Tom.* 2. in Litanias Lauretan. *discurs.* 226. *num.* 18. *& disc.* 236.

Laurentius Chrysogonus, Dalmata, Societ. JESU, in *Mundo Mariano* 1. *part. discurs.* 17. *num.* 76. *& seqq.* In *Indice* quoq; verb. *Scapulare* hæc habet; *Scapulare gestantes prima die Sabbati ab eorum morte, è purgatorio liberantur.*

Leo à S. Ioanne, Ecclesiastes Regis Galliæ, *in Typo vestis Relig. sect.* 9. & in *fœdere spirituali cap.* 3. *& seqq.*

Ludovicus à S. Theresia, in Opere, cui titulus, *La succession du S.*

Prophete ELIA en Bordie des Cames, & en la reforme de S. Tereſe cap. 233. & ſeqq.

Lydius Veteraquinus, Hæreticus, apud P. Lezanam, in *Maria Petrona cap. 5. num. 24.*

Matthias à S. Ioanne, lib. Gallicè inſcripto, *La veritable devotion du ſacre Scapulaire.*

Marcus Guadalaxara, ſive *Xaverius*, in *Theſauro ſpirituali Religion. Carmelit.*

Mathurinus Pigneroneus, apud P. Irenæum, *loco ſupracitato.*

Michael Baptiſta de la Nuza, Hiſpan. Regis Catholici Conſiliarius & Protonotarius regni Aragoniæ in *vita Ven. M. Franciſcæ à SS. Sacramento Carmelit.* excuſa Ceſarauguſtæ ann. 1659. pluries meminit Privilegij Sabbatini, & illud verum validumq; eſſe ipſæ animæ piaculatis flammis addictæ confeſſæ ſunt. Refert *lib. 2. cap. 4.* quandam ex his, quæ jam annis aliquot in illo igne hæſerat ipſi Vener. M. Franciſcæ ſe conſpiciendam præbuiſſe, ſuarumq; pœnarum cauſam manifeſtaſſe, quam cum illa interrogaret; quomodo in tanto tibi tempore Sabbatinum non profuit privilegium? cui anima reſpondit: *illas, quæ munera ſeu conditiones, pro conſecutione hujus privilegij præſcriptas obſervant, liberat SS. Virgo*: ac deindè ſubjunxit, ſæpè paucos liberari, quia pauci fideles ſunt ac diligentes in illis præſtandis. Et *lib. 3. ejuſdem hiſtoriæ cap. 8.* recenſet quomodo anno 1627. die 16. Julij, & iterum eodem anno 23. Decemb. DEIPARA Virgo præfatæ Matri apparuerit, & idem denuò divinitùs revelare dignata fuerit.

Micbaël à Fonte, Hiſpanus, lib. *de Bullâ Sabbatina*, laudatus à Miræo, *loco citato.*

Michaël Munnoz, Hiſpanus, in *Propugnaculo Eliæ* Romæ edito ann. 1636. *lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 3.* quem his ferè verbis abſolvit; *cum in hac Bulla Sabbatina (quam recepta cunctarum pœnè gentium in Eccleſia traditio &c.) dubitandum non ſit, ejus ſanè oraculum, nullus dicet, quod reſpiendum non ſit.*

Olivarius Cabanes, lib. Gallicè inſcripto, *Leſgages amoureuz de noſtre Dame du mont Carmel.*

Onuphrius Meneſcal. Tom. 1. Concion. *ſerm. de B. MARIA de monte Carmelo.*

Petrus Collongues, Gallus, Tholoſanæ Univerſ. Doctor, ac Profeſſor

fessor Ordinarius in *Thesauro spirituali sacri habitus B. M. V. de monte Carmelo*, apud Miræum *lib. suprà citato.*

Petrus Seinerus, Germanus, Carthusianus, in sua *MARIA Carmelitana.*

Petrus Thomas Saracenus, Italus, Bononiensis Univers. Doctor, ac sacræ Inquisit. Consultor, in Opere Italicè inscripto, *Informationi spirituali, per i devoti della SS. Verg. del Carmine. part. 3. & 7.*

Philibertus Fezayus, S.T.D. ejusdemq; Facultatis Decanus in Univers. Borbonia Aquensi, in *duplici Privilegio sacri Scapularis Ord. B. M. V. de monte Carmelo.*

Philippus à SS. Trinitate, in *Compend. historiæ Ord. Carmelit. lib. 5. cap.* 14. & in *Theologia Carmelitana quæst. 19. art. 4.* & *Tom. 3. Curs. Theologic. Tract. 3. disp. 7. dub. 6.* (43.

Philippus Maria à S. Paulo, Italus, in Opere cit. suprà *I. P. Cap. VII.*

Philocatus Caputus, Italus, in *Opere I. Part. cap. 7. laudato.*

Placidus Samperus, Societ. JESU, in *Peonologia Virgin. lib. 4. cap. 32.* apud P. Lezanam in *Maria Patrona, cap. 5. num. 27.*

Procopius Brandenburgensis, Germanus, Ord. Minor. Capucinorum, in suo *Mariali-Dominicali serm. 47.* inter cætera, quæ præclarè de hoc Privilegio disserit, probat temeritatem esse illud nolle credere aut negare.

Robertus Cardinalis Bellarminus hîc quoque adduci potest, cùm sub *Paulo V.* anno 1609. non solùm nomine sac. Rituum Congreg. lectiones secundi Nocturni, Festi Commemor. solemnis B. MARIÆ Virg. de monte CARMELO, continentes, Sabbatinum Privilegium examinaverit, probaverit, eisq; subscripserit; verùm etiam anno 1611. & seq. in excitata contra illud ab Inquisitore Lusitano Ulysipone, procellosâ tempestate, motibusq; Romam delatis, ubi totis viribus, à partiarijs Inquisitoris tentata est Privilegij hujus annihilatio, *Bellarmini* mediante authoritate, doctrinâ, ac pietate, à sac. & generali Romana Inquisitione, supremoq; Pontifice PAULO V. per suum Decretum, ventis & mari imperantibus, facta est tranquillitas magna, ac Privilegium hoc inconcusso atque inviolabili firmitatis robore communitum est, sed de hoc plura dicenda veniunt *infrà Capit. XIV.*

Rutilius Benzonius, Epis. Lauretan. c. 30. in Psalm. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

Seraphinus Giorgius, Italus, lib. Italicè inscripto, *Informatione del principio, fundatione Privilegij & Indulgenze*, &c. *cap.* 4.

Simon à Spiritu S., Neopolitanus, lib. suprà 1. *par. cap.* 7.

Stephanus à S. Paulo, Belga, *Tract.* 5. *Theolog. Moral. disp.* 5. *dub.* 12. *num.* 279.

Terestanus ab Essenis, in *Breviario Privilegior. gratiar & indulgent. antiquiss ac celeberr. Archiconfrat. sacr. Scapularis B. MARIÆ V. de monte Carmelo.*

Theodorus Stratius, Ord. Carmel. Generalis in *instructione pro Carmel. &c. Cap.* 11.

Theophilus Raynaudus, Societ. JESU, in *Scapulari Mariano illustrato & defenso &c.* 1. *p. cap* 5. *&* 2. *p. q* 5.

Thomas Aquinas à S. Ioseph, in *duplici dissertatione pro Sodalitio sac. Scapularis &c. dissertatione altera*, qua Privilegium Sabbatinum asserit & propugnat.

Tuscanus Taucherus, S. T. D. in Opere inscripto *Fons Elie*, 4. *par. cap.* 1. *& seqq.*

Anonymum quendam Regium Oratorem Pictavienſis Senatus refert ad hanc Authorum classem P. Irenæus *loc. cit.* librumq; de Sodalitio Carmelo-parthenij SCAPULARIS ex voto Gallicè scriptum affirmat.

Retaceo complures supra 1. *part. cap.* 7. laudatos alios permultos tam exteros, quam domesticos, eo quod omnes hic producere non liceat: & jam adducti sufficere omninò videantur. Si enim in *ore duorum aut trium Testium*, juxta æternæ veritatis sententiam, *stat omne verbum*, quid censendum erit de re, cui tot summi Pontifices, Eminentissimi, Illustrissimi, Sapientissimi, &c. Cardinales, Antistites, Doctores, cæteriq; celeberrimi eruditione ac pietate Viri tanto numero attestantur?

CAPUT

CAPUT X.

Sabbatini Privilegij veritas & firmitas alijs ſuadetur argumentis.

CUM Judæi zelo legis acti, ſed non ſecundùm ſcientiam, arbitrarentur ſe obſequium præſtare DEO, ſi Apoſtolos interimerent, & cum illis exurgentem tum primùm Chriſtianam Religionem extinguerent, Gamaliel Legis Doctor in Concilio ſic eos affatus eſt. *Viri Iſraelitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis* &c. *ſinite illos. Quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus diſſolvetur: Si verò ex DEO eſt, non poteritis diſſolvere illud; ne fortè & DEO repugnare inveniamini.* Poſſet hujus dicti veritas benè longâ inductione in ſectis, legibus, imperijs, hæreſibus, varia idololatria &c. confirmari, quo pacto, quia DEO minimè nitebantur, diſſoluta ſint, ut fumus, vapor, torrens, cometa, & ſimilia. *Sacrilegi ſervent*, inquit Cyprianus, *inter initia, incrementa habere non poſſunt, nec augere, quod illicitè cæperint, ſed ſtatim cum prava ſua æmulatione deficiunt.* Undè recté SS. Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus tales comparant cum torrentibus velociter & præcipitanter decurrentibus, tranſeuntibus, deficientibus; juxta illud, *Gurges aquarũ tranſijt*: & *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Oppoſitum omninò cernere licet in ijs omnibus, quæ à DEO Auctore procedunt, quod evincunt ac demonſtrant Chriſtianæ Religionis (ut ſexcenta alia præteream exempla) exordia, progreſſus, continua ad hæc uſq; tempora incrementa: quo enim atrociùs undiq; ſemper oppugnata fuit, eo perpetuò firmior ac validior ubiq; perſtitit. Quod Divini operis ac conſilij indicium eſt certiſſimum.

133.

Act. 5. c. Conſilia & opera DEI diſſolvi nequeunt, humana verò diſſolvuntur ac deficiunt.

Ad Antonianum.

Ad Nicopol. In c. 3. Habac. in Pſal. 57. Habac. 3. 1. Pſ. 57.

Patet hoc in Chriſtiana Religione.

Hoc quoq; argumento cæleſte eſſe ac Divinum Carmelo-parthenij SCAPULARIS Sodalitiũ Privilegiumq; certiſſimâ concluſione elicio. Quo namq; vehementiùs viſus eſt opprimi cultus ille beatiſſimæ Virginis, eo profundiores ſemper egit radices, amplioresq; extendit ac produxit ramos. Impugnatum fuiſſe jam ab anno 1528. Sabbatinum privilegium conſtatq; duplici Diplomate ipſum aſſeruit & communivit *Clemens VII.* cujus veſtigijs inhæſêre *Paulus III. Pius V. Gregorius XIII.* & alij. Eodem ſæculo circa annum 1568. Hiſpali & Salman-

Et in Carmelo-parthenio Sodalitio ac Privilegio.

Salmanticæ non pauci, nec infimi è clero adversus idem privilegium surrexêre? Salmanticensis Universitas per quatuor primarios S. T. Doctores præstò fuit, ut tueretur; quorum decreto impugnata per Hispaniam refloruit Sabbatinæ pietas. Nostra ætate circa annum 1612. Ulyssiponensis & Avenionensis Inquisitores novos Sabbatinæ Bullæ adversarios in Romana Curia excitarunt? Sacrosanctæ & supremæ Romanæ Inquisitionis Congregatio anno 1613. imperante PAULO V. pro illa pronunciavit: & idem beatissimus Pater jam pridem Sabbatinum privilegium divinis inseruerat Officijs. Novissimè sub annum 1648. perindè ac si Pontifices hactenus hac de re siluissent, vel eorum decreta nihil essent facienda contentiosissimè laboratum est Rothomagi, ut hoc Privilegium extingueretur, & octo Sorbonicorum Doctorum obtinuit præsidium. Uno verbo, impugnatum nusquam legitur ab hominibus, quin ab alijs ejusdem authoritatis, imò multò majoris fuerit semper propugnatum. Nec tum Virginis sanctissimæ præsidium defecit: ejus quippè ope creberrimis celeberrimis miraculis, internisq; motibus, Fideles Christi ergà cultum Mariæ Habitus facti sunt serventiores. Ex quo factum, ut hinc innumeris iste hac parthenia, quantumvis ab æmulis lacerata, ambirent indies indè plerisq; in locis de novo Carmelo-Mariana erigeretur Confraternitas; adeò ut quo ampliùs, acriùsq; impeteretur, eò magis & gloriosiùs firmaretur ac dilataretur.

Nunquam ac nusquã Marianum Scapulare privilegiumq; impugnatum fuit, quin etiam mirabiliter divinitùs ac humanitùs propugnaretur. *Lib. citat. sect. 2. cap. 4. §. 2.*

Hoc argumentum attentiùs sic ponderat P. Irenæus. [*Adversarij*, (inquit) Doctorum examini Sabbatinam subijciunt? Doctores legitimam declarant. Ad summum Pontificem & Cardinales recurrunt? suis Constitutionibus eam confirmant Pontifices & Cardinales. Ab humanis appellant ad superos? æquam justamq; priorum sententiam miraculis testatam volunt Superi. Quid plura? A Superis, opinor, obstinati potiùs provocarent, quam cælesti donò sententiæ vellent subscriptum.

Ex quo inferendum sit Sabbat. privileg. divinum esse opus non homi-

Ex his cur non inferam Sabbatinum privilegium divinum esse opus, non hominum commentum: donum Virginis, non fabularis, ut nonnemò criminatur, inventum? Si etenim leviora illius fundamenta, cur non extinguitur? de assensu illustrissimorum Antistitum cur de novo erigitur? Vndè ista fæcunditas, quæ innumeram DEIPARÆ sobolem spiritualiter generat? qui fit, ut quo monacu-

momento ſocietatem illam conantur diſſolvere, indè Confratrum augeſcat numerus, ſodalitio accumulentur dona, inſtituantur trophæa, oratoria conſecrentur? id ſanè Carmelitarum induſtria non effecit, ſed *digitus DEI eſt hic, hæc mutatio dexteræ excelſi*, donum vindicantis, quod ſuæ Parentis Confratribus conceſſit,] Ita ille. num Commentum?

De miraculis, quæ ad rem facerent permulta dicenda forent, verùm de hoc argumentationis genere jam diſſerui compendiosè ſuprà 1. *hujus Operis parte cap.* 8. *num.* 47. & de miraculis Carmeloparthenijs in *Carmelo Thaumaturgo libris duobus.* Iſtud nihilominùs haud quaquam poſſum præterire, quod ſolet accidere frequentiùs: apertis nempè defunctorum tumulis, cadaver, ſudarium, cæteraq; defuncti indumenta ſæpiùs reperiri corrupta omninò, & in pulverem redacta, ſolum SCAPULARE omnem corruptionis labem evaſiſſe. Quo parthenij panni prodigio, cæli Carmeliq; Princeps demonſtrare velle videtur, quantò ſtudio & affectu illæſam ſervet Confratris animam, quam majori eſſe in prætio apud Superos, quàm ſit pannus, aut res quælibet ſublunaris, ſuadet ratio, fides edocet & Evangelium. 134. Plura ejuſmodi prodigia recenſemus *lib.* 1. *Carmeli Thaumat. & lib.* 2. *cap.* 7.

Multum quoq; habent ponderis ac momenti in hoc Sabbatini Privilegij negotio argumenta illa, quibus *ſuprà* 1. *part. cap.* 8. donum ſacri Scapularis, & apparitionem S. Simoni noſtro cælitus exhibitam comprobavimus, deducta ex antiquiſſima, conſtantiſſimaq; aliquot ſæculorum traditione &c. ac ſumma per univerſum Orbem celebritate Confraternitatis illuſtriſſimæ parthenij Scapularis; quæ attentiùs ac maturiùs perpenſa non minùs validè atq; efficaciter confirmant, ſtabiliuntq; JOANNIS XXII. Diploma ac Sabbatinum Privilegium, quàm SIMONIS *Stockij* viſionem, Marianiq; habitus collationem. Non inſiſtam hic librando momenta harum rationnm ac repetendo, quæ ibidem diximus; recolantur illa, & paucis immutatis, præſenti ſubjecto adplicentur, & ſufficiet. 135.

Præterea hujus privilegij veritatem ex principijs juris communis confirmare poſſumus. Et imprimis ex publica voce & fama, quæ in rebus pijs, & honeſtis plurimum profectò valet, & quoad antiqua ſufficiens videtur, juxta DD. Bald. in leg. proprietat. *nu.* 3. *c. de probat.* Alexand. in *l. rem quæ* 18. ff. *de adquir. poſſ.* Felin. in *cap. veniens* &c. Cravet. *de antiq. temp. §.* viſo in hac 1. *parte*, Caſſad. *deciſ.* 2. 136.

cis. 2. *de prob.* Verall. *decis.* 344. Rot. *decis.* 171. *num.* 3. *p.* 1. Imò probatio fit per famam cum alijs præsumptionibus *c. tertio loco de probat.* cum ergò privilegium Bullæ Sabbatinæ adeò sit antiquum, & plusquam trecentis annis in Ecclesia DEI celebratum, ac non modò vox populi & fama publica de ea extiterit, verùm etiam summa æstimatio affectio atq; ergà illud devotio, pro vero & legitimo secundùm traditam doctrinam recipiendum erit.

Deindè, si Princeps ea, quæ ratione publici officij proprij muneris, quo fungitur, prohibere debet, non prohibet cum possit, tacitè consentire videtur, & tacitus ejus consensus pro expresso habetur. Cap. *qui tacet*: de Reg. juris in 6. *l. in omnibus ff de moralibus actionibus.* Vide Azor. *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. jam verò ex Pontificibus Romanis nonnulli per promulgata à se Apostolica Diplomata, expressissimis verbis hoc privilegium comprobarunt, confirmarunt, uti suprà demonstravimus; cæteri verò minimè prohibuerunt, cum tamen ratione proprij, publiciq; muneris potuissent & debuissent hujusmodi privilegium, si veritate non niteretur, inhibere & abolere: ex præsenti igitur doctrina tacitus illorum consensus circa hoc privilegium pro expresso habendus erit. Hujus rationis pondus & momentum sua authoritate & suffragio auget R. P. Theoph. Raynaud. *lib.* de Scapulari Mariano *part.* 1. *cap.* 2. sic differens: [Quis credat Pontifices, & qui cum eis excubant circa Religionem; Episcopos itidem, in suis quemq; diœcesibus, adeò altè stertere à tot fraudibus, quibus hæc visio seu privilegium, inter Fideles ac pios disseminatum, ut non viderint imponi hac in parte Fidelibus per fabulamenta? vel si viderunt, quis credat, quod dissimulaverint, nec solliciti fuerint de pagula opponere falsitati? sanè si fabulati essent Carmelitæ, hanc narrationem jam olim venditantes, ut veram; ejusdem noxæ rei esse Rectores totius Ecclesiæ, atq; immediati Antistites, in quorum ocellis hæc per illos essent jactata. Quia, ut est apud creditum Ambrosium, unum est & idem, mentiri, & credere mentienti. Et ut docet Synodus Metensis *Cap.* 8. non est immunis à crimine, qui cum possit ac deberet ejus initia, vel progressionem impedire, obmutescit manens silens à bonis.]

Error cui non resistitur approbatur, & veritas cũ non defenditur opprimitur. *Cap. Error. dist.* 83.

Hoc Caput intelligendum est de his, qui ratione sui muneris & officij præstare aliquid debent & negligunt.

Lib. de morib. Brach.

137. Tertiò, demus gratis Privilegium Sabbatinum esse ambiguum, quod tamen dici nequit, uti sequenti Cap. liquidò demonstrabimus;

mus; nihilominùs quæ ex genere ſuo vel objecto ſunt bona: vel ex ſe adiaphora ſeu indifferentia ſunt, ex fine tamen vel circumſtantijs bonificantur, ſemper in meliorem partem ſunt interpretanda, juxta Regul. juris. *Eſtote.* Imò in dubijs & obſcuris ſequendum eſt, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec SS. Patrum, vel ſummorum Pontificum Decretis dignoſcitur adverſum Cap. *Sicut diſt.* 14. Addo in dubio ſtandum eſſe pro privilegio *Gloſſ. c.* 3. *q.* 2. *privil.* Conſtat autem privilegium, de quo agimus, ex ſe & objecto ſuo habere bonitatem: nam formaliter & objectivè dicit animarum in purgatorio detentarum ereptionem; includit etiam opera bona, orationem ſcilicet, jejunia, abſtinentiam & cultum caſtitatis: volentibus quippe hoc frui privilegio ejuſmodi opera præſcribuntur, uti patet ex ipſa Bulla Sabbatina, quæ omnia ex objecto ſuo bona ſunt. Ex quibus infertur ſtandum eſſe pro privilegio, eſto gratis admitteremus illud dubium eſſe.

138. Pientiſſimus P. Thomas à JESU, *lib.* 2. *ſupra cit. cap.* 2. poſt varias alias privilegij hujus comprobationes, affirmat illud confirmari poſſe imaginibus illis, quibus DEIPARA Virgo Fideles Scapulare gerentes purgatorio eximit: traditq; ex ſpeciali indulto GREGORII XIV. has Romæ imagines evulgatas fuiſſe. Præſumendum quippè eſt, ſanctiſſimum hunc Pontificem, nequaquam hoc permiſiſſe, ſi Privilegium Sabbatinum, hujus imaginis fundamentum ſolida veritate non inniteretur. Nec ſolùm æri inciſis, & typis excuſis, verùm etiam coloribus artificiosè depictis imaginibus hoc beneficium expreſſum paſſim cernitur, maximè in templis Carmelitarum oratorijſq; Confratrum Carmelo-partheniorum.

Nec refert, ſi dicas *Paulum V.* præfatas imagines interdixiſſe: is etenim abſolutè illas minimè interdixit verum ſolum inhibuit, deſcendentem de cælo ad purgatorij locum ſanctiſſimam Virginem depingi; ne rudis æſtimaret populus, neceſſariam eſſe localem ſive perſonalẽ deſcenſionem, cum ſufficiat ad animarum exindè ereptionem, DEIPARÆ Virginis ſuffragium, Angelorumq; miniſterium. Hinc ad mentem ejuſdem Pontificis, Angeli depingi queunt, Sodalium animas à piacularibus flammis educentes. Imò hanc exprimendi beneficium hoc rationem *Pauli V.* Decreto traditam atq; confirmatam nemò non colliget.

139. FIDEM quoq; non modicam Sabbatino conciliare videtur privilegio, quod Ecclesiarum ab exedris publicè frequenterq; proponatur atq; exponatur Sabbatinæ Bullæ beneficium, ut Christi Fideles acriùs incitentur ad ea Marianæ pietatis opera obeunda, quæ pro illius adeptione in eadem præscribuntur. Nec solùm Ecclesiasticè Carmelo assumpti, verùm etiam plerumq; alij clarissimi, imò & illustrissimi id sæpiùs præstiterunt. [Plures Prælati, inquit *loc. cit.* Irenæus in hac Solemnitate Commemorationis B. V. MARIÆ de monte CARMELO sermonem ad populum habuêre, atq; Confraternitatem multis encomijs commendarunt, &c. Imò ex ijs visi sunt aliqui sacrum Scapulare ad rochetum inter concionandum adhibuisse omnium oculis.] quis verò credat ejusmodi viros è sacro Evangelij prætorio fabulas pro concione, suspectas visiones atq; apocripha privilegia pro Divinis atq; Apostolicis publicare?

140. POSTHUMO loco ea referam, ait idem P. Irenæus, quæ non mediocrè prædictis robur afferunt. Pontificum, Cardinalium, Doctorum, aliorumq; Authorum pugnavi decretis: eorundem opera nunc certatum volo. Dixi pridem quid pro sacr. SCAPULARI dixerint, & scripserint, jam quid egerint exponam. Plures nimirum summos Pontifices, Cardinales, Episcopos, Abbates, aliorum Ordinum Præsules Regulares: è statu politico Imperatores, Reges, Principes & Magnates summo affectu recepisse SCAPULARE, singulari observantia coluisse, atq; in ejusmodi sac. habitu diem voluisse claudere extremum. Quos sanè nec leviter inutilem induisse puto, censueris; nec utilem putasse, nisi efficacissimis summorum Pontificum Constitutionibus communitum viderint, aut cælestem huic inesse vim habitui, divinis miraculis compererint.] Recenset deindè non nullos è Romanis Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis &c. Imperatoribus, Regibus, Archiducibus, Principibus &c. qui Marianum SCAPULARE nostrum gestarunt. Verum de his ego uberius egi in *Thesauro Partheno-Carmelitico cap. V.* agamq; infrà *part. 6. cap. 3.* Consuli etiam poterit de his luculenter disserens R. P. Raynaudus *lib. cit. part. Cap. 8.*

CAPUT

CAPUT XI.

Confirmatur Sabbat. privilegium argumento à simili & exemplis deducto.

141. TAMETSI cuncta, quæ hactenus & in superioribus Capitibus ad stabiliendum Sabbatini Privilegij veritatem diximus, ejus videantur esse ponderis ac momenti, ut lectorem, universis sublatis difficultatibus in præsenti negotio convincere, & haud ægrè, imò vel reluctantem, ad Apostolicis de Sabbatino nostro privilegio decretis assentiendum inducere valeant, unum nihilominus, quod silentio involvendum non est, nec extra præsens propositum videtur, restat argumentum à simili & exemplis deductum non spernendi roboris ac firmamenti, quo agmen rationum quibus Sabbatinum vindicatur & asseritur beneficium, claudemus, ne longiùs excurrendo fiamus prolixiores.

Tomo 3. in Elucid. Angeli, alijq; Cælites sibi devotis animabus in purgatorio apparent, easq; solantur.

S. Anselmus *Tom. 3. in Elucidario* affirmat animabus in ultricibus flammis hærentibus apparere Angelos, cæliteſq; quos in hac vita coluerunt, easq; solari &c. *Apparent eis*, inquit, *Angeli, vel alij Sancti, in quorum honorem aliquid egerunt in hac vita, & aut auram, aut suavem odorem, aut aliquod solamen impendunt, usq; dum liberati introibunt illam aulam, quæ non recipit ullam maculam.*] Quantò magis misericordiæ Mater (infert exindè Laurentius Chrysogonus) fidelium suorum clientulorum animabus, dum igneis illis obscurisq; detinentur ergastulis, sese identidem spectandam exhibebit, suaq; luce clarissima, velut aurora tenebras illas irradiabit, ardores illos pietatis rore mitigabit, vultusq; sui serenissimi aurâ, favonijsq; incendia illa temperantibus afflabit benignissimè, odoreq; unguentorum suorum suavissimè recreabit, cælestibusq; explens solatijs refocillabit.] *1. part. mundi Mariani disc. 11. n. 148.*

142. VERUM juvat ipsam de his differentem audire DEIPARAM: *Sum Mater*, ait apud S. Brigittã, *lib. 4. Revelat. cap. 138. omnium, qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis suis in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigãtur. Ita placet DEO, ut aliquæ ex his pœnis, quæ debentur eis de rigore Justitiæ Divinæ, minuantur.* Et rursus lib. 6. revelat. cap. 10. *Nulla pœna est in purgatorij igne, quæ propter me non erit remissior & lenior ad ferendum quam aliter esset.* Et ipse Christus Dominus

Propter preces Deiparæ qualibet hora quodammodò mitigantur pœnæ animarum purgatorij.

Quare MARIA bona sit animabus purgat?

Tom. 3. serm. 3. art. 2. Cap. 3.

lib. 1. revelat. ejusdem S. Brigitt. *cap. 16.* appellat Matrem suam *consolationem eorum, qui sunt in purgatorio.* S. Vincentius Ferrerius *serm. 2. de Nativit. B. Virg.* ait: *MARIA bona existentibus in purgatorio, quia per eam habent suffragium.* & S. Bernardinus Senens. *serm. de SS. Nomine MARIÆ* expendens verba illa Eccli. 24. *in fluctibus maris ambulavi*, &c. ait: *in regno etiam purgatorij Dominium tenet. Pœna siquidem purgatorij ideo dicitur*, fluctus, *quia transitoria est, sed additur*, maris; *quia nimirùm amara est: & ab his tormentis liberat B. Virgo maximè devotos suos, & hoc est, quod ait:* in fluctibus maris ambulavi, *scilicet visitans & subveniens necessitatibus; & tormentis devotorum meorum, imò & omnium qui ibi existunt, quasi filij ejus sunt, cum sint filij gratiæ, & in gratia confirmati, atq; de gloria certificati.* Bernardino consonat Bernardus: *Ad MARIAM*, inquit, *sicut ad medium, sicut ad arcam DEI, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium salutis respiciunt, & qui in cœlis habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi, qui sunt in cœlis, ut refarciantur: qui in inferno* (id est purgatorio) *ut eripiantur: qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur: qui sequentur, ut glorificentur.* Idipsum compendiosius ex S. Bernardo petit Hugo Cardinalis: *Ad MARIAM respiciunt & qui habitant in cœlo, & qui degunt in inferno*, id est purgatorio, *& qui habitant in mundo. Primi ut refarciantur: secundi, ut eripiantur, tertij, ut liberentur.* His suffragatur Rutilius Benzonus Episc. Lauretan. *Qui in purgatorio degunt maximam spem in intercessione B. Virg. ad Filium ad quamprimum terminandi supplicia habere, nemo dubitare potest.* Et ut mittam alios multos, Maccius Roa: *Certum est defunctis prodesse orationes Sanctorum, maximè SS. Dei Genitricis, quæ potissimam partem in Thesauros Ecclesiæ intulit, per opera pœnitentissima vitæ tam diuturnæ, nec proprio usui immunutam, cum nulla unquam satisfactione ipsa egerit. Quare dicunt Doctores plus ab ea illatum in Thesauros Ecclesiæ, quam per omnes sanctos collectim acceptos. Et verò non infrequenter à personis in ecstasi constitutis, visa est in purgatorium ingredi, & in cœlum educere animas innumeras.*

Serm. 2. Pentecost.

Qua ratione illam omnes respiciant?

Super Cantica.

In Magnif. *lib. 2. cap. 22. dub. 7.*

Lib. de statu anim. cap. 12.

Plus intulit in Ecclesiæ Thesaurum quàm Sancti omnes simul sùpti. Innumeros purgatorio eripit.

143. INNUMERA produci possent exempla, quibus luculentur multa tradita præfatorum Doctorum, de pietate potestateq; DEIPARÆ in eximendis pijs Manibus ultricibus flammis, doctrina confirmatur, verùm nunc pauca paucis insinuasse solum sufficiat. *Primùm* recenset hisce verbis Cantipratanus. [Novi Canonicum nostri Ordinis D.

nis D. Joanni Evangelistæ apprimè devotum: post hujus obitum vidit alius ejusdem Ordinis S. Joannem ad B. Virg. accedentem, & præmissa debita reverentia dicentem: *Domina, anima amici nostri sustinet gravia in purgatorio tormenta: eamus obsecro, & eam liberemus.* Exaudivit preces pientissima misericordiæ Mater, & una cum D. Joanne descendens prædictam animam è flammis ereptam in cælum deduxit.] *Lib. 2. Apum cap. 53. §. 12.*

Alterùm recensèt P. Ferdinandns de Castilio de quodam defuncto Ordin. Prædicatorum, cujus animam vidit Robaldus ejusdem Ordin. præsbyter, dum ad aram eidem Virgini sacram celebraret, è piacularibus flammis ulnis beatiss. Virginis gestari, atq; in cælum deferri. O admiranda sereniss. Cælorum Reginæ ergà sibi devotas animas dignatio! *1. Part. hist. S. Domin. lib. 2. cap. 14.*

Tertiùm, refert Valerius Venetus in suo *Pratoflorido*, de filia Philippi Francorum Regis, Brabantiæ Duce: quæ cum gravi morbo affixa lecto detineretur, rogavit S. Ludgardē Virgin. per litteras, ut pro se dominum deprecaretur: quod charitatis officium, dum S. Virgo obiret, percepit à Domino propediem Duciss. ex hac vita emigrandum esse: quare eam monuit, ut ad piam mortem sese sacramentis ritè muniret. Paruit illa, paucisq; diebus exactis, armis cælestibus instructa, cum morte fælicitèr confixit, animamq; suo reddidit Creatori. Tandem post obitum B. Ludgardi se conspiciendam obijciens indicavit, quàm brevi expiatorijs flammis fuerit DEIPARÆ Virgin. ope exempta, ob varia pietatis officia eidem SS. Virg. in vita exhibita: cum aliàs annis aliquot ob lenes quarundam culparum maculas, nondum ritè expiatas in pœnis illis ei fuisset commorandum. Adjecit prætereà, neminem mala morte, & absq; confessione mori posse, qui se clientelæ, patrocinioq; matris misericordiæ addixerit. *Part. 2. Lib 3. cap. 109.*

Duciss. Brabantiæ anni aliquot purgatorij condonantur ob D. Virgin. in vita exhibita obsequia.

Non potest malè mori D. Virginis Cliens.

Quartùm, (ut è plurimis, quæ nostra accidere ætate unum saltem addam) suppeditat Reverendiss. D. Joann. Caramuel *lib. 7. vitæ nostri Ven. P. Dominici à IESV MARIA, cap. 6. pag.* 542. referens, post celebratum, jussu DEIPARÆ, ab eodem Ven. P. Dominico missæ sacrificium, pro anima defuncti Bavariæ Ducis Wilhelmi V. in purgatorio detenta, apparuisse eidem Patri Sereniss. Virgin. dicti Ducis animam, jam glorioſam, secum ad empyreum conducendo. Fuit hic Dux Wilhelmus parens Sereniss. Maximiliani Electoris Bavariæ, Principis nostro ævo totoq; orbe celeberrimi ac laudatissimi.

Deipara liberat è purgatorio animam Guilielmi V. Bavariæ Ducis.

Imaginem hanc inquit D.V. ad V. P. Dominicum) *animo sincero venerantes gratiæ donabuntur divinitus & si pro animabus detentis in purgatorio oraverint, efficaci patrocinio intercedam.*

Animadvertendum hic quoq; est obiter, quod *loco cit.* idem tradit D. Caramuel: promisisse DEIPARAM V. efficax patrocinium pro animabus in expiatorijs ignibus laborantibus, quandam suam imaginem, cujus *ibid.* admiranda commemorat, piè venerantibus, a colentibus. Extat prodigiosa hæc *SS.* Virginis imago Viennæ Austriæ, in templo Carmel. Discalc. non paucis prodigijs celebris quorum nonnulla apud præfatum Authorem, legi poterunt.

LICET autem clementissima Cælorum Regina, quolibet prosp tempore, parata sit ad misericordiam, opemq; suam pijs Manibus in acerbissimis illis cruciatibus constitutis, propitiùs impertiendam sunt nihilominùs quædam tempora, quibus peculiari quadam ratione pietatis suæ viscera ipsi complacuit referare.

144.

Quibus potissimum diebus Deipara animabus in purgatorio succurrat?

Hæc verò, quantum ex Authoribus fide dignissimis, colligere libet, sunt dies Virgineæ in cælos Assumptionis, dies Dominæ Nativitatis, ac glorioſissimæ Resurrectionis.

Et imprimis quod attinet ad triumphalis DEIPARÆ in cælo Assumptionis, quo Domina & Imperatrix cæli ac terræ constituta, Angelorum hominumq; Regina coronata est, atq; in lætitiæ signum aperti sunt purgatorij carceres, ac soluta vincula ibidem captivorum, ut indicat Joan. Gerson *Tract.* 4. *in Magnif.* his verbis: *Non est incredibile Christum fuisse, cujus currus erat decem millibus multiplex per Angelos ascendens secum multam ex purgatorio captivitatem, ob honorem novæ coronationis illius, quæ Regina est misericordiæ* &c. Et Franciscus Mayronius, Doctor illuminatus, serm. de Assumpt. asserit, DEIPARAM in gloriosissima sua ad cælos profectione, quam plurimarum animarum è purgatorij ergastulis à dilectissimo Filio suo impetrasse exemptionem: ac reliquis, quæ ibidem remansêre (Si tamen aliquæ relictæ fuêre) ipsius intercessione mitigatas fuisse pænas. Amplius & apertius dicit idem Paulinus *Tom.* 2. *de Sanctis, serm.* 45. *piè creditur*, inquiens, *DEI privilegio in Virg. Assumptione evacuatum fuisse purgatorium: dum enim Princeps coronatur, aperiuntur carceres, quantò magis in coronatione* DEIPARÆ. Pijssimus Bernardinus de Bustis *part.* 2. *Marial. serm.* 1. *de Assumpt.* affirmat inter cæteros favores, quos *SS.* Virgo migratura ex hac vita petijt, obtinuitq; à Filio, hanc fuisse, ut omnes, qui erant in purgatorio à pœnis in suo obitu eriperet. Vide sis noſt. Joseph à JESU MARIA *lib.* 5, *de vita & excellentijs SS. Virg. cap.* 21. *num.* 4. Chrysogo-

Piè creditur in Assumpt. D. V. evacuatum fuisse purgatorium.

Deipara moriens petijt, obtinuitque

gon. *loc. supracit. num.* 153. Novarinum *lib.* 4. *umbræ Virgineæ num.* 786. ubi hæc inter alia habet: [Ferunt bonæ notæ Authores, Virginem morituram & in cælum ituram à Filio hoc petijsse, ut omnes animas, quæ in purgatorio detinebantur, secum ad gloriam deducere posset: quod ipsam obtinuisse dubium non est. Illud hic addiderim (ait idem Novarinus) non ea tantum vice, qua assumpta in cælum est, animarum liberationem obtinuisse; sed quotiescunq; hæc eadem solemnitas singulis annis vertentibus celebratur, adeò ut in ejusdem Virginis gratiam maximus animarum numerus, quæ purgatorijs cruciatibus torquentur, ab illis pœnis liberetur.] Facit ad hoc, id quod narrat B. Petrus Damian. *lib.* 3. *Epist.* 10. & contigit Romæ, paucis antequam id litteris mandaret annis. Mulier quædam Marozia dicta, & jam ab uno defuncta anno, apparuit in nocte Assumptionis DEIPARÆ Virgin. in Basilica B. MARIÆ in Capitolio constituta commatri suæ, eiq; dixit, se usq; ad illud tempus graves in purgatorio pœnas sustinuisse, sed DEI Genitricis patrocinio illa eadem nocte à purgatorio fuisse liberatam: additq; tantam animarum multitudinem per ejusdem Virgin. interventionem fuisse de locis pœnalibus ereptam, ut numerum totius Romanæ plebis excedat; & cum mulier quam alloquebatur Marozia ambigeret, nec fidem adhiberet, subjunxit: *Vt experiaris*, inquit, *pro certo verum esse, quod loquor, scias te transacto hoc anno in eadem festivitate morituram.* Et rei exitus apparitionis ac revelationis veritatem comprobavit; nam elapso anno illo ipso die illa defuncta est. Quod B. hic Pater de DEIPARÆ Assumptionis solemnitate affirmat, alij non pauci, è quibus præfati PP. Novarinus & Chrysogonus ac Joannes Nierenbergius in *Throphæis Marianis lib.* 6. *cap.* 137. ad alias ejusdem SS. Virginis festivitates transferunt. Censent quippè in Virginis Matris honorem ac gaudij cumulum cedere, in quocunq; ejus festo plures ab ultricibus piacularibusq; flammis eximi animas. Imò ipse Chrosogonus *lib. cit. disc.* 17. *num.* 78. idipsum sentit & asserit de quolibet Sabbato, eidem SS. Virgini ab Ecclesia dicato.

à filio ut omnes, qui erat in purgatorio liberarentur.

Quot annis in festo Assumptionis D. V. in maximo numero animæ è purgatorio liberantur

Idem quodammodò sentiunt alij de cæteris ejusdem D. V. Festis: ac quidam etiam de Sabbato.

Quod etiam in die quo DEI Filium humana carne vestitum huic luci edidit, ac Dominicæ Resurrectionis, pientissima misericordiæ Parens solita sit, luctuosos illos purgatorij carceres invisere, inibiq; detentas animas solari atq; permultas in cælum deducere, 145.

probant inter alios mox memorati Novarinus & Chrysogonus *loc. supra cit.* ex Dionysio Carthusiano *Serm. de Assumpt.* Duo socij erant, *verba sunt Dionysij*, se invicem valdè amantes, quorum unus circa festum omnium Sanctorum defunctus est: alter verò continuis fletibus se affligens, nihil pro defuncto orabat, cui post festum Nativitatis Christi defunctus apparuit dicens: Nihil mihi profuisti solùm plorando (quasi improperans fletum) Ecce, inquit, beatiss. V. MARIA singulis annis in Festo Nativitatis Christi ad purgatorij loca cum multitudine Angelorum descendit, & multas indè animas eripit, quoniam in nocte solemnitatis illius Christum Regem gloriæ peperit. Cumq; in proxima Nativitatis Christi solemnitate descenderet, & multas eriperet animas, sperabam quod precibus tuis fuisset me etiam eductura, sed non fecit. Verùm quoniam proxima nocte Dominicæ Resurrectionis solet descendere ad purgatorium pro eductione animarum, eo quod Christus nocte illa sanctos de lymbo eduxit: rogo ne cesses pro me cum lachrymis rogare, ut me illa nocte dignetur eripere. Et in hoc scias te exauditum si tibi ultrà non apparuero. Et quia defunctus ille ad viventem non redijt, creditur per Virginem gloriosam nocte illa ereptus.

Nec minus præstat in nocte Dominicæ Nativitatis ac Resurrectionis.

146. Nec satis fuit misericordissimæ Cœlorum Reginæ pios Manes in purgatorij ergastulis detentos proprijs meritis suffragijsque eximere: verum ut manifestius omnibus pateret effusissima sua in eos benevolentia ac beneficentia, voluit non semel suos adhuc in hac vita degentes amicos studiosè admonere, ut suis precibus, sanctissimis operibus atque pijs operibus, ijsdem succurrerent: cujus rei non pauca possent exempla produci, at unius solum hic meminisse sufficiet ex supradicto D. Michaele Baptista de La Nuza in vita Ven: M. Franciscæ à *S S.* Sacramento. Ubi *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 5. & *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 12. *& seqq.* ac *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 20. recensel, Deiparam in comitatu complurium Cœlitum huic Virgini frequenter apparuisse, atque, inter alia efficaciter cohortatam fuisse, ad constanter prosequendam, cui mirificè addicta erat, erga pios Manes pietatem; *sibi* enim *Filioque suo hanc admodum placere, longeque acceptissimam esse.* Licear his inferre.

Deipara cohortatur viventes ad pietatem erga defunctos.

Si hæc, quæ supra indicavimus, pietatis viscera, serenissima Virgo communiter & universim Christi Fidelibus exhibeat, quæ non exhibebit

exhibebit & præstabit suis Fratribus ac Confratribus, tot sibi titulis, ut in superioribus non semel vidimus, conjunctis, consecratis, ac confœderatis: qui minimè contenti communi vulgarique illius cultu atque obsequijs, sed specialiori excellentiorique, toto eam vitæ decursu prosequuntur; qualis est singularis observatio castitatis, quotidiana recitatio Divini aut Mariani officij, apocreasis sive abstinentia perpetua à carnibus feria IV. & sabbato hisque similia, de quibus infra in 6. *hujus operis parte* agemus;

Quis credat pijssimã matrem suæ misericordiæ viscera erga suos proprios obserare Confratres, tot sibi modis devinctos ac devotos, quæ alienis tam effusa referat benignitate? quis credat fidelissimã Virginẽ, contra promissionis suæ, contractusque initi rationẽ ac pactum, posse permittere, ut Sodales sui, præstita jam ex sua parte imposita veluti fœderis contracti conditione, diutius & ultra factam ipsis sponsionem, ultricibus in flammis hæreant ac torqueantur? imo quis non credat, eos ab illa sabbato ab eorum decessu, aut quantocius, è pœnis eripiendos? cum constet ex Ecclesiasticis authenticisque Historijs, quas hic, ut consulam brevitati, referre omittam, nonnullos alias obnoxios, ejusdem intercessione ab illis fuisse servatos omnino immunes.

Legendus in eandem sententiam, qui pijssimè ac luculenter de hoc disseruit argumento, R. P. Laurentius Chrysogonus 1. *part. Mundi Mariani disc.* 17. *num.* 78. ubi hisce verbis suum obsignat discursum. [Si illa erga eos, qui non tam arcto Sodalitiorum fœdere, sese ei adstrinxerunt, adeo effusam bonitatem ostendit, quid facturam putamus ijs, qui in hac Carmelitana SCAPULARIS Congregatione vitæ puritate, & Sacramentorum frequentatione, virtutes ejus imitantes, ei deserviunt] ac quibusdam interpositis prosequitur. [Si ergo hi viri sancti (recensuerat nonnullos devotione in pios Manes illustres,) tanto cùm pietatis ac commiserationis affectu animas piacularibus illis ignibus cruciatas, ut ab eis eriperentur, prosecuti sunt: quid nobis sanctam Sanctorum omnium Reginam, ipsam optimam optimi, maximiq́ue DEI Matrem, Matrem ipsius misericordiæ, cujus viscera semel quidem misericordia fœta, nunquam tamen effœta sunt, facturam arbitramur, pro suis devotis servis, clientulis, amicis, filijsq́; qui ipsi tam fideliter, tanta cum animi puritate, in hisce Sodalitijs

ipsius, quale est inter cœtera Carmelitanum hoc, de quo hactenus deserviunt.

Fecit certè hactenus, & imposterum faciet, pro infinita illa propemodum, qua pollet pietate ac charitate super omnem humanam Angelicamque, naturam; charitate inquam illa, quam sanè nullà creata mens capere, nulla lingua effari valet. Libuit hæc paulò diffusius explicare, ut ij, qui contra Sodalitium hoc sacri SCAPULARIS in venerabili Carmelitano Ordine erectum, Privilegiumq; illud Sabbatinum liberiùs obloqui consueverunt, ad cor revertantur, & rem adeo pias, adeo rationi consonas, à tot summis Pontificibus confirmatas, dente theonino arrodere, Momique sublato supercilio capere imposterum erubescant.] Hactenus ille.

CAPUT XII.

Qua certitudine credendum sit animas Confratrum B. V. &c. è purgatorio liberari ratione privilegij Bullæ Sabbatinæ.

147. CUM jam satis superque, in superioribus veritas ac certitudo Sabbatini privilegij asserta & stabilita esse videatur, restat, ut declaremus, quæ & quanta sit certitudo illius. Quod priusquam præstemus paucis insinuandum est, quid sit dubium, quid opinio, quid fides, quid certitudo, &c. Dubium juxta doctrinam S. Thomæ est *contrariarum rationum æqualitas.* Unde homo propriè dubitat de aliquo, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter moventes; ita ut non amplius in unam, quam in alteram moveatur, aut inclinetur. Alij dicunt dubium esse, quando quis neque assentitur, neque dissentit, in neutram partem inclinans, sed velut in æquilibrio hæret.

in 3. dist. 7. q. 5. art. 4.

2. 2. q. 2. art. 1.

Quid sit dubium?

Quid Opinio?

Opinio secundum eundem Angelicum Doctorem, est *actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis, cum formidine alterius,* in quo differt à dubio, quod opinans assentitur & determinatè adhæret uni parti, licet cum formidine alterius; dubitans vero neutri, & quia hæc adhæsio est cum formidine, potest objectum opinionis se aliter habere, & consequenter non repugnat illi falsum subesse.

1. p. q. 19. art. 9. ad 4. & 2. 2. q. 2. art. 1.

FIDES

Fides est assensus intellectus determinatus quoad ad unam partem propter authoritatem & testimonium dicentis. Undè inquit Augustinus, *credere est cum assensione cogitare*, & credere idem est, quod adhibere fidem. Distinguitur autem fides in divinam & humanam, ratione formalium objectorum seu testimoniorum, in quibus fundatur: quod si fuerit divinum, erit divina, & supernaturalis, in qua ratio formalis assentiendi est divina revelatio, seu veritas prima ut revelans; conditio verò necessariò requisita est propositio Ecclesiæ. Si verò testimonium sit creatum vel hominis vel Angeli loquentis suo nomine, aut authoritate propria, erit fides naturalis seu humana. Differunt verò fides divina & humana in hoc, quod huic possit subesse falsum, illi minimè. Hæc *innititur veritati divinæ*, inquit S. Doctor, *quæ est infallibilis: illa rationi humanæ non ex necessitate concludentis, cui potest subesse falsum.* Ab opinione verò differt fides humana, quod illa nititur rationi & discursui, hæc verò testimonio extrinseco dicentis.

Quid fides?

De prædest. Sanct. Op. 2

S. Tho. 2. 2. q. 4. a. 5. ad 2.

In quo differat divina ab humana fide? in quo hæc a b opinione?

Certitudo autem est firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ in suum cognoscibile: ita ut ille, qui est certus de re aliqua, firmiter inclinetur & adhæreat illi rei: & tantò firmiùs, quantò est validiùs, id quod illam adhæsionem causat. Undè fides, quo majus est testimonium, tantò plus habet certitudinis; credimus quippè majori certitudine, quæ à pluribus fideq́; dignioribus asseruntur; potestq́; nonnunquam pertingere ad certitudinem moralem, ut cum credimus Constantinopolim esse: imò quandoq́; accedere ad omnimodam certitudinem, atq́; in ea excedere scientiam, uti patet in fide divina, de cujus dogmatibus longè sumus certiores, quàm de conclusionibus in quacunq́; scientia demonstratis. Hoc verò ex eo procedit, quod divina authoritas, cui illa innititur, firmior atq́; indefectibilior sit, quocunq́; lumine creato, ex quo scientia generatur;

Quid sit certitudo?

OBSERVANDA quoq́; hic venit doctrina, quàm tradit S. Thomas, *quodlib. 9. art. 16.* asserens Papam in his, quæ ad fidem pertinent errare non posse: in alijs verò sententijs, quæ ad particularia facta pertinent, labi posse. *Canonizatio verò Sanctorum*, inquit, *medium est inter hæc duo; quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit.* Ex qua infertur, Canonizationem Sanctorum non esse certam certitudine fidei divinæ, quod volebat,

148. Pontifex in his, quæ ad fidem pertinent labi non potest.

bat, teste Silvestro, verbo *canonizatio*, quidam Joannes Neapolit. *quodlib.* 10. affirmans hæreticum esse, asserere, posse Pontificem erra re in Sanctorum Apotheosi: neq; esse de genere illorum, in quibus falli potest, judicium Ecclesiæ; quales sunt controversiæ facti particularis e. c. promotio hujus vel illius ad dignitates aut beneficia, his similia: sed mediat inter prædicta, habetq; certitudinem m diam: ideoq; licet nonnullis videatur posse absolutè in hoc errare Ecclesiam, quod colligunt ex Gloss. in cap. 1. *de reliq. & venera Sanctorum in 6.* & cap. *A nobis secundò de sentent. excommun.* piè tamen credendum est errare non posse, & defacto non errare. Cujus ratio est: quia hæc est pars quædam materiæ moralis, & valdè necessaria ut Ecclesia non erret in cultu & adoratione Religionis: aliàs contingere posset, ut coleret hominem damnatum, & ad illum preces fu deret; quod est etiam contra puritatem & sanctitatem Ecclesiæ. Et licet contrarium sentire & asserere non sit hæreticum, esset tamen impium & temerarium, nam tametsi canonizatio Sanctorum careat certitudine fidei divinæ, attamen ob rationem jam dictam, & quia indirectè fidem concernit, debet esse infallibilis ac certissima. Quia alias inquit Suarez, deficeret DEUS in re maximè necessaria Ecclesiæ quod est contra providentiam & promissiones ejus. Et ex dictis colligere licet, in quo consistat certitudo illa media, qua aliquid piè credibile est: quæ rectè dicitur media, quia excedit omnem certitudinem humanæ fidei, & non accedit ad certitudinem fidei Divinæ, absolutè infallibilis & indefectibilis. PRIMÙM probatur, quia hæc certitudo media non nititur præcisè testimonijs humanis & naturalibus, ut humana & naturalia sunt, sed ut subsant divinæ providentiæ & speciali Spiritus sancti assistentia. Undè in rebus maximi momenti & publicè populo Christiano propositis, maximè si indirectè fidem vel bonos mores concernant, assensus fidei plusquam humanus & naturalis Romanis Pontificibus debetur; etiam in casu, quando non decernunt esse de fide, quod taliter publicè proponunt. *Nec obstat*, si dicas testimonia hominum de vita, sanctitate & miraculis ejus, qui Sanctorum fastis adscribendus est, falsa esse possunt, non enim assistit illis DEUS, ne in testando errent, Ergò errabit quoq; Pontifex in definiendo &c. *Respond.* enim DEUM quidem non assistere specialiter hominibus attestantibus de prædictis, verùm assistere Pontifici, ne in de-

Ecclesia non errat nec potest errare in canonizatione Sanctorum; & quare?

Consulatur Tho. Waldens. *To.* 3. *doct. tit.* 14. *cap.* 22. *& seq.*

Contrariũ asserere est impium non tamen hæreticũ.

Tract. de fide disp. 5. *sect.* 8. *n.* 8.

In quo cõsistat certitudo media inter divinæ humanæque fidei certitudinem? & cur talis dicatur?

Quæ fides debeatur Rom. Pontif. in re-

in definiendo labatur. Quare licet demus hominum testimonia falsa quandoq; esse, DEUS tamen Pontifici assistet, ne deficiat, & divinæ erit providentiæ tunc ostendere & patefacere ea testimonia esse falsa. SECUNDUM, scilicet quod hæc certitudo media non pertingat ad certitudinem fidei divinæ constat; quia conditio necessaria ad fidem divinam, nempè propositio Ecclesiæ deficit: Undè Augustinus, *Evangelio*, inquit, *non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ moveret authoritas.* His expositis & suppositis.

bus maximi momẽti esto eas de fide esse non decernat?

DICENDUM est *primò*, non posse dubium esse de Sabbatino Privilegio. Patet hoc manifestè ex ijs, quæ suprà diximus ex S. Thoma de dubio: cum enim ad illud requiratur contrariarum rationum æqualitas, & hæc æqualitas non adsit in nostro Privilegio, non poterit de eo dubitari. Hanc rationum æqualitatem non adesse solidè demonstrant Diplomata Apostolica, authentica Instrumenta, sacrarum Congregationum eminentissima Decreta, illustrissimorum Antistitum, celeberrimarum Universitatum, sapientissimorum Virorum, Doctorumq; suffragia & testimonia, cæteraq; supra pro Sabbatino Privilegio producta: cum è contra nihil simile, aut solidè opponi possit, ut vidimus suprà *Capit. 7 hujus Part.* ex argumentorum privilegium hoc impugnantium dissolutione. Nec obest reperiri quandoq; quempiam, qui dubitet de hoc privilegio: id quippè, ut jam nihil dicamus de minus pia affectione, procedere potest ex ignorantia præfatarum rationum ac momentorum, quibus privilegium asseritur: sicut nonnunquam contingere potest, quempiam conclusionem aliquam scientificam solùm opinativè cognoscere, quàm alius per scientiam attingit: quia hic, non autem ille, evidentiam ejus, ac principia scientifica, ex quibus illa deducitur, penetrat.

149. De Sabbat Privilegio. rationabiliter dubitari nequit & cur?

DICENDUM est *secundo*, opinionem simpliciter loquendo non habere locum respectu hujus privilegij; benè tamen secundum quid. Prior asserti pars probatur; de ratione opininionis est, ut supra vidimus, incertitudo sive formido alterius partis, quæ simpliciter loquendo non cadit in hoc privilegium; cum certum sit, speciali quadam certitudine, uti mox dicemus. Altera etiam patet; quia rationes nonnullæ cum alijs supra adductæ generare solum videntur opinativum assensum Ergo &c.

150. Nec opinio absolute loquendo habet in eo locum.

DICENDUM est *tertiò*, hoc privilegium fide humana, ut minimum

Meretur ut minimum

fidem humanam.

mum esse credibile. Hoc abundè probant in superioribus producta diplomata, instrumenta, monumenta, testimonia, argumenta & suffragia Pontificum, Cardinalium, Antistitum, Academiarum, Doctorum, &c.

Et qualemè

DICENDUM est *quarto*, hoc privilegium credibile esse non quacunque humana fide, sed tali, quæ habeat certitudinem moralem & omnimodam, intra limites humani testimonij. Probatur: illud dicitur moraliter certum, quod authoritate ac testimonio omnium hominum vel majoris partis, aut multorum præcipuorum, maximè totûs omnis Ecclesiastici firmatur, at privilegium Sabbatinum multorum præcipuorum status Ecclesiastici firmatur testimonio, Ergo &c. Major non videtur egere probatione: Minor patet ex supra adductis Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, plurimorum Doctorum præcipuorum utiq; Ecclesiæ membrorum testimonijs, quibus privilegio Sabbatino suffragantur.

151.

Est certum certitudine media inter divinæ humanæq; fidei certitudinem.

DICENDUM est *quinto*, privilegium Bullæ sabbatinæ esse certum, certitudine quadam media inter humanæ ac divinæ fidei certitudinem, hoc est, esse piè credendum. Hæc assertio probatur *primò* authoritate PAULI V. & Sac. Rit. Congregat. quæ in decreto supra *Cap. IV. num.* 98. adducto expressissimis hisce verbis id affirmant, *permittatur prædicare, quod Populus Christianus possit pie credere de adjutorio animarum*, &c.

Secundo authoritate Divini Officij in festo Commemorationis Solemnis B. MARIÆ V. de monte CARMELO, de quo supra *Cap. VIII. num.* 125. diximus: *Materno plane affectu* (verba hujus lectionis sextæ) *dum igne purgatorio expiantur, (Confratres) solan, ac cœlestem patriam obtentu suo quantocius piè creditur efferre.* Quam eximiam Divini Officij authoritas *loco cit.* & *prima parte Cap. VI.* obiter insinuavimus.

Præterea cum hoc privilegium sit aliquatenus ratio, ac fundamentum specialis alicujus festivitatis, scilicet. B. MARIÆ V. de monte CARMELO, ut supra *cit. Cap. & num.* demonstravimus, & tale fundamentum ob cultum divinum in simili solemnitate DEO exhiberi solitum, debeat habere plusquam purè humanam certitudinem, ut *ibidem* diximus, sequitur privilegium hoc necessariò habere certitudinem illam mediam &c. Accedit quarto, quod Pontifices privilegium

gium hoc suis Apostolicis Constitutionibus approbantes ac confirmantes, non ut privati Doctores agere censentur, verum ut suprema potestate in Ecclesia fungentes, quorum proinde testimonia ampliorem, quam purè humanam & ordinariam fidem promerentur, ut infra iterum ostendemus.

152. Corollaria ex prædict. assert. deducta.

Ex his omnibus infertur *primò*, privilegium hoc eandem ad minimum habere fidei humanæ certitudinem, quam habent cætera, quæ passim in Historijs Ecclesiarum ac Religionum, alijsq; similibus libris referuntur. Certitudo quippe humanæ fidei nititur testimonijs hominū, ergo ubicunq; adfuerint hujusmodi testimonia, uti adsunt respectu nostri privilegij, necessum erit ejusdem fidei certitudinem reperiri.

Infertur *secundò*, privilegium hoc in ratione certitudinis multum excedere ea, quæ alij ordinariè loquendo in suis Annalibus aut Monumentis recensent. Cujus ratio est; quia huic privilegio intra limites humani testimonij competit certitudo moralis & omnimoda, juxta dicta supra in qnarta assert. quam tamen non semper, imo rariùs habent alia, quæ referuntur, sive in Annalibus Ecclesiasticis in communi, sive in Chronicis Religionum in particulari.

Infertur *tertiò*, hoc ipsum privilegium quoad certitudinem præstare eis, quæ alibi summi Pontifices, ut privati Doctores, tradunt: imo etiam ut Pontifices respectu particularium negotiorum, vel controversiarum, quæ non sunt juris, sed facti alicujus particularis. Hæc enim non pertingunt ad fidem, quâ aliquid piè credibile est, verum in altero extremo persistunt, & ideo in illis quandoque Pontifices errare possunt, & de facto nonnunquam errarunt; privilegium vero nostrum Sabbatinum obtinet dictam supra fidei mediæ certitudinem, qua aliquid piè credibile est, atque ita demptis ijs, quæ ad fidem divinam vel bonos mores pertinent, & quæ propiùs & directè ad hæc accedunt, maximam hoc privilegium adeptum est certitudinem, & infallibilitatem, piæ scilicet credulitatis.

153.

Dices: Pontifices non proponunt Privilegium hoc, ut ex necessitate in Ecclesia DEI suscipiendum, vel credendum, sed cuilibet liberum relinquunt credere, vel sentire de illo quidquid libuerit. Patet hoc ex ipso verborum tenore Apostolici Decreti Pauli V. dum infit: *permittatur prædicare, quod Populus Christianus possit piè credere, &c.*

Respond. imprimis, quod sacra Rituum Congregatio sub

Satisfit factæ objectioni.

eodem PAULO V. & iterum sub VRBANO VIII. an. 1628. in approbatione ac confirmatione Officij Commemorat. Solem. B. M. V. de monte Carmelo, non usurpavit, hæc verba *possit piè credere*, verum absolutè asserit *piè creditur*, uti constat ex *lectione sexta*. Præterea Pontifices in Religionum approbatione, non in particulari certam Religionem ex necessitate suscipiendam aut amplectendam proponunt, uti rectè advertit Azorius, verum tanquam bonam & salutarem vitæ regulam, quam quisquè, si velit, DEO adjuvante, capessere & profiteri queat, ipsa nihilominus talis Religio approbata, ut rectæ vitæ forma ac regula, piè creditur, quoad hæc firmæ & infallabilis veritatis; neque de hoc ambigere licet, stante hac approbatione, quantum est ex parte & institutione istiusmodi Religionis; ita, proportione tamen servata, de privilegio nostro sentiendum est. Esto enim PAULUS V. non proponat illud Ecclesiæ per suum Decretum, ut ex necessitate suscipiendum aut credendum, nihilominus hoc ipso, quod Pontifex suo illo statuat Decreto hoc privilegium publicari ac prædicari posse Populo Christiano, tanquam quid bonum & salutare, quod quisq; pro suo arbitrio capessere valet: necessè est subsistere eam rectitudinem & veritatem: falsa namq; nec permittit Pontifex, ut prædicentur, nec scienter prædicari queunt sine enormi delicto.

P. 2. lib. 5. c. 7.

Ut autem hæc faciliùs, pleniusq; capiantur recolendum est quod *supra Cap.* 7. insinuavimus, & de quo *infrà Cap.* 15. fermo reddibit, sub eodē scilicet *Paulo* Pontifice nonnullos contentiosissimè laborasse, ut privilegium hoc convelleretur. Verum Pontifex, prætermisso maturo examine, ac discussione, pluribusq; desuper Consultationibus habitis, de consilio sacræ Congregat. sanctæ & generalis Inquisitionis Romanæ, Apostolico Diplomate privilegij veritatem, firmitatemq; asseruit, talisq; veritatis ac firmitatis esse declaravit, ut à Populo Christiano sine lapsus erroris q; periculo piè credi queat. Ex quo liquidò patet *Paulum V.* nullatenus cujuslibet arbitrio remittere, hoc privilegium verum vel falsum credere & asserere, aut sentire de illo pro libitu; aliàs nullum foret ejus Decretum atq; immeritò Sedes Apostolica prædicari hoc privilegium in Ecclesia posse constituisset. Prætereà nihil operaretur in favorem Ordinis & Sodalium Carmelo-partheniorum, adeoq; esset inutile, ut consultò reticeam aliàs rationes & absurdas indè sequelas.

DICE

DICES *secundò*, quæ piè creduntur non sunt adeò certa & infallibilia, sed credentis devotioni & piæ affectioni relinquuntur, Ergò &c. 154.

Respond. multùm quidem valere pium affectum in his & similibus rebus: nam prout quisq; affectus est, ita ferè sentit & judicat, non tamen indè sumunt suam firmitatem ea, quæ piè creduntur. Licet enim ad credendum fide divina requiratur pia affectio ac libera voluntatis electio, non tamen indè habent suam firmitatem res fidei, verùm aliundè; ita proportione servata, quæ piè creduntur, sumunt suam firmitatem non à pia affectione sed ab extrinseco.

Licet ad credendū requiratur pia affectio, non tamen ab illa habent res fidei suam firmitatem.

Animadvertendum verò est, inter ea, quæ piè sunt credibilia, dari suam latitudinem ac diversitatem. Quædam enim dicuntur piè credibilia, quia pientissimi ac sapientissimi alicujus Viri, vel plurium similium testimonio nituntur: & hæc nunquam excedunt humanam aut moralem certitudinem. Alia verò dicuntur piè credibilia, non solùm, quia ab uno aut pluribus viris omni exceptione majoribus asseruntur, verùm etiam universim ab aliqua Ecclesia particulari, V. G. Trevirensi aut Salisburgensi &c. traduntur & observantur: & hæc tametsi magnæ sint authoritatis, nullatenus tamen infallibilitatem fidei Divinæ attingunt. Alia prætereà sunt piè credibilia, quæ à Romanis Pontificibus Authoritate Apostolica traduntur, non quidem ut res fidei, sed ut pia, sancta & salutaria, de quorum numero nostrum est privilegium. Alia deniq; sunt piè credibilia, quæ ab universali Ecclesia vel summis Pontificibus proponuntur, ut pia, sancta & indirectè ad fidem pertinentia, sicuti canonizatio Sanctorum, juxta doctrinam suprà productam S. Thomæ *Quodlib. 9. art. 16.* & hæc supremum obtinent locum inter ea, quæ piè creduntur.

Quot modis sint, & dicantur aliqua piè credibilia?

DICES *tertiò*, in rebus facti infallibilem haud esse Pontificem, ergò *Paulus V.* ejusq; Prædecessores in comprobando Bullæ Sabbatinæ privilegio labi & falli potuerunt, Ergò non erit piè credendum, nec merebitur fidem quàm suprà eidem asseruimus. 155.

RESPOND. *primò*, nihil indè adversum nostra asserta concludi: dato enim, quod potuerint falli, & labi, num propterea lapsos asseremus? Nullus est Historiographorum, (sacros excipiendo) qui mentiri non potuerit, ergone mentitos fuisse inferemus? Nullus est naturalium scientiarum Professor, etsi peritissimus, qui ratiocinando

aberrare non possit, num indè statim cum Academicis scientiu omnes tollendas è medio concludemus? Stramineam esse argumentationem de potentia ad actum docent Dialectici. Adde, debere in eo, qui aberrare potuit admissi erroris demonstrari argumentum, quod in nostro nunquam casu fiet; cum factum, de quo agimus, iteratò discusserit, probaveritq; *Clemens VII.* & post hunc *Paulus III. Pius V. Gregorius XIII.* & *Paulus V.* purpurati Patres Congregat. Rituum, sacri Tribunalis hæreticæ pravitatis supremi Judices, alijq; Viri sapientissimi, in quos, universim consideratos, errorem cadere nemo affirmaverit.

Anthores differentes de infallibilitate summi Pontificis insinuavimus *suprà* 1. *Parte. c. 6. n.* 41. *& seq.* Quibus accensendi Sanderus de visibili Monarchia *lib. 7. pag.* 500. & alibi passim. Suarez tract. de fide, *disp.* 5. *sect.* 8. *nu. 5.* & 8. ubi de infallibilitate Pontif. in rebus moralibus sit infit. *Approbare turpia pro honestis vel è converso repugnat veritati & sanctitati Ecclesiæ: & ideò in his*

Respond. *secundò*, nolle me hic pluribus agere de infallibilitate Pontificis in re facti, quam defendunt Theologi, quando exinjusmodi errore universali Ecclesiæ regimini damnum imminet: quod profecto accideret, si fabulas & mendacia toti Ecclesiæ proponeret, suprema Apostolicorum authoritate munita, derogatis quibuscunq; Constitutionibus contrarijs, etiam de plenitudine potestatis confirmatis. Verum quæstione hac (quæ tamen omnem objicienti viam præcluderet) Theologis ad enodandum remissa hoc utor dilemmate: Pontifex dum in re facti per Bullas loquitur, aut semper verum dicit, aut semper falsum; aut aliquando verum, aliquando falsum? si primum, secura erit nostra assertio & privilegium. Si secundum, grave erit piaculum mentiri continuò summum Pontificem. Ad tertium igitur devolvetur difficultas, quæ ut expediatur, statuenda erit regula, qua discerni possit verum inter & falsum: alioquin Bullæ ejusmodi vel omnes rejiciendæ, vel omnes admittendæ, vel agendum pro arbitrio, si nulla sit discretionis regula, quam sequamur, quod nemini non videtur absurdum. Quæ verò securior discernendi norma præscribi poterit, quam si Christi Vicarius, ijs circumstantijs Bullas communiat, quæ causam à se maturiùs discussam, legitimèque probatam asserant? Hæc verò universa ad hanc controversiam dissolvendam adeo concurrunt abundè, ut nullo in negotio plura adhibitæ cautionis pro eruenda, asserendaq; veritate desiderari possint momenta; quam sanctissimi Pontifices adducti pro Sabbatino privilegio nobis reliquerint. Ex istiusmodi porro circumstantijs principes observat duas P. Irenæus *lib. cit. sect. 2. cap. 9. §. 4.*

Prima, qua Pontifex factum aliquod sic confirmat, ut Constitutioni contradici prohibeat *sub indignatione Omnipotentis DEI, Sanctorumq;*

ramq; Apostolorum &c. ALTERA qua *plenitudinem suæ adhibet potestatis.* Priorem à CLEMENTE VII. expressam diximus supra. Posteriorem inde colligimus, quod derogatum velit quibuscumq; Prædecessorum Constitutionibus, etiam de plenitudine potestatis corroboratis. Quanta quæso potestas requiritur, ut plenitudo Apostolica reprimatur? Minorem plenissima sufficere non opinor. At derogat plenissimè Pontifex, Ergo dicendus per plenissimam id facere. Inde sic infero, privatus nemo *sub indignatione DEI & Apostolorum*, aut *de plenitudine Apostolicæ potestatis* id præcipit: Ergo dum id agit Pontifex, non ut privatus Doctor; sed quasi ex Cathedra pronuncians debet audiri. Pontificem verò etsi ut privatum Doctorem non velint infallibilem, errare tamen sedentem in Cathedra ac mentiri, è Catholicis sensit nemo.

etiam errare non potest Pontifex. Et idem *To. 4. de Relig. Tract. 3. lib. 4. C. 4. num. 5. & seqq.* ubi infallibilé demonstrat Pontificem in ijs, quæ ad fidem pertinent, ac nonnulla exponit indicia, quibus discernatur Pontificis ex cathedra docentis sententia.

Concludendum igitur ex ijs, quæ in solutione hûjusce objectionis adduximus, nec deceptos fuisse summos Pontifices, nec decipi potuisse, dum Sabbatino Privilegio suam dederunt authoritatem ex Cathedra.] Hactenus ille.

DICES, hac doctrina admissa necessariò sequi videtur, Sabbatinum Privilegium inter Fidei dogmata esse referendũ, cum eadem summi Pontificis, qua cætera divinæ Fidei dogmata, authoritate & infallibilitate innitatur.

RESPOND. Id necessariò non sequi: esto enim summus Pontifex infallibilis decreverit, indeq; inferatur privilegij veritas & certitudo, attamen ut Fidei dogma non debet censeri, eò quod tali sub obligatione suum recipi Decretum Pontifex minimè præceperit. Absit autem ut omne verùm à summo Pontifice, quantumvis infallibili, emanans, in articulum, Fideiq; dogma recipiatur, quamdiu hoc manifestè non declarat, neq; ad id obligat; verum longè efficacius ex dictis supra, inferri, & sequi videtur, non posse quempiam supra laudatis Apostolicis Diplomatibus ac Decretis repugnare & contraire, quin incurrat *iram, indignationemq; Omnipotentis DEI, Sanctorumq; Apostolorum* &c. juxta Bullam *Clementis VII. §. 13.* imo cum infidelibus & gentilibus erit censendus ex *Cap.* si qui sunt. *dist.* 18. & *Cap.* Sciendum summopere 8. q. 1. etsi enim ad recipiendum Sabbatinum privilegium minimè quis teneatur, attamen licitè non potest ipsi contradicere: cum summi Pontifices obligationem recipiendi non imposuerint;

156.

facultatem nihilominus contradicendi omnem ademerint, per præfata Decreta ac Diplomata: ideoq; aut illud quis debet admittere, aut negative se gerere, & ab eo reijciendo omnino abstinere. Quæ confirmari posse videntur, præclara illa ex *Cap.* Nemini 17. q. 4. sententia: *Nemini est de Sedis Apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum, videlicet propter Romanæ Ecclesiæ Primatum Christi munere in beato Petro Apostolo divinitus collatum.*

CAPUT XIII.

Quo modo è piacularibus flammis liberentur animæ vi Privilegij Bullæ Sabbatinæ.

157. Exponitur titulus quæstionis, qui duplicem habet sensum.

DUPLICEM potest habere hæc quæstio sensum. Potest quippè *primò* intelligi de modo, quo fit solutio Divinæ Justitiæ pro pœna temporali culpis jam dimissis debita, quàm luituræ erant ejusmodi animæ in purgatorio. Utrùm scilicet per modum satisfactionis aut suffragij, aut aliquo alio fiat modo? Potest *secundò* hæc quæstio intelligi de modo, quo eripiuntur animæ ex igne purgante, & in cælis collocantur: an scilicet ministerio Angelorum, aut per descensum B. V. in locum purgatorij &c. juxta utrumq; hunc sensum quæsitum hoc breviter discutiemus, cum utriusq; expositio ad pleniorem privilegij nostri notitiam haudquaquam conducere necessariaq; videtur.

Controversia hæc juxta priorem sensum non est adeò facilis resolutionis, ut quidam existimant. P. Cyprianus à S. MARIA in suo *Thesauro Carmel. Cap.* 17. sub finem, paucis se ab illa expedit, dicendo quod duplici via fieri possit hæc exsolutio &c. *Vel*, inquit, *precibus piis, apud Unigenitum suum fundendo, quæ efficacissimæ sunt; vel satisfactionem oi offerendo ad Divinam Justitiam compensandam, quas benignè à DEO recipi postulet.* Verùm pro faciliori ac solidiori hujus difficultatis enodatione, nonnulla paucis observanda aut supponenda veniunt.

Imperium in animas Purgatorij ex natura rei.

Primò, Imperium in animas expiatorio igni addictas, ex natura rei ad DEUM spectare, cui inibi debitum solvunt defuncti. Ad DEUM, inquam, ut principium, Authorem ac supremum Dominum omnium pertinet judicare vivos ac mortuos; sive enim vivamus sive

sive morimur Domini sumus. Ad Christum ut DEUM idem omninò spectat; ad eundem ut hominem titulo unionis Hypostaticæ. Etènim sicut Filius nascitur Dominus omnium, ita & Judex. DEUS quippè Christo homini judicium communicavit, juxta illud *Ioannis* 5. Cap. *Omne judicium dedit Filio.* Et iterum: *potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Ad cæteros non legimus derivatam esse hanc potestatem, nisi pro finali judicio. Tunc namque assidebunt Christo Judici universi, qui relictis omnibus eum secuti fuêre. *Sedebitis*, inquit Matth. 19. *& vos super sedes duodecim judicantes*, &c. & Paulus 1. Corinth. 6. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* Ast in purgatorium suis solùm suffragijs & intercessionibus agunt Beati. Quæ quidem agendi ratio Cælorum Reginæ, cum cæteris est Sanctis communis, licet suprà modum Mariana suffragia excellẽtiora atq; efficaciora sint, secundùm ejus præcellentissima merita. Quod ipsamet DEIPARA S. Brigittæ manifestare dignata fuit hisce verbis: *Ego sum Mater DEI & Mater omnium, qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ in qualibet hora propter preces meas aliquo modo mitigantur.*

rei ad solum Deum pertinet.

Et qua ratione ad Christum ut hominem?

Beati suis solum suffragijs in purgatoriũ agunt. *Lib. 4. Revelat. Cap. 138.*

Observandum est *secundò*, orationem tribus modis considerari posse. 1. ut est *impetratoria.* 2. ut est *satisfactoria.* 3. ut est *meritoria*; oranti quidem de condigno, alijs verò pro quibus oratur, de congruo. Oratio, ut est impetratoria convenit etiam Beatis in cælo: orant namq; Beati, & multa impetrant viventibus, & defunctis è purgatorio ereptionem: quidquid dixerit Soto *in* 4. *sent.* Oratio verò ut satisfactoria est, solis congruit in hac vita degentibus, non autem Beatis, quia non sunt ampliùs in statu satisfaciendi. Quoad meritum certum est, Beatos in cælo non sibi mereri de condignò, cum sint in termino, adeoq; extra statum merendi de condigno: meritò verò de congruo, prout condistinguitur ab impetratione, Vasquez, & quidam alij apud ipsum Authores, existimant Cælites etiamnunc mereri; verùm oppositа sententia est communior videturq; verior.

Oratio considerari potest, ut *impetratoria*, ut *satisfactoria*, & ut *meritoria.*

Quomodo congruat Beatis?

Vasquez *t. 2. disp. 236.*

Observandum *tertiò*, cum communi Theologorum sententia, bona opera justorum in hac vita degentium animabus purgatorij applicata, illis prodesse per modũ satisfactionis & solutionis, etiam ut plures docent de condigno, ad diluendam temporalem pœnam culpis eorum dimissis debitam: opera verò Beatorum in patria sic illis prodesse

Assignatur discrimen quod inter bona opera viatorum & Bea-

torum intercedit quoad juvandum animas purgatorij.

prodesse nequeunt ; non quod eorum opera minorem ibidem habeant condignitatem, quàm in hac vita, ad quemvis reatum expiandum ; aut minus ibi quàm hic sint DEO accepta, aut minorem ergà defunctos habeant charitatem ; sed quia in patria positi, jam sunt in termino & extra statum satisfaciendi ac merendi, quod adeò verum est, ut ipsemet Christus, qui cum Cælitibus vivit & regnat in aternum, licet nunc ibidem habeat eandem Divinæ Personæ dignitatem ad satisfaciendum de condigno, nedum pro pœna, verum etiam pro culpa, quam habebat, dum degebat in terris, ejus tamen operamodo, nec pro culpa aliqua, nec pro pœna sunt satisfactiora.

Possunt Beati suis sibi in hac vita superfluis satisfactionibus animas adjuvare purgatorij, & quomodo ?

Observandum *quartò*, Beatos in cœlo, etsi, ut diximus, non amplius in statu satisfaciendi, posse nihilominus suis precibus à DEO impetrare, ut satisfactiones suæ, quibus minimè in hac vita indiguerunt, applicentur animabus in purgatorio hærentibus, ijsq; opitulentur. Cum enim pleriq; Sanctorum plurima bona peregerint, & mala propter DEUM perpessi fuerint, & plures illorum, uti V. G. S. JOANNES Baptista, non nisi exigua, vel etiam nulla, uti B. V. MARIA, satisfactione pro semetipsis indiguerint, sequitur plurimas satisfactiones esse superfluas remanere in divina acceptatione ac Thesauro Ecclesiæ, quo alijs egentibus suffragrari queunt. Nec hoc quidquam derogat indulgentijs, quas pro animabus in piacularibus flammis detentis concedunt Romani Pontifices, quia thesaurus satisfactionum, cujus dispensatione illi impertiuntur dictas indulgentias, est infinitus atque exhaustus, ob satisfactiones Christi, quas simul continet.

Designatur alius modus, quo Cælites subvenire queunt animabus purgatorij.

Observandum est *quintò*, Sanctos in cælo suis intercessionibus non tantùm subvenire animabus in expiatorijs flammis laborantibus modo, quo mox diximus, verùm etiam obtinere posse à DEO, ut degentibus in hac vita congrua offerat auxilia, illos efficaciter excitantia ad opera pia, & satisfactoria pro dictis animabus præstanda, quibus fiat satis justitiæ DEI vindicativæ : aut postulando applicationem suffragiorum ijs inutilium, pro quibus erant destinata.

158. Utrum justi in hac & Beati in altera

TANDEM observandum est, quod etsi nonnulli Theologi censeant, preces justorum sive in patria, sive in hac vita non valere immediatè ad diluendam pœnam aliquam gratis animabus purgatorij, sine applicatione alterius æquivalentis satisfactionis, nihilominùs multi valdè probabiliter oppositam tuentur sententiam, quod scili-

scilicet justi, tum in hac, tum in altera vita, animabus in igne expiatorio hærentibus, nedum per applicationem æquivalentis satisfactionis, verum etiam per modum impetrationis gratiosæ, impetrando scilicet aliquam pro illis gratuitam remissionem pœnæ in purgatorio luendæ, valeant prodesse. Hanc vocat opinionem valdè piam Fezaijus *privileg. 2. controv. 3. §. 5.* dicitq; nullam includere repugnantiam, sed consentaneam esse DEI misericordiæ, decereq; statum beatissimæ Virginis, Sanctorumq; in cœlis regnantium, atq; animarum in purgante igne laborantium: propterea eam tueri, ait, universè de Sanctis omnibus graves Authores, S. Thom. *in 4. d. 45. quæst. unic. art. 2.* Soto *ibid. quæst. 2. art. 3. in fin. 9. concl.* Richard. *ibid. art. 2. q. 1.* Durand. *ibidem q. 1. n. 6.* Gabrielē in *Canon. lect. 55.* Bellarm. *lib. 2. de purg. c. 16.* Ægid. de Coninck *disp. 11. de purgat. dub. 7.* qui omnes hanc doctrinam hauserunt ex Patribus, S. August. in *Enchrid. Cap. 108.* & in lib. *de cura pro mortuis agenda Cap. 4.* S. Joan. Chrysost. *hom. 69. ad populum*, & in Epist. 1. ad Corinth. *hom. 41.* S. Ambros. orat. *de fide resur.* & S. Gregor. *lib. 4. dialog. Cap. 50.* ita Fezaijus. Probatur quoq; hæc sententia ex usu Ecclesiæ, quæ frequenter orat pro defunctis, ut eis indulgentiam ac remissionem peccatorum suis supplicationibus à DEO obtineat, obtinere namq; remissionem peccatorum, seu pœnarum per modum supplicationis, non est illam obtinere per modum solutionis debiti, sed per modum gratuitæ impetrationis.

vita possint impetrare pro animabus purgatorij gratuitam pœnæ remissionem? Sententia affirmans eligitur ac probatur.

Confirmat hanc doctrinam R.mus Theodor. Stratius ratione desumpta è Catechismo Romano, jussu *Pij V.* edito. Hic loquens de satisfactione Sacramentali, injungenda à Confessarijs, hortatur eos, ut pœnitentibus præcipiant, orare certis diebus pro defunctis, attestans hanc satisfactionem esse maxime convenientem, hisce verbis: *Ex omnium satisfactionum genere, maximè convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot, & definitis diebus orationi vacent, pro omnibus, & præsertim pro ijs, qui ex hac vita decesserunt, preces DEO faciant*, &c. Si ex Catechismi doctrina conveniens est pœnitentibus præcipere, ut DEO certis quibusdam diebus pro defunctis preces offerant, censendum est hujusmodi preces prodesse defunctis per modum gratuitæ impetrationis, cum ut satisfactoriæ pœnitenti duntaxat suffragentur & applicentur.

In instruct. cap. 11.

tur. Alijs rationibus hanc propugnat sententiam præfatus Fezayus quæ apud eum videri poterunt.

Satisfit cuidam objectioni, & exponitur quomodo status purgat. sit status justitiæ & non gratiæ.

Nec obstat statum animarum purgatorij justitiæ esse & non gratiæ, & in quo, ut divinæ satisfiat justitiæ, pœna solvenda est, non gratis condonanda: responderi enim potest, id verum esse, quoad animas in purgatorio hærentes, quatenus nimirum licet ipsæ justæ sint ac DEO acceptissimæ, compluraq; bona opera præstent, nullum tamen ex eis commodum per modum satisfactionis, vel impetrationis pro se referunt, sed tenentur omnem pœnam debitam usq; ad novissimum quadrantem persolvere, nisi alij illis subveniant.

Si vero justi in hac vita suis valent precibus subvenire defunctis per modum impetrationis, obtinendo ijs gratuitam aliquam remissionem pœnarum, multo efficacius idipsum valebunt præstare Beatæ patria, & omnium efficacissimè cœlorum Regina. Atq; hic est unus modus, quo ipsa suis intercessionibus animas suorum Fratrum & Confratrum in flammis laborantes adjuvari & solari potest.

Verum si cum oppositæ sententiæ authoribus dicere velimus nullam prorsus pœnam animabus purgatorij debitam gratis à DEO remitti; sed solum per æquivalentem satisfactionem ac solutionem: non deficit alius modus, quo DEIPARA Virgo pijs Manibus valeat opitulari. Nam præter modos supra expositos, potest à Christo Domino Unigenito suo postulare & impetrare, ut ipse de suis satisfactionibus in Ecclesiæ Thesauro reconditis, partem aliquam applicet animabus Confratrum suorum sibi commendatis: licet enim ordinate & regulariter id non faciat Christus Dominus, cum tanquam universalis causa & totius remissionis fons, jam instituerit Sacramenta, & causas secundas, per quas satisfactiones suæ egentibus communicari valent: est nihilominus rationi maximè consonum, credere illum ad instantiam ac preces suæ beatissimæ Matris; in cujus gratiam in multis alijs divinis est legibus dispensatum, ex speciali dispensatione & illem communicationem per seipsum facere.

Indicatur alij adhuc modi, quo Deip. animabus Cõfrarũ suorũ in purgat. subvenire valet.

159. Deipara modis omnib⁹ supra relatis li-

His suppositis, ad propositam difficultatem de modo, quo DEIPARA Virgo animas Fratrum ac Confratrum suorum è pœnis eripiat, respondeo, quod id præstet omnibus supra expositis modis: tum per viam impetrationis gratuitæ; tum per viam satisfactionis impetrando suis precibus auxilia viventibus efficacia, ad satisfacien-

dum

dum pro eorum animabus: vel ipsa partem illis de suis satisfactionibus in Ecclesiæ Thesauro reconditis applicando: vel obtinendo à dilectissimo Filio suo, ut ipse per se ex speciali dispensatione in sui gratiam, talē de suis satisfactionibus ejusdem Thesauri applicationem faciat. Ita sentit præter alios R.mus P. Theodor. Stratius & P. Philibertus Fezayus *loc supra citatis*. Nec omnino dissentit P. Theoph. Raynaudus de hoc argumento sic differens; *Cum contingit eos &c. descendere in purgatorium, impetrat Sodalibus, unde pendant divinæ Iustitiæ quod debent: nec educit ipsa è Thesauro publico Ecclesiæ, quantum necesse est, ut pro fidelibus laborantibus solvatur sed aliter illis prospicit. Nempe vel immediatè impetrando liberationem interventu suæ intercessionis, quæ est aliquorum Theologorum sententia: vel impetrando excitationem superstitum ad juvandos Sodales laborantes in flammis, per suffragia opportuna: aut exorando applicationem suffragiorum ijs inutilium, pro quibus erant destinata: vel certè impetrando, ut Christus extraordinaria potestate utens, promat è Thesauro Ecclesiæ publico, quantum necesse est pro anima de qua agitur. Quamvis enim Christus claves Thesauri tradiderit summo Pontifici, quod attinet ad ordinariam erogationem: non tamen abstulit sibi potestatem inde extrahendi extraordinariè summam aliquam.* Hactenus Raynandus.

berat è purgatorio animas Fratrū ac Cōfratrū suorum. in *Scapul. Marian. 1. part. Cap. 5.*

ALIUM adhuc modum à præfatis omnibus distinctum, quo DEIPARA animas Sodalium è pœnis eximere potest, tradit P. Irenæus hoc discursu. [Verum si præter communem illam intercedendi rationem, singularem B. Virgini in vivos Fideles, & purgatorij defunctos prærogativam velis concedere; quemadmodum Christus homo singulare infra DEUM jus obtinuit in vivos & mortuos, argumentum non deerit, nec Patrum & Doctorum sensus, imo nec Pontificum.

160. *loc. cit. sect. 2. c. 6. §. 8.* Modus aliꝰ â præfatis diversꝰ quo DEIPARA suorū Sodaliū animas pœnis eximit proponitur & exponitur.

Argumentum quidem eruetur Hypostatico ab ordine ad quem, præ cæteris, ipsamet Beatissimæ Virginis caro fuit assumpta in Christo Domino: ex quo consectarium videtur, ut cæteris abundantiùs atq; excellentiùs ejusdem Hypostatici ordinis dignitatis fieret particeps, quæ per propriam substantiam ad sacrum illum ordinem fuit cooperata. At Christus Dominus titulo Hypostaticæ unionis, non solum accepit suffragiorum potestatem, sed veri judicij atq; superioris cujusdam Domini, DEUM inter & reliquas creaturas; Ergo B. Virginem, quæ cæteros superat, propiùsq; accedit ad eandem unionem

Probatur ex titulo unionis Hypostaticæ, ad quam

DEIPARA suo modo concurrit.

per immediatam decisæ suæ substantiæ administrationem, decet obtinuisse, non modo abundantiorem suffragiorum energiam, sed majorem (infra Christum, & supra reliquas creaturas) authoritatem in prædestinatos, vivos & mortuos.

Confirmatur ex sensu SS. Patrũ.

Sensus Patrum est evidens. *Non deest illi potestas* (inquit D. Bernardus) *quia est Mater Omnipotentis: nec voluntas, quia est Mater misericordiæ: nec industria, quia est Mater Sapientiæ.* Si Bernardus precum exorabilentiam duntaxat voluit commendare, ad omnipotentiam recurrere non debuit, sed solùm exaggerare voluntatem atq; misericordiam. *Potentiorem* tamen indè asserit, quod *Mater* existat *Omnipotentis*, quemadmodum *sapientiorem* ex eo, quod genuit *Sapientiam*: atqui hoc a capite verum *Sapientiæ* augmentum DEIPARÆ fuit acquisitum: Ergo pariter ex priori verè aucta fuit ejusdem Virginis *potestas*, & *authoritas*, cum id *omnipotentiæ* proprium sit munus, ut potestatem augeat. Idem confirmat Petrus Damianus *serm.* 44. qui est primus in Nativit. B. V. *Quomodo illa potestas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua, carnis sumpsit originem?* POTENTIOREM Damianus fatetur MARIAM, ex qua genuit *Omnipotentem*, non aliter sanè, quàm quod *Omnipotens* ille majorem suæ *omnipotentiæ* virtutem parenti concesserit, quemadmodum *Sapiens* singulari suæ *sapientiæ* radio illustravit. Quod clariùs declarat Damianus his verbis: *Accedis enim ante illud aureum humanæ redemptionis altare non solùm rogans, sed imperans: Domina non ancilla.* Et similiter Bonaventura in *speculo cap.* 5. *In MARIA est quadruplex gratia: gratia donorum: gratia præmiorum: gratia privilegiorum: gratia laborum*: in prima Seraphicus Doctor videtur intellexisse merita B. Virg. in *secundâ* gloriam: in *tertiò* privilegium Maternitatis & similia; quem ad titulum spectat augmentum potentiæ, qua suos protegat, liberet, defendat &c. In *quartò* preces & suffragia. D. Bernardinus Senens. *Tom.* 4. *in Festivit. B. MARIÆ serm.* 3. *de glorioso nomine MARIÆ*, agit fusè de Dominio B. V. atq; *art.* 1. *Cap.* 1. sic loquitur: *Hæc est vera: DEO subdita est omnis creatura, & B. Virgo: B. Virgini subdita est omnis Creatura & DEVS.* Vide Bernard. super missus est. *DEVS, cui serviunt Principatus, & potestates obediunt, subditus erat MARIÆ, nec tantùm MARIÆ, sed & JOSEPH propter MARIAM.* Ibidem *art.* 2. *cap.* 3. ait expressè, quod hic asserimus: *In regno purgatorij dominium tenet* &c. D. Damascenus *lib.* 4. *de Orthodoxa fide cap.* 15. non solum purgatorij, sed totius Universi servit Provi-

Principem. *Nam revera*, inquit, *Domina facta est omnium creaturarum cum Conditoris omnium facta est Mater.* Accedit commune votum Ecclesiæ, quo *Reginam Cæli* appellat, & decantat. Reginam verò authoritatis expertem quis cogitet? At si regiam in cælis potestatem exerceat, negari haud poterit, eadem uti posse in animas purgatorij, quæ cælo jam sunt destinatæ.

Et ex decretis summorum Pontificũ.

Decreta summorum Pontificum idem confirmant; nam in laudatis Bullis ac Litteris *Clemens VII.* & *Paulus V.* non modo suis suffragijs & intercessionibus, sed speciali etiam protectione B. Virginem defunctis Confratribus daturam auxilium promittunt. Supplicem verò quis appellet protectorem? si solis igitur suffragijs B. Virgo intercedat, quo nomine *specialem protectionem* præter suffragia ipsi concedunt Pontifices?

Dominiũ DEIparæ non metaphoricum, verum proprium fuit. vide sis quę de hoc diximus *supra 1. par. Cap. XV. & XVI.*

Cæterùm Mendoza *lib. 2. virid.* probat ex Patribus, metaphoricum non esse istud imperium, sed proprium ac germanum, materna ex dignitate deductum. Quantum verò sit non discutio. Moneo solùm minimè formidandum, ne ullum indè Christi Dominio afferatur discrimen; quémadmodum Divinæ Omnipotentiæ & authoritati haud quaquam officit, quod Christus homo judicandi potestatem acceperit. Nam ut ex voluntate Patris Christus judicat, sic pariter Filij ad voluntatem Mater imperat. Undè D. Bernardus *Hom. 4. in missus est*, *Non est dubiũ, quidquid in laudibus Matris proferimus ad Filium pertinere: & rursum cum Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus.* Hactenus Irenæus; qui etiam ibidem affirmat Mendozam in *Viridario*, hanc tueri sententiam, & pro ea adduci potest Laurentius Chrysogonus *1. part.* Mundi Mariani *discurs. 9. num. 7.* ubi differens de Dominio potestateq; DEIPARÆ sic infit. [*Virgini sanctissimæ possibilia sunt omnia, ob eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem, quæ ei potentiam, dominationemq; quandam infinitam in res universas contulit.* Et quibusdam interjectis: *Undè non immeritò Sanctorum Patrum nonnulli, virginalem hanc potentiam cum Incarnato Verbo dixêre communem, quàm illa meritò de congruo una cum gloria, divinæq; Maternitatis dignitate promerita est: qua sicut Domina ac Regina totius constituta fuit Vniversi; sic quoq; merito de congruo potentiam, dominiumq; supernaturale jurisdictionis & proprietatis quoad animarum salvationem, illi simillimum, quod VERBVM incarnatum de condigno promeruit, consecuta est.* & num. 66. *Purgatorium, ubi tetra caligine miseræ illæ circumval-*

DEIparam hoc imperium merito de congruo meruisse censent nonnulli.

Lege sis de hoc dicta supra in hac part. *Cap.* 11. *num.* 144.

latæ animulæ, inferorum veris, non tamen æternis amburuntur incendijs, ea su potentia mitigat &c. & num. 80. adducit Gersonem Cancell. Paris. qu *Tract.* 4. *in Magnificat.* affirmat DEIPARAM in die Assumptionis plurimas animas è purgatorij carceribus liberasse, *ob honorem*, ait Ge son, *novæ coronationis ipsius, quæ Regina misericordiæ, & Domina gratiæ, Mater misericordiæ, sub cujus Imperio sunt omnia jura regnorum, ut in su mine flectatur omne genu cælestium & terrestrium, & inferorum, quamvis d ter ad Filium benedictum, qui tamen subditus illi esse dignatus est.* Hæc Ge son: & *part.* 2. *disc.* 42. *num.* 10. *Ex dictis*, inquit, *perspicuum reddi DEIPARAM potestatem in cælũ habere, dum animas suis manibus illuc deput potestatem in terra, dum easdem corporibus solutas in sinum pietatis suæ recip potestatẽ demq; in inferno, dum easdem è purgatorijs ignibus, qui ab orci flamm sola alicujus temporis definitione, differunt, benignissimè eripit.* Sed de hac DEI PARÆ potestate ac Dominio copiosius egimus 1. *Part. Cap.* XV. *&c.*

Quod Deipara modis omnibus supra expositis animas Confratr. è purgat. eripiat, patet ex Bullis Pontificijs.

Quod verò sanctissima Virgo modis his omnibus in assertis subindicatis animas Confratrum liberet, constat ex Apostolicis Diplomatibus *Clementis VII. Gregorij XIII.* & *Pauli V.* in quibus affirmat Beatiss. V. *suis continuis intercessionibus, piisq; suffragijs, & meritis, ac speci protectione adjuvare*, &c. In quibus verbis, si attentiùs perpendantur præfatos modos omnes expressos reperiemus: non enim sine caus distinguunt *intercessionem* à *suffragijs*; & hæc à *meritis & speciali protectio* & hanc ab illis omnibus, nisi quid diversum, ac distinctum adjuva di modum per hæc vellent significare.

161.

Liberatio hæc animar. è Purgatorio fit ordinariè ministerio Angelorũ, & non per personalẽ *Deiparæ* descensum &c.

Quomodo verò animarum è purgatorio fiat eductio, q est altera propositæ controversiæ quæstio, utrum scilicet per realem ac personalem SS. Virginis descensum, aut alio quopiam modo &c.

Respond. hanc eductionem fieri ministerio Angelorum non per realem DEIPARÆ ad locum pœnarum descensum. Hoc vi dit *Paulus V.* in suo Decreto aliàs adducto, quo vetat de hoc privil gio fieri imagines cum descensione beatiss. Virg. ad animas in purg torio hærentes eripiendas: sed ejus intercessione per manus Angelo rum in cælo collocari. Nonnulli, inter quos P. Irenæus, de mente Pontificis ambigere videntur. [PAULUS V. (inquit Irenæus) sc in Decreto ann. 1613. posteriorem partem elegisse videtur; quan quam dubitandi locus non desit, utrum picturam duntaxat prohibu erit, ne rudis populus necessarium putaret descensum, cum revera non necessa-

cessarius non sit: an verò sententiam reijcere voluerit, qua quis assereret B. Virginem verè descendere secundùm locum ad afflictos in purgatorio filios, Fratres, & famulos? eadem enim est difficultas de cæteris, quæ de nostris Confratribus: nam si aliquando descendat, non videtur absurdum, quod idem beneficium sperent Confratres.]

Verùm licet de mente Pontificis, aut sacræ Congregat. ambigendum esse non videatur, cum ferè omnes SS. Virginis & Sanctorum apparitiones ordinariè soleant esse impersonales, ut videre est apud Thyræum in *Tract. de apparitionibus*; advertendum tamen est, non repugnare doctrinæ orthodoxæ ac Catholicæ, aut solidæ probatæq; Theologiæ, B. Virginem personaliter descendere ad expiatorium carcerem pro solatio & ereptione animarum ibi laborantium. Imò id non semel accidisse attestatur Martinus Roa *lib. de statu animar. cap.* 12. his verbis: *dicunt Doctores plus ab ea* (B. V.) *illatum in Thesauros Ecclesiæ, quàm per omnes Sanctos collectim acceptos. Et non infrequenter à personis in ecstasi constitutis, visa est in purgatorium ingredi, & in cælum educere animas innumeras.* Nec desunt ad id confirmandum complura variaq; in Historijs Ecclesiasticis & Regul. Ordinum Chronicis, quæ produci possent exempla. Verùm sufficienter hæc adstruere videntur ac demonstrare suprà *Cap.* 11. relata.

Opus. 34. *Cap.* 3. Licet apparitiones D. V. & Sanctor. ordinariè soleant esse impersonales, tamen non raro legitur D. V. ad purgatorium descendisse & exindè animas eduxisse.

DICES JOANNEM XXII. in suo Diplomate asserere DEIPARAM V. promisisse se descensuram ad purgatorium, &c. Ergò dicendum erit, quod personaliter descendat.

162.

RESPOND. verùm esse, quod *Ioannes* B. Virginem spospondisse affirmat, sed ex hoc non sequitur descensum B. Virg. necessariò debere esse realem ac personalem, sed sufficit, si sit moralis atq; imperfonalis, per subventionem scilicet & opitulationem suprà expositam. Sic legimus Gen. Cap. 11. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem &c.* Et rursus: *venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum*, &c. & similes locutiones passim reperiuntur in sacris scripturis aljsq; libris pijs; quæ non de personali descensu DEI sunt intelligendæ, sed specialem aliquam operationem ejus in illo loco exprimunt. Idem censendum de descensione beatissimæ Virginis, cum in Bulla *Ioannis* XXII. non exprimatur descensus personalis, sed absolutè dicatur ventura, aut descensura ad animas educendas, &c. quod per moralem

Occurritur factæ objectioni.

Exponitur, qualis sit descensio

à Deip. in Bulla Sabb. promissa &c.

ralem ac impersonalem descensum non minus verificatur. Imo P. Daniel in *Vinea Carmeli, num.* 832. ex ipsis DEI paræ verbis, *Ego mox gratiosè descendam*, &c. hoc deduci posse, observat. *Non dixit*, inquit, *simpliciter, descendam; non enim ipsa personaliter, relicta sede gloriæ, purgatorium petit: sed addit*, GRATIOSE, *hoc est, per gratiam, sua videlicet intercessione a Filio obtinendo, ut Angeli Confratrum animas è purgatorio educant.* Licet autem impossibile non sit, uti diximus, beatissimam Virginem personaliter descendere ad purgatorij locum, & de facto nonnunquam descendisse legatur, visum tamen est Pontifici ac sacræ Congregationi descensionem SS. Virginis in Bulla *Ioannis* expressam, intelligendam esse non de reali ac personali, sed de mystica & impersonali, ob nimiam alias futuram ejus frequentiam, utpote omni sabbato repetendam, quod etiam superfluum videretur, parumque congruere beatitatis ejus statui: sed inde nihil decedit opitulationi atq; liberationi promissæ Confratribus, ut per se patet.

CAPUT XIIII.

Utrum alij Ordines & Confraternitates, virtute communicationis mutuæ privilegiorum, participes sint privilegij Bullæ Sabbatinæ?

163. TANDEM post omnia in superioribus de Privilegio Sabbatino discussa & asserta, disquirendum venit, an illud revera sit proprium & peculiare Carmelo-parthenio Ordini ut Sodalitio, ut nulli sit alteri communicabile, aut communicatum? Communicabile esse, ac de facto communicari alijs, suadere videtur communis & recepta ab omnibus mutua privilegiorum communicatio, quæ inter Regulares, & Mendicantes maximè Ordines viget.

Lib. 2. de Confratr. cap. 2. Quid possit Pontifex

Ven. P. Thomas à JESU difficultatem hanc enodando animadvertit, non deesse quidem Romano Pontifici facultatem concedendi uni aut pluribus animabus, ut sabbato ab eorum decessu proximo, aut etiam citius, vel prorsus omnino à purgatorij flammis eximantur; quia

quia publicus Ecclesiæ thesaurus infinitus & inexhaustus, ad hæc omnia plusquam sufficientissimus est; cujus dispensatio & claves eidem Pontifici commissæ sunt. At quia ereptio animarum è piacularibus flammis virtute privilegij Sabbatini, annexam habet circumstantiam quandam ac conditionem, quæ non est subjecta clavium Ecclesiæ potestati; nimirum quod hæc animarum liberatio, per intercessionem & suffragia fiat beatiss. Virginis, ideòq; hæc indulgentia, quoad hanc conditionem, ac sub ista ratione alijs communicabilis non est; cum non sit concessa beneficio Thesauri publici Ecclesiæ, sed orationum ac suffragiorum sanctissimæ Virginis, cui complacuit Ordinem ac Sodalitium sibi proprium singulariss. hoc privilegio dignari, & illustrare.

Sub qua ratione nõ sit communicabile Privilegiũ Sabbatinum?

Posse verò Cælorum Reginam alijs aut Ordinibus, aut Sodalitijs idem privilegium impertiri, ambigendum minimè videtur: de facto tamen nulli alteri communicasse, indubitatum videtur; cum nulla de hoc extet revelatio, nec Ecclesiæ declaratio: etsi enim summi Pontifices indulgentias huic nostro Sodalitio à se specialiter concessas, subindè indulserint alijs, nunquam tamen privilegium Bullæ Sabbatinæ; cujus nemo valet esse particeps, nisi aut sit hujus Ordinis alumnus, aut ejusdem Sodalitio inscriptus, servetq; munera ac conditiones ab ipsa DEIPARA in Diplomate JOANNIS explicatissimè traditas. Legendus in eandem sententiam, qui cumulatè de hoc argumento disseruit Joannes de Carthagena *lib.* 17. *hom.* 1. & lib. de sacra Antiquit. Ordin. Carmel. *Tract.* 1. *cap.* 4. ubi inter alia hæc habet. *IOANNI XXII. summo Pontifici B. Virgo apparuit, ei præcipiens, ut evulgaret Carmelitis Fratribus, & omnibus cum illorum Scapulari sepulturæ trafragijs ac singulari ejusdem Virginis protectione, primo Sabbati die ab eorum obitu adveniente, purgatorij pœnarum integram relaxationem dandam.* & paucis interjectis subjungit. *Singularissima certè gratia, qua nulla alia Religio potitur: quamvis enim Seraphici Patris nostri S. Francisci habitum portantibus plenaria indulgentia concedatur, ejus tamen reliqui Mendicantium Ordines participes redduntur, eandemque Carmelitanæ Familiæ concessit CLEMENS VII. felic record. gratia vero Sabbatini Privilegij propria est illius, & non alijs communis.* ita ille.

Potest DEIPARA alijs Ordinibus ac Sodalitijs illud communicare, de facto tamẽ nulli communicavit.

Privilegiũ Sabbatin. proprium est Ordin. Carmelitar.

Non dissimilia egregiè tradit Antonius Sanderus insignis venerandæ

In *Chorographia Carmeli Bruxell. cap. 5.*

randæ antiquitatis investigator in *Brabantia illustrata*, differens de Carmelo Bruxellensi, ejusque occasione de Confrat. Mariani Scapularis [Privilegium (inquit) Bullæ Sabbatinæ quod attinet, divinum est, non humanum, cœleste non terrenum, propterea hic verissimè dictum intelligam, quod aliunde Arnoldus Carnotensis scripsit, MARIA *Mater postulat, FILIVS approbat, PATER decretat.* Hoc ergo Privilegium in cœlis datum, per ipsam V. MARIAM ad terras delatum, per JOANNEM XXII. est confirmatum, & promulgatum, ut hæc ejus Bullæ statim referendæ docent verba: *Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, sicut propter merita V. Matris gratiam Christus concessit in cælis.* ut hinc optimè sacra Rituum Congregatio crum SCAPULARE *vestem cælestem* nuncupet. (& infra) Quamvis ergo sacri SCAPULARIS excellentissima Privilegia, propter merita Virginis, ut *Ioannes* Papa testatur, ipse *Christus* immediatè *concesserit in cælis*, tamen ut quoad nos facesseret omnis ambiguitas, hominumque devotio certiùs firmaretur, necesse fuit cælesti illi donationi accedere per suos Rectores comprobationem. (& nonnullis interpositis

De 7. Verb. Domin. Privileg. Sabbat. cæleste ac divinum, est, non terrenum aut humanum.

Quomodo sit propriũ Ord. Carmelit.

Illud porro non omittendum, hoc Bullæ Sabbatinæ Privilegium ita Carmelitanis Patribus esse proprium, ut nulla Privilegiorum communicatione alijs fiat commune, (quod confirmat ex Pontificum Diplomatibus) singularitatem hanc (inquit) innuit Pontifex *Ioannes*, dum se *Privilegium Sabbatinum* non dedisse (ut de alijs indulgentijs fatetur) sed solum asserit publicasse & confirmasse. Idem videtur inter que, distinxit *Gregorius* XIII. qui à *Ioanne* alias quidem gratiosè datas, hoc vero *Sabbatinum Privilegium* (verba ejus sunt) *publicavit, roboravit, & confirmavit.*

Cap. 6. editionis 25.

Adstipulatur R. P. Leo à S. Ioanne lib. inscripto *Fœdus sponsale, &c.* Regi Christianissimo Ludovico XIV. dicato [Deus (inquit) est, qui Privilegium istud concessit : Mater DEI impetravit in cœlis : Vicarius Filij DEI ratificavit in terris. At alij favores & indulgentiæ ab hominibus instituuntur, & à DEO acceptantur. Hoc potius fœdus est cœleste, quam Constitutio Apostolica. Unde non alij Ordines, virtute communicationis mutuæ privilegiorum & gratiarum aliarum, ejus participes sunt. Cujus rei ratio ea est, quod hoc non directe sit ex institutione clavium, at solummodo secundario per reductionem & simplicem approbationem. Hinc est, quod Or-

dinum aliorum non pauci doctrina & eruditione spectabiles Confraternitati S. SCAPULARIS inscribi desiderant.] Quod etiam notat & premit P. Mathias à S. Joanne, libro gallicè inscripto, *La veritable devotion du S. Scapulaire* cap. 24. & cum illo R. P. Daniel in sua exultissima *Vinea Carm. num.* 837. Nolo acervare alios idem attestantes, sed juvat hoc caput penè ultimum hujus partis & materiæ obsignare discursu non inefficaci, quo in simili occasione usus fuit R. P. Irenæus *lib.* cit. cap. 6. §. 5.

Dixi hactenus de Sabbatina, & illius oppositis, quantum sufficiat, ut ejusdem saneiatur veritas, nec non adversariorum retundatur impetus. Enimvero elige quod magis libuerit in ejusmodi negotio argumentationis genus; hoc in defensionem Sabbatinæ abundè cumulatèque videbis concurrisse, nec ullum optari posse probationis genus, quo corroborata non existat. Si DEUM pro ea dicentem audire desideres? dedimus miracula. Si Pontifices? Bullas & Constitutiones. Si Cardinales? Purpuratos sac. Congregat. Rituum Patres: Imo Supremos sacri Officij Præsides integerrimos atq; diligentissimos. Alios si judices? *Alexandrum Riarium* Patriarcham Alexandrinum causarum Apostolicæ Cameræ auditorem, &c. Si Doctores ea de re sigillatim dicentes, quo liberius aperiant, quod sentiunt? Salmanticenses. Si congregatos, ac mutua animorum collisione veritatem indagantes? selectos octo è Sorbonicis: ad quos addidimus alios, qui plures de Sabbatina libros suo calculo muniverunt. Si Episcopos? innumeros. Alios si Authores? omnis dicendi generis peritos, Historicos, Interpretes, Mysticos, Theologos, domesticos, exteros, &c. Denique nec defuerunt authentica, nec alia ab adjunctis petita (vix tamen imparis momenti) argumenta. Quid plura? Ex ijs aliquem desideras, qui jus ferendo inter litigantes, pro Sabbatina pronunciavit? Audi *Clementem* VII. & generalem Auditorem *Alexandrum* Italorum rixas diu mentem: sacri Officij Judices, qui duorum, aut trium annorum litem inter Lusitanos suo decreto terminarunt: Doctores Salmanticenses in dissidio Hispanico, Parisienses in Rothomagensi, &c.

164. Compendio repetuntur argumenta, quibus Sabbat. Privilegij veritas asseritur ac comprobatur.

His addendi Doctores Universitat. Bononiens. & Aquensis *supra Cap. IX.* laudati.

CAPUT XV.

Relatio historica de controversia in Lusitania mota, circa Bullam JOANNIS XXII. anno 1610. deq; ejus compositione facta Romæ &c.

165. NON semel in superioribus sermo fuit de Decreto à sacra Congregatione sanctæ & generalis Inquisitionis Romanæ anno 1613. in favorem Privilegij Sabbatini, jussu PAULI V. lato ac promulgato, quo decreto PAULO V. ut inquit Raynaudus, imperante ventis & mari, facta est tranquillitas magna, sedataque vehemens illa contra Bullam Sabbatinam excitata ab Ulysipponense Inquisitore tempestas. Quæ vero fuerit hujus tempestatis occasio, quis progressus, quisve exitus, lubet hic paulo diffusius recensere, quia ejus notitia haud parum cuncta, quæ de Sabbatino supra disseruimus privilegio, illustrat ac confirmat. Primus, qui hujus historiam successus conscripsit, typisque evulgavit, fuit R. P. Joannes Pintus de Victoria, S. Theol. D. edita Valentiæ anno 1642. idiomate Hispanico, *Hierarchia Carmelitana*, cujus in *1. parte, tract. 5. cap. 4.* de illa disserit. Hunc secutus est R. P. Petrus Thomas Saracenus S. Theol. D. Collegiatus Universitatis Bononiensis, sacræque Inquisitionis ibidem Consultor, in opere Italicè inscripto, *Informationi spirituali per i devoti della SS. Vergine del Carmine*, excuso Bononiæ anno 1635. *parte septima*; ex quibus Authoribus universa, quæ hic referemus, desumpta sunt.

166. Tribus sæculis Bulla Sabbatina à nemine omnino, in quæstionē aut dubiū vocata fuit, sed sine contradictione ab

ANNIS trecentis & amplius venerabilis Confraternitas beatæ V. MARIÆ de Monte CARMELO feliciter jam processerat secura perfruens, gaudensque Privilegio suo cœlitùs sibi à DEIPARA Virgine concesso, & humanitùs recognito ac confirmato à JOANNE XXII. Pontifice Maximo, per Bullam vulgo *Sabbatinam* dictam incipientem *Sacratissimo uti culmine*. & nullam unquam contradictionem passa, aut impugnationem; quæ aut jus sibi divinitùs concessum auferaret, aut ipsam in possessione à Sede Apostolica confirmata, turbaret. Nulla unquam affecta clausula derogatoria, vi cujus prætensiones tam adeo comprobatæ atque confirmatæ imminuerentur, aut annullarentur.

tur. Alta tot sæculorum decursu perfruita fuerat pace, cum eece, quo fato nescio, quadriennio post canonicam indulgentiarum à PAULO V. Pontifice Maximo factam reformationem, duæ contra eam, & in specie quidem apparentes, motæ fuêre difficultates: una coram ipso summo Pontifice: altera coram Catholico *Philippo III.* Hispaniarum Rege. Paucis, attamen sinceris, utramque insinuabo verbis. universis recepta.

Apud Pontificem quidem Bulla hæc JOANNIS XXII. in dubium vocata fuit ex eo, quod Autographum seu Originale ejus authenticum non reperiretur. Et hac apparenti, eneruique ratione, motus Reverendissimus Episcopus Petrus de Castillio per regnum Lusitaniæ Inquisitor generalis, circa finem anni 1609. in civitate Ulysipponensi suspendit publicationem dictæ Bullæ, quoadusque diligentiùs examinata, à summo Pontifice causa tota decideretur. Tandem an. 1609. à quodam inquisitore Ulysipponensi impugnationem sustinet.

Suspensio ergo prædictæ Bullæ JOANNIS XXII. ab Inquisitore generali Ulysipponæ facta, coegit Ordinis Carmeli ibidem Patres in unum ad consultandum de efficaci tantæ novitatis remedio. Concluſum fuit ablegare duos ad Romanam Curiam, ut propositis ibidem rationibus, jus à tot sæculis acquisitum, & pacificè possessum tutarentur. Reverendissimus Episcopus Targensis Thomas de Faria, Ordin. Carmelit. & Lusitaniæ Provincialis in iter hoc & munus delegit P. Joannem à S. Thoma, sacræ Theolog. Doctorem, & in Universitate Conimbricensi publicum Professorem, eximiæ, profundæque scientiæ virum, assignato ei in socium alio quodam Patre magistro ac SS. Theologiæ Doctore.

Debitis ergo litteris dimissorialibus instructi hi duo Patres è Lusitania Romam abeunt, & DEO comite, feliciter perveniunt. Ubi à R.mo Patre Generali multa cum charitatis exhibitione excepti, datisque debitis informationibus, mox obtinuerunt facultatem procedendi & causam hanc tractandi in Curia. Et ut feliciorem sortiretur successum, Reverendiss. Pater Generalis, scriptis & datis ad Ordinis sui cænobia litteris, extraordinarias indixit preces, pietatisque, opera, quibus beatiss. V. MARIAM pijssimam Matrem, Filijs suis in hoc negotio redderent propitiam. Patres Commissarij, ubi Tribunalibus Romanis sese insinuarunt, incepêre frequentare Curiam, supplicando, ut ad osculum pedum suæ Sanctitatis admitterentur, quo Negotium hoc ad Romanam curiam defertur ac discutitur.

ipsum de controversiæ & causæ totius statu informarent. Eminentissimus Cardinalis Farnesius, pro insigni suo, quo in Ordinem ferebatur affectu, summo Pontifici libellum porrexit supplicem, pro possessione nostra, qui à sua Sanctitate pro informatione remissus fuit ad sacram Congregationem sanctæ & generalis Inquisitionis, quam tunc præcipuè componebant Eminentissimi Cardinales sanctæ Romana Ecclesiæ, Aldobrandinus, Arigonius, Sancti Eusebij, Banchetus, Claramontius, Paravisinus, Millinus, Ascoli Dominicanus, Zapata Archi-Episcopus Burgensis, Veraldus, Aracæli Dominicanus, illique pro tempore præsidebat Eminentissimus Cardin. Dominicus Pinellus, consultationibus super causa hac habitis cum jam dictis adsunt Reverendiss. Patres Commissarij sancti Officij, ac P. Procurator Generalis Ordin. S. Dominici, sacrique Apostolici Palatij Magister, ac D. Pegna Romanæ Rotæ Præses, alijque judices complures. Plurimum quoque eo tempore huic causæ patrocinati sunt Venerabiles Patres *Ioannes à IESV-MARIA* Præpositus generalis Congreg. Italicæ nostrorū Discalceat. ac *Dominicus à IESV-MARIA* pro tempore Prior *S. MARIÆ de Scala* in Urbe; Viri ambo cùm à Sanctitate, tum à doctrina Orbi Christiano notissimi: eaque de causa & suæ Sanctitati, & universæ Romanæ Curiæ acceptissimi.

Ioannis vitam edidit Romæ R. P. Isidorus à S. Joseph: & *Dominici* Reverend. Caramuel Viennæ libris septē, & R. P. Philippus à SS. Trinitate Lugduni lib. octo.

167. Sub id temporis alia, & non minùs, imò magis speciosō, quā argenteo titulo secunda difficultas movetur coram Majestate Catholici Regis *Philippi Tertij* in Hispanijs. Camerales nonnulli mentem potiùs quàm cælestibus intenti, remonstrabant Regi, è re Cameræ suæ Regiæ esse, abstinentiam illam ab esu carnium diebus Mercurij quàm PP. Carmelitæ, ratione privilegij Bullæ Sabbatinæ prædicabant & innumeri in inclytis illis regnis observabant; præpedire, cum per eam trecenta & ampliùs scutatorum millia redditibus suis annuatim decederent. Et ut efficaciùs moverent, addebant exemplum, dicentes, de facto in Lusitaniæ regno publicationem Bullæ Sabbatinæ hujusmodi abstinentiæ fundamentum publicè fuisse suspensam. Nequidquam tamen Regis animum supplex hæc remonstratio movit, per rescripto seu responso habuit illud Hispanorū. *Nada*, id est, *nihil*, aspecta ratione, Regio Catholicoq; animo dignissima, formalibus hisce prolata: *Mas quiero Vasallos devotos de la Virgen, que el augmento de mis rentas.* Hoc est. *Volo potiùs subditos B. Virgini devotos, quàm reddituum meorum*

Æmuli Bullæ Sabbat. insidias ei struunt apud Philip. Hispan. Regem.

Notanda eximia hujus Regis in Divam Carmelitanam pietas.

Nonnulli *Philipp. II.* in simili

meorum augmentum. O Regiam planè vocem, non modò sæculis omnibus transmittendam, sed & omnibus sæculorum omnium imprimendam cordibus. Et tantùm abest, ut pijssimus Rex hujusmodi Cameralium suorum petitioni inclinatus, Bullæ Sabbatinæ publicationem, seu abstinentiam præfatam inhibuerit, quod in DEIPARÆ cultum magis, magisq; exardescens, arrepto calamo, in Parthenij Ordinis favorem, subjectas ad summum Pontificem litteras, nativo idiomate, scripserit.

occasione hoc ipsum respondisse affirmant.

SANCTISSIME PATER.

Cùm Sanctitatem vestram diversas gratias, & indulgentias variis Ordinibus concessas abrogasse, perceperimus, & P. Provincialis Provinciæ Castellensis Ordinis beatiss. V. MARIÆ de monte CARMELO totius Ordinis sui nomine mihi humiliter exposuerit, damnum ex eo Ordini suo universo enasciturum si Sanctitas vestra Privilegia & Indulgentias à compluribus summis Pontificibus ad usq; CLEMENTIS VIII. tempora sacrum SCAPVLARE B. V. de monte CARMELO gestantibus concessas non confirmaret; & cum in toto quidem Orbe Christiano, specialiter in hisce Hispaniarum Regnis, maximæ devotionis in animabus Fidelium res hæc præbeat fomentum, Sanctitati vestræ supplicare volui, prout præsentibus enixè supplico, quatenus Indulgentias, Privilegia, & gratias Ordini & Confratribus sacri SCAPVLARIS, in favorem animarum purgatorij concessas, confirmare dignetur. Præter acceptissimum, quod hoc faciendo, Divinæ Majestati præstabit obsequium, me quoq; speciali favore afficiet, prout Sanctitati vestræ Comes de Castro latiùs referet. Clementissimus DEVS Sanctitatem vestram ad felix & prosperum Catholicæ Ecclesiæ suæ regimen servet incolumem in multos annos, ex Aranuez, die 23. April 1611.

Scribit in ejus favorem ad summum Pont. *Philippus III.*

Sanctitatis vestræ,

Humillimus & devotissimus Filius

D. Philippus DEI gratia Hispaniarum Rex.

Hisce ad suam Sanctitatem scriptis, adjunxit alias ad Eminentissimum Cardinalem Millinum, & ad D. Franciscum de Castro suum in Urbe apud suam Sanctitatem ordinarium Oratorem, quibus negotium hoc summè, uniceq; commendatum esse voluit. Exemplar exhibet harum litterarum præfatus Pintus de Victoria *loco citato.*

Et ad Cardin. & suũ in Urbe Oratorem.

Serenissima quoq; *Maria Medicæa* Galliarum Regina, Mater *Ludovici XIII.* cui minorenni adhuc Pater, *Henricus quartus* die 14. Maij, 1610. fatis cedens sceptra quoq; cesserat, per ordinarium suum in Urbe

168. Idem facit Regina Galliæ

enixè causam hanc suæ Sanctitati cõmendando.

Urbe apud summum Pontificem PAULUM quintum Oratorem, fer- ventissimè pro causa hac intercessit, supplicando suæ Sanctitati quatenus dignaretur Religionem Carmelitanam manutenere ac con- servare in possessione antiquorum suorum privilegiorum à JOANNE XXII. concessorum, & ab ALEXANDRO V. CLEMENTE VII. GREGORIO XIII. in favorem animarum, præsertim purgator confirmatorum. Et ut efficaciùs rem ageret, insinuabat *Henricum IV.* suum quondam conjugem & Regij Infantis parentem duobus ab hinc annis videlicet 1608. cum Apostolicæ Sedis approbatione instituis Ordinem è Gallica nobilitate Equestrem sub titulo *B. V. MARIÆ de monte CARMELO*, cui ipsemet Rex titulo magni Magistri præfu- atq; magnos redditus annuos assignaverat, ut dictus Gallicæ nobili- tatis Equestris Ordo privilegijs, gratijs & indultis spiritualibus di- cerrimæ Religioni Carmelitanæ concessis, frui valeret, pro ut pate- ex Bulla anno 1608. desuper expedita incipiente, *Romanus Pontifex principatu*, &c. Res sanè consideratione dignissima, quæ & erudi- tium à Catholica fide animos in veram purgatorij cognitionem dedu- cebat, & Fidelium corda luculento devotionis igne incendebat. Et hæc quidem apud Romanum Pontificem: nec minus Christianissima hæc Regina apud diversos Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aliosq; Cu- riæ Romanæ Prælatos egit.

Nec non varijs S. R. E. Cardinalib. ac ac prælatis.

169.

Similia præstant complures alij magni Principes.

Coronata hæc capita secuti sunt plures alij Principes, Cardi- nales, Prælati, &c. intra extraq; Italiam commorantes, qui omnes & singuli in sacri Carmelitani Ordinis, animarumq; purgatorij favo- rem pro confirmatione Sabbatini privilegij impensè laborarunt. Sed præ cæteris Eminentissimus Pientissimusq; Catdin. Bellarminus, qui durante hac Romæ controversia, non semel nostros hortatus fuit Religiosos, ad causam hanc constanter prosequendam, & non de- spondendum animo; futurum quippè, ut mediante Deiparæ pa- patrocinio, cujus illa propria erat, felicem tandem exoptatumq; successum obtineret.

Reverendissimi etiã PP. Generalis Ord. Minorum, & Societatis JESU.

Reverendissimus quoq; Pater Generalis Seraphici Ordinis S. vi Francisci, memor beneficij ac Prophetiæ, qua S. ANGELUS Ca- rissimum illud Carmelitani Ordinis, imò Ecclesiæ universæ fidei Patriarchæ suo *S. Francisco*, olim in divi Joannis Lateranensis Rom- templo impressionem sacrorum stigmatum prædixerat, plurimum

cau-

causa hac pro Carmelitis egit. Sicut & Reverendiſſimus Pater Generalis Societatis JESU *Claudius Aquaviva*, tam prudenti regimine celebris, quàm omnium virtutum ſplendore illuſtris, qui in ſinceriſſimi ſui in Parthenium Ordinem affectus teſtimonium à Reverendiſſimo Patre Generali Carmelitarum facultatem petijt, & obtinuit ſacrum SCAPULARE conferendi quibuſcunq; Societatis ſuæ Religioſis id petentibus.

Claudius Aquaviva ſuis Religioſis ſacrum Scapulare cõferendi facultatem petit & obtinet.

INSINUATIS ergò hiſce mediatoribus, & medijs id actum eſt, ut ſacra Congregatio decreverit, graviſſimi hujus negotij ſummam, diligentiſſimo examini Eminentiſſimorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Millini, & S. Euſebij ac Reverendiſſimi ſacri Apoſtolici palatij Magiſtri, cum Clauſula *ad referendum* eſſe remittendam, ac poſtmodum ſuam Sanctitatem plenius informandam.

170.

Anno ergò 1611. die 20. Julij, quæ raptu ſanctiſſimi Vatis, ac Patriarchæ noſtri ELIÆ inclareſcit, prima in ædibus Eminentiſſimi Cardinalis S. Euſebij conſultatio habita fuit; ſi ullibi unquàm ſuæ fuêre difficultates, hic fuerunt vel maximè, cum ne unus quidem ex propoſitis articulis decidi potuerit; ex quo neceſsè fuit Patribus in cauſa hac Commiſſarijs præcipere, quatenus pro ſequenti conſultatione parati eſſent, reſpondere, & ſatisfacere cuivis inſtantiæ in propoſita cauſa faciendæ. Dum hæc ſic agerentur, accidit (quod ſanè animadverſione digniſſimum) ſupra memoratis Prælatis adhuc in cauſa hac congregatis & conſultantibus optatum adferri nuntium: videlicet, quod ſacræ Romanæ Rotæ Auditores proceſſum de vita & actis B. ANDREÆ Corſini Epiſcopi Feſulani, Religionis Carmelitanæ, in ordine ad Canonizationem ejus factum, remiſerit ad ſacram Congregationem Rituum, ex quo dudum deſideratata ejuſdem Canonizatio conijciebatur eſſe admodum vicina.

Spes affulget propediem futuræ Canonizationis B. *Andreæ Corſini* Ordinis Carmelit.

Addebant ijdem nuntij, Reverendiſſimos PP. Ordinis Carmelitarum Generales, hoc eſt, Calceatorum & Diſcalceatorum fuiſſe admiſſos ad pedum oſculum, & aures ſuæ Sanctitatis, eamque optimè cauſæ noſtræ inclinatam reperiſſe. Lætiſſima hæc nuntia, id effecerunt, ut hujus diei Congregatio, quæ alias non adeo proſperè proceſſerat, placito fine coronaretur.

Sua Sanctitas cauſæ noſtræ impenſiſſime affectum ſe demonſtrat.

Ultima die jam dicti menſis Iulij in ædibus Eminentiſſimi Cardinalis Millini reſumpta fuit conſultatio, & propoſitæ jam difficultates.

tes. *Primum*, quod sub incudem cecidit, fuit; An conveniens sit fieri mentionem *Sabbati*, prout habet Bulla *IOANNIS XXII.* an vero magis consultiusque videatur silentio eum præterire? Et cum hic animi Assessorum suspensi, dubijque hærerent, introductus fuit Pater Commissarius causæ, qui illicò promptè adeo, expediteque, atque efficaciter ad propositam difficultatem respondit, tantaque rationum momenta attulit, ut labia ejus divina perfusa gratia, eloquentiaque Assessoribus viderentur. Solidissimo ille discursu ac argumentis demonstravit Divæ Virginis promissionem diei Sabbatinæ affixam, &c. Pluraque alia protulit, quæ id effecerunt, ut à deputatis Consultoribus concluderetur, nova conficienda memorialia, & efficaciores ex aliis rationibus enucleatiùs esse producendas, perpendendas atque discutiendas.

171. Vita defungitur Card. Prinellus Ord. Carmel. Protector.

Die 6. Augusti ex misera hac ad meliorem vitam transijt Eminentissimus Card. Pinelli Ordinis nostri Protector. Tanti Principis decessus, ut luctu plenus fuit, sic non parvam remoram causæ nostræ injecit. Ambo Ordinis Carmeli Generales, id est, Calceatorum, Discalceatorumque, obitu Protectoris sui percepto, suam Sanctitatem accesserunt, ac pro novo Ordinis Protectore humiliter supplicarunt. Annuit clementissimè Pontifex, & post singularis dilectionis exhibita indicia, in Ordinis Protectorem Eminentissimum Cardinalem Millinum, motu proprio designavit. Recreati non modicum designatione hac RR. PP. Generales debitis suæ Sanctitati actis gratijs fuêre licentiati. A Pontifice recedentes recta ad palatium dicti Eminentissimi Cardinalis Millini, Protectoris nominati perrexerunt, & eidem post Sacræ purpuræ osculum, tam suo quam totius Ordinis nomine obedientiam pollicentes, Protectionis suæ alis sese submiserunt.

In ejus locum subrogatur Card. Millinus.

Erat Eminentissimus hic Millinus unus ex nominatis Judicibus in causa nostra Consultoribus. Tanto ergo Protectore, adjutore provisa, cœpit nonnihil respirare aporiata Religio, vel ut dicam magis afflictæ in purgatorio animæ, nec enim ambigendum videbatur, quin singulari Sanctissimæ Virginis, animabus sibi devotis consulere volentis, dispositione id factum esset.

Dum autem Patres Commissarij post omnium Sanctorum festivitatem, ultimam in hac nostra causa sessionem, ultimamque in ea [illegible] dede-

definitivam præstolantur sententiam, en tibi iterum novi motus & obstacula, ut totus annus re infecta defluxerit.

ANNO ergo illo sic elapso, novas cum anno novo 1612. Patres Commissarij fecêre instantias, quibus id efficerunt, ut tandem in ædibus Eminentissimi Millini, ad diem 8. Martij nova publicaretur in causa hac Congregatio, & simul indiceretur PP. Commissarijs, ut rationibus, informationibus, & instrumentis ad rem facientibus probè instructi ad dictam diem ibidem comparerent. Comparuêre tempore, locoque indictis Commissarij. Et primò quidem petitum fuit à P. Joanne, primo causæ Commissario, ut exhiberet Bullam *IOANNIS* XXII. à nobis vulgo *Sabbatinam* dictam, utpote unicum atque potissimum in causa hac fundamentum. Ad quod dictus Pater respondit, se eam pro tunc originaliter exhibere non posse; cum ad diem illam, ex occulto utique DEI judicio, esset occulta, sibi tamen per DEI gratiam & Sanctissimæ Virginis intercessionem non defuturas rationes atque argumenta, quibus ejus subsistentiam demonstraret; ubi loquendi sibi facultas impertiretur, & annuentibus Eminentissimis & Reverendissimis Judicibus & Consultoribus, sic exorsus est. 172.

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI.

Circa Bullam JOANNIS XXII. vulgo nobis *Sabbatinam* dictam, duæ sunt opiniones. Nonnulli firmiter tenent, eam non perditam, sed alicubi absconditam delitescere, alij vero inquiunt, singulari dæmonis astu & invidia plane perditam. Primæ opinionis Authores hisnituntur rationibus; argumentanturque primo à simili. RR. PP. Mercenarij, inquiunt, obtinuerant à GREGORIO nono confirmationē Ordinis sui, per Bullam ad id specialiter expeditam: Bulla autem hæc temporis injuria, vel hominum incuria evanuerat, & integerrimo sæculo requisita non reperiebatur. Tandem, tandem, DEO sic disponente, ipsum autographum seu Originale in Vaticano repertum, & à GREGORIO XI. de novo confirmatum fuit anno 1374. Quod huic accidit & nostræ potuit Bullæ accidisse, delituit illa tanta annorum serie, latet alicubi forsan abdita & nostra: reperta tandem fuit illa: reperietur DEO, DEIPARAQUE propitijs (sic confidimus) tandem aliquando & nostra. Utrum planè perierit, aut alicubi delitescat Bulla Sabbatina?

Quanta cum furia, qua Infidelium barbaries, qua Hæreticorum crudelitas, Christianitatis, & Catholicorum maximè sacra invase-

rit, notum est ex tragicis nostræ, & superioris ætatis historijs, unde bene fieri potuit, ut devotus quispiam indemnitati Bullæ nostræ consulere volens, loco aliquo securo ipsam abdiderit, qui postmodum re minimè indicata obierit, sicque excusabilis ignorantiæ tenebris Bullam hanc una secum sepelierit; ut factum scimus cum libro celeberrimi Historiographi Eusebij Cæsariensis. Hi certa ex causa & occasione adeo secretò absconditi fuêre, ut studiosissimè licet ac diligentissimè, tam ab Alipio Episcopo Tagastensi in Africa, quam à Paulino Episcopo Nolano quæsiti nunquam tamen reperti potuerint. Tandem tamen apud Domnionem fuêre reperti, quadere videri poterit D. Augustinus *Epistola* 35. *ad Alipium* & Baronius in suo *Martyrologio*.

Addo; Bullas confirmatorias ordinariè non soleri compilari cum reliquis à Collectoribus, alioquin Bullarum numerus in infinitum excresceret, sufficit illas Cancellariæ registro esse insertas. Sed sic est, quod Bulla JOANNIS XXII. est confirmatoria privilegij DEIPARA obtenti, & à CHRISTO Domino concessi, licet ergo Collectoribus non sit reliquis adjuncta, tamen est data, & quæ non reperitur in Bullarijs, spero, DEO propitio, reperiendam aliquando alibi. Constat multas Bullas Constitutionesq; à JOANNE XXII. emanasse, quarum tamen nulla in Bullarijs sit mentio. Expedivit unam cujus initium: *Nuper in Consistorio*, &c. per quàm pius Pontifex ad saniorem mentem, sententiamq; revocare conatur socios Michaëlis de Cesena, Guilielmum Ocham, Bona-gratia, Henricum de Chale & alios anno 1330. Aliam edidit pro absolutione Petri Corbarij &c. aliamq; contra Ludovicum Bavarum, ejusq; adhærentes: & tamen novissimus constitutionum Apostolicarum Collector nullius harum facit mentionem. Novemdecim annis Sedem Petri tenuit JOANNES XXII. horum annorum decursu plurimas Pontificem hunc edidisse Bullas, quis ibit inficias; & tamen quindecim solùm reperiuntur apud Cherubinum in Bullario, & postrema ex his expedita fuit anno Pontificij sui octavo: & quis credat reliquis decem quibus Ecclesiæ præfuit annis, nullam ampliùs ab eo emanasse? Ubi emanarunt, ut plusquam verisimile est, complures emanasse, ubi delitescunt?

Permultæ Bullæ à *Ioanne XXII.* editæ fuat, quæ hoc tempore non extant in Bullarijs.

Prætereà commune & in Scholis dialecticis receptum effatum est,

est, argumentum ab authoritate negativa nihil concludere : hinc non benè infertur: Bulla Sabbatina modò nō reperitur, ergò nunquam extitit: ego nunquam Hierosolymis fui, ergò Hierosolyma non extat. In Bullario novissimæ editionis nulla fit mentio de ALEXANDRO V. Pontifice Maximo, nec de ulla ejusdem Bulla; nihilominus malè profectò infereretur, & manifestè erroris argueretur, quisquis hinc inferre vellet, ergò *Alexander V.* non fuit, nec ullam Bullam edidit. Alphonsus Ciaconius diligentissimus rerum Pontificiarum Scriptor, refert *Alexandrum V.* Bullas aliquas edidisse, quarum tamen nunc, nec una quidem reperitur. *Ioannes XXII.* ut supradictum, in Sede Petri sedit annis omninò 19. tempora habuit calamitosa, occasiones multas, negotia plurima & gravissima, ex quo plurimas quoq; causas habuit, Bullas plurimas promulgandi, & tamen non nisi quindecim de facto reperiuntur nunc exstantes. Quo devenerunt reliquæ? Perierunt? vel alicubi abditæ latent, cum his dicimus & nostram aut perijsse, aut occultatam delitescere. Sic Eminentissimi Reverendissimiq; Domini, primæ opinionis authores argumentantur.

Similiter *Alexander V.*

SECUNDÆ verò, qui censent dictam Bullam nostram planè perijsse, ducuntur lugubris incendij lumine, quo res sacræ Catholicorum, inter quæ & Bibliothecæ cum archivis à crudelissima Hæreticorum rabie, in Francia, Germania, & Anglia in favillas & cineres sunt redactæ, quàm sortem iniquissimam & Bullam nostram subijsse autumant. Ciaconius in vita nostri *Ioannis XXII.* refert Hæreticos, alioq; Ecclesiæ perduelles novissimis temporibus irrupisse in Caturciam hujus Pontificis patriam, & barbarie inaudita templa & loca sacra expilasse, monasteria devastasse, mactasse Sacerdotes, Virgines defloraſſe, & in ipsum Pontificis palatium irruisse, archivum publicum, in quo non modo publica civitatis, sed & Cancellariæ Apostolicæ instrumenta, maximè à JOANNE XXII. emanata ad perpetuam rei memoriam conservabantur, violenta manu reseraſſe & diripuisse: inter quæ & Bulla nostra fuisse creditur; sed audiamus ipsum Ciaconium tragœdiam hanc verbis suis recensentem. *Anno* 1580. *mense Majo*, inquit, *nocte capta est urbs* (Caturcia videlicet) *à Calvinianæ sectæ militibus, direptæq; sunt Ecclesiæ sacra vasa, eaq; ornamenta in patriam collata, multis Sacerdotibus ac Oppidanis ferro cæsis, spoliatis omnibus templis, privatorumq; domibus, ipsa quoq; urbis Archiva, quibus vetustatis monu-*

173. Argumenta quæ probare videntur Bullam Sabbatinam planè interijsse.

Quando, & qua occasione id factum sit?

monumenta, rerumq; memoria asservabatur penitus intercedêre. Si ergò Bulla nostra sic interijt, quid mirum, si impræsentiarum non reperiatur?

Variæ circa hoc opiniones.

Alij putant, quod obtenta à Pontifice Bulla, ipsummet autographum, seu originale amplioris fidei faciendæ gratia fuerit missum ad omnes & singulos Provinciarum Ordinis Conventus, ut authentica ubiq; indè desumerentur & formarentur in omni meliori juris forma apographa seu exemplaria, quibus ipsummet originale perpetuaretur, prout de præsenti fieri sæpiùs videmus. Et quid mirum, si per tot, tantasq; manus, per tot, tantasq; Regiones & Provincias, per tot consequenter discrimina rerum transiens Bulla nostra, humanquippiam passa, interijsset.

Nonnulli credunt Bullam Sabbatinã ab Hæreticis in Anglia cum cæteris Ordinis monumentis igni traditam & absumptã fuisse.

Alij rem accuratiùs perpendentes dicunt: Bullam nostram ab Hæreticis in Anglia Vulcano traditam. Cum enim Ordinis nostri Generales in dicto, tunc in religione, pietateq; florentissimo regno, ordinariè residerent, archiva quoq; in quibus publica Ordinis documenta & instrumenta eò delata asservabantur, ibidem extabant, & cum barbara Sectariorum crudelitas, novissimis hisce temporibus, inclytum hoc regnum miserandum in modum devastaret, Catholicorum omnium res, aut diriperet, aut incenderet, dicta Ordinis nostri instrumenta, inter quæ & hanc Bullam nostram fuisse verosimile est, aut direpta, aut incensa fuerunt. Hoc attestantur Nicolaus Sanderus & Clemens Rainierus, Benedictinus, Anglus.

Et nè longior sim, & patientia vestra, Patres Eminentissimi abuti videar, credere me juvat, occulto DEI judicio Bullam nostram originaliter hactenus non repertam, quia videlicet hæc clementissimæ Matris nostræ, Cælorumq; Reginæ mens esse videtur (ut licet CLEMENS VIII. Pontifex Maximus formam & normam dederit canonicè instituendi Confraternitates, sic Sanctissimus Dominus noster PAULUS V. sedem D. Petri impræsentiarum occupans, indultum omnibus Confraternitatibus indulgentias & privilegia confirmaret, & in specie determinaret modum Orbi prædicandi amplissimum illud Carmelitis ad animarum purgatorij subsidium concessum, in Bulla Sabbatina Privilegium, pro cujus conservatione, Vos Patres mei Eminentissimi, hic loci in Domino congregati residetis. Et hæc dicens dicendi finem facere volebat Pater Commissarius, sed cum instarent deputati Judices, ut si quid amplius haberet, proponeret, prosequendo subjunxit. Quæ-

Quandoquidem ergo sic placitum est Eminentissimis Reverendissimisque Dominationibus vestris, placidis adeo benevolentiæ auribus me audire, ulteriùs prosequor & dico, subsistentiam Bullæ nostræ Sabbatinæ sufficientissimè, ne dicam clarissimè demonstrari ex authenticis illius transumptis seu apographis, quæ Ordo possidet. Jam sciunt Eminentissimæ Reverendissimæque Dominationes vestræ, probatissimi Juris tam legibus, quam sacris Canonibus firmati esse, quod transumpta authentica non minus fidem faciant, in quibuscunque Tribunalibus, quam ipsa autographa & originalia, si hæc deperdita sint, sic me, qui Juris Consultus professione non sum, docet Didacus Covarruvias *pract. quæst. lib. 22. cap. 21. n. 3. & 4.* & Joseph Marcardus, *Tom. 1. concl. 91. n. 1. & concl. 211. n. 17. & quæst. 712.* tradit, transumpta & exemplaria eandem, quæ autographa & originalia habere ac mereri fidem, si tamen subjectis non careant conditionibus.

Quænam requirantur ad hoc, ut transumpta eãdem faciãt fidem, quã ipsa autographa seu Originalia?

1. Si copia fideliter sit transumpta ex originali, authoritate Judicis, & ab eodem collationata.
2. Si fuerit facta ad instantiam partium interesse habentium.
3. Si transcriptor fuerit Notarius publicus.
4. Si nec apicem ab Originali subtraxerit, aut adjunxerit.
5. Si Transumptum in forma authentica fuerit factum.
6. Si primus Notarius jam obierit.
7. Si nullum sit dubium de integritate & fidelitate scriptoris.

Sed sic est, quod omnes hæ conditiones reperiuntur in plurimis Transumptis, quæ in diversis variarum Provinciarum nostrarum Conventibus asservantur, prout patuit in diversis examinibus in omni Juris rigore desuper institutis, in quibus pro legitimis fuêre semper recognita. Consulat qui volet hac super re Conventus Parisiensem in Gallijs, Valentinum in Hispanijs, Bruxellensem in Belgio, imo ipsum Transpontinum in hac alma Urbe nostra, aliosque plures nostrorum Discalceatorum Conventus. Omnes hi uno ore assertum nostrum confirmabunt. Licet ergo quocunque ex casu Bullæ nostræ Originale, alicubi forsan abditum delitescat, aut interierit, vivit tamen & subsistit adhuc in Transumptis suis authenticis, quæ æquivalenter (uti dictum est) faciunt fidem.

Videantur quæ supra *Cap. VI.* de his dixim⁹ instrumentis.

Et

174. Et hic in vehementem spiritus fervorem actus Pater Commissarius, contentiori voce patheticè valde subjunxit; Esto Eminentissimi Patres, ac Domini mei, esto, sit ita, hactenus à me dicta, & allegata nil persuadeant, nil probent, nil concludant; sint nulla, sint vana & inania, verberarint illa aerem tantummodo, corda vestra aut animos non moverint: sed quem ex vobis non moveant Constitutiones Apostolicæ? Parcite mihi quæso, Eminentissimi Patres, parcite res, quam versamus, nimium quantum Sacræ nostræ Religioni, imo Ecclesiæ importat universæ; veritas una est, certa est, sed authoritate ac Judicio vestro universo Orbi, revelata facie promulganda, adeste ergo, sic obtestor: adeste Eminentissimi Patres, & Domini mei animis & attenta mente pensate quæ dicturus sum. Ponamus casum Bullam aliquam ab uno Pontifice editam, confirmari ab alio successore, & hanc iterum à tertio Pontifice, & sic successivè loquendo de multis: hoc posito, peto, an non, dato casu quod prima, aut perieret, aut planè interiret, illa per secundam, & hæc in eodem perditionis casu per tertiam, & sic successivè de quarta, quinta, &c. sufficienter maneret comprobata ac confirmata? Utique Eminentissimi Domini mei, utique.

Quo anno Bulla Sabbatina publicata fuerit?

Jam ad rem nostram, JOANNES XXII. Pontifex O. M. anno 1322. dedit nobis Bullam Sabbatinam, hanc postmodum confirmavit ALEXANDER V. & ambas iterum CLEMENS VII. hanc CLEMENTIS rursus fuit confirmata à GREGORIO XIII. Hæ quatuor optimæ probant primam, quæ in illis æquivalenter subsistit. Ecce veritas petra illa est, suprà quàm per tria integerrima sæcula, fundata fuit eximia illa tot Ordinis nostri Religiosorum pietas, populorum per universum Orbem credulitas & Mariana devotio. Hac veritatis petra solidò veluti fundamento insistentes Pontifices summi, privilegia Apostolica Ordini nostro concessa confirmarunt, complures per Orbem Ecclesiarum Antistites, ut authentica admiserunt, Cæsares, Reges, Principes benignè foverunt, Verbi DEI Præcones publicarunt: Celebriores Christiani Orbis Scholæ, Academiæ, Universitates ijsdem subscripserunt: parum dixi, super hac ultimarum harum Bullarum fundamento, reperiuntur canonicè erectæ, constitutæ atq; aggregatæ, mille in locis sacræ Congregationes & Confraternitates, innumerabiles constructæ Ecclesiæ, consecratæ altaria, &c.

oratoria & sacella sub glorioſiſſimo nomine beatiſſ. V. MARIÆ de monte CARMELO, pro ut videre eſt per totam Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Germaniam, Poloniam, Perſidem, ad ipſa uſq; Mexicana & Peruana alteriùs propemodum Orbis Regna. His accedit, quod hoc ſuper fundamento, tot per univerſum orbem celebrantur, & fiunt ſacrificia, elevantur hoſtiæ, fiunt orationes, & eleemoſynæ, publicæ inſtituuntur ſupplicationes ac proceſſiones, prout teſtor me hiſce meiſmet oculis, dum hic in Urbe moror, tam ad templum noſtrum divi Martini de Montibus, quam ad D. Chryſogonum ſpectaſſe devotum populum una cum pluribus Eminentiſſimis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, alijſque Prælatis; Magnatibus item & Principibus, Comitibus & ſub labaro ſanctiſſimæ V. MARIÆ de monte *Carmelo* ad proceſſionem conſueuiſſe confluere, ita ut perſonarum numerus viginti millia facile excederet. Sed agedum autographum Bullæ noſtræ deperierit, aut interierit. Quid quæſo, Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini mei, quid quæſo jam agendum, aut faciendum? quid concludendum, ſi confirmationibus *Alexandri V. Clementis VII. Gregorij XIII.* addam ſanctiſſimi Domini noſtri *Pauli V.* qui in navicula Petri nunc temporis ad clavum ſedet, & Bullam *Gregorij XIII.* approbat, non ſtatur, non creditur? tantarum (ut dictum eſt) rerum fundamentum corruet, & una cum illis planè evertetur. Ne ergo hoc fiat, confirmationibus illis ſtandum erit, & quam in originali pro tempore exhibere non poſſumus Bullam *Ioannis XXII.* in noviſſimis hiſce Summorum Pontificum Bullis ſuſpiciamus, & veneremur. Romanorum Pontificum Bullas, ut ſingularia *Paradiſi oracula* ſuſpicienda, ſuſcipiendaque monuit jam olim Concilium Milevitanum ſub *Innocentio I.* anno 402. celebratum; audiamus ergo, quæſo, tantorum Eccleſiæ Patrum monitum, & Bullam JOANNIS XXII. tot ſummorum Pontificum diplomatibus confirmatum, ut Paradiſi oraculum ſuſcipiamus, ſuſpiciamuſque, prout eam ſuſcipiendam & agnoſcendam dixerunt, & docuerunt viri in toto Chriſtiano Orbe, qua ſcientia & eruditione, qua pietate ac virtute clariſſimi.

175. Quid ſenſerit de

JOANNES de Carthagena, pius æque ac eruditus hujus noſtri ſæculi Scriptor, interrogatus Romæ, quid de Bulla noſtra *Ioannis XXII.* ſentiret, in hæc verba reſpondit: *Chriſti Vicario in terris, IOANNI XXII.*

Bulla Sabbatina *Ioannes de Carthagena ?*

Pontifici B. Virgo apparuit, ei præcipiens ut evulgaret Carmelitis Fratribus, & omnibus cum illorum SCAPVLARI sepulturæ traditis, & purgatorij ergastulo detentis, meritis & assiduis intercessionibus, pijsque suffragijs, ac singulari ejusdem Virginis protectione, Sabbato post eorum obitum liberationem concedi. Hæc tum celebris ille Doctor respondit. Et eadem postmodum *Tomo 4. Bo miliarum suarum de Arcanis Deiparæ MARIÆ de monte Carmelo* inserta & typis mandata, in Orbem universum emisit.

Quid Universitas Bononiensis ?

Universitas quoque Bononiensis per P. Magistrum Virginium Bentivolium hac super re consulta, per P. Magistrum Paulum Fraxinellum S. T. D. de Collegio, Augustinianum sic respondit. *Ego P. Paulus Fraxinellus, Augustinianus S. T. Magister & Doctor Collegiatus, a Patrio gymnasio Sacræ Theologiæ Publicus Lector, atteſtor post maturam discussionem nostræ Vniversitatis responsum esse sub tali forma: Cum Bulla IOANNIS XXII. plures, illasque canonicas præseferat summorum Pontificum confirmatorias Constitutiones, nec ullo unquam tempore revocata fuerit, illam adhuc in suo robore manere.*

Subscripserunt:

M. Adrianus Farina, Ordinis Servorum.
Hannibal Malvetius, Canon. Metropol Eccl.
M. Dominicus Istrianus, Ordin. Prædicat.
M. Ambrosius Morandus, Canonicus Regularis S. Salvatoris.
M. Ioan. Bapt. ab Horto, Canonicus Collegiatus S. Petronij ac publ. Lector.
M. Bonifacius de Scyllis, tertij Ord. S. Francisci, & alij Magistri prædictum, anno 1609.

Quid Salmanticensis ? Videatur circa hoc Thomas à JESU *lib. 2. de Confratern. cap. 3.* & ea quæ diximus *supra Cap. 9.*

Concinunt Theologi Salmanticenses hac de causa consulti, sic per Doctorem Mantium subjectum dedêre responsum: *Ego Doctor Mantius, Primarius Theologiæ Cathedraticus, in Vniversitate Salmanticensi, censeo Confratres Ordinis B. MARIÆ V. de monte Carmelo posse per indulgentijs concessis à IOANNE XXII. ALEXANDRO V. ac CLEMENTE VII. quoniam nec Concilium Tridentinum, nec proprius Motus PII V. obstat, quominus possint ijs dicti Confratres frui.* M. Mantius.

Subscripserunt & alij ejusdem Universitatis Doctores huic sententiæ.

Cum ergo causa nostra tam solidis nitatur fundamentis, firmetur argumentis, tantis collustretur rationum authoritatumve splendoribus, tot fide dignissimis comprobetur testimonijs, quid super alio

aliud Eminentissimi Reverendissimique Patres ac Domini mei, nisi ut benevolentiæ vestræ favonius tam justæ causæ faveat, sacramque Carmeli Religionem in perantiqua sua manuteneat possessione. Æqua per omnia est causa nostra, prætensiones justæ, manifestæ & rectæ; sit quæso, possessio quoque ut antiqua, sic secura. Hoc pacto & facto, Eminentissimi Domini, afflictissimas purgatorij animas solabuntur: sacram DEIPARÆ recreabunt Religionem, tot tantasque per universum Orbem erectas Carmelo-Parthenias Confraternitates restaurabunt, & demum ipsam Cælorum Reginam, Carmeli Dominam ac Purgatorij Advocatam, singulari prorsus honore afficient.

Hic dicendi finem fecit Pater Commissarius, quo cum & hujus diei consultatio suum accepit.

Fuêre quidem post hanc aliæ plures hac super re conventiones & consultationes habitæ, eas tamen, ne æquo longior sim, hic referre non juvat. Unum quod in rem nostram mirificè facit paucis referam.

176. Ad celebrandum Festum B. M. V. de monte Carmelo complures convenîût Cardinales ac Prælati apud Carmel. Discalc. Romæ & quid ibidē animadversione dignum acciderit?

Ad diem 15. mensis Julij anni præfati, qua profestum Commemorationis solemnis beatiss. MARIÆ V. de monte CARMELO universa Carmelitana Religio festivè agit, pro primis vesperis dictæ Solemnitatis ad religiosissimum Conventum Carmelit. Discalceatorum in Urbe, Sanctæ *MARIÆ de Scala*, dictum, confluxerant plures S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Videlicet; *Cardin. S. Cæciliæ, Cardin. Millinus, Cardin S. Eusebij, Cardin. Caraffa, Card. Serra, Card. Iustinianus, Card. Dante, & Card. Bandinus*, una cum pluribus alijs Curiæ Romanæ Prælatis, qui omnes post prædictos purpuratos Patres primò Ecclesiam, deinde Chorum nostrum subierunt, & hic casus accidit, quem referam. In jam dicto Choro Fratrum quispiam DEO, Divaque indubiè sic disponentibus, libellum divini Officij Ordinis nostri apertum sedili impositum reliquerat, & ita quidem, ut prima, quæ oculos incurrebat, pagella titulum *Commemorationis Solemnis Beatiss. Virgin. MARIÆ de monte CARMELO* præferret: hunc ut forte fortuna vidit *Cardin. S. Cæciliæ*, illicò in manus sumpsit, & quæ in eo circa tunc occurrens festum Commemmorationis solemnis continebantur percurrere volens, incidit in secundi nocturni lectiones, quas legens, relegensque, & attentiùs ponderans in stuporem actus, totus exultabundus, sic elata voce Purpuratos sibi præsentes Collegas suos affatur: *Quo Eminentissimi Domini mei, quo plures labores? quid diutius quæritur?*

tur? quid amplius consultatur? En tibi Patrum Carmelitarum causam brevibus, & paucis periodis, lectionibus hisce contentis, solidè decisam ac manifestè definitam: cum hæ lectiones ab Eminentissimo Card. Bellarmino examinatæ, probatæ ac subsignatæ fuerint, atq; ab Eminentiss. Dominico, Episcopo Ostiensi, Cardinali Pinelli, sacræ Congregationis præside, authoritate Pontificia confirmatæ, & subscriptæ existant: ad Iudicium vestrum sapientissimum appello. Sumite, amabo vos, sumite librum hunc, legite, pensate cuncta, & invenietis in hac causa omnis difficultatis nodum, qui plusquam Gordius videbatur optimè resolutum. Unus ergo Prælatorum aditantium assumpto libello, audientibus reliquis, clara voce, dictas lectiones legit, &c. in quibus & hæc, in ordine SEXTA. *Non in hoc tantum sæculo Ordinem tam sibi acceptum multis prærogativis beatiss. Virgo insignivit: verum & in alio (cum ubique, & potentia & misericordia plurimum valeat) Filios in SCAPULARIS Societatem relatos, qui abstinentiam modicam, preceſque paucas eis præscriptas frequentarunt, & pro sui status ratione castitatem coluerint, materno planè affectu, dum igne purgatorio expiantur, solari & in cælestem Patriam obtentu suo QUANTOCIUS piè creditur efferre. Tot ergo tantisque beneficijs Ordo* (Carmelitarum) *cumulatus, solemnem beatiss. Virginis MARIÆ Commemorationem, ritu perpetuo ad ejusdem Virginis gloriam quotannis celebrandam instituit, Via*

Confirmatur Bullæ Sabbatinæ privilegiũ ex lectionibus divini officij à Sede Apostolica approbatis.

lectioni suæ finem dederat Prælatus, cum omnes ibi præsentes, & audientes, tam Cardinales, quam Prælati uno ore dicerent, Divinam omnino Providentiæ ac dispositionis opus fuisse, quod libellus hic manus & oculos eorum incurrerit, manifestè se jam videre, SS. Virginem ut piam Matrem hujus causæ suscepisse patrocinium; proinde vocatis Conventus Patribus, eos, ut ferventiùs ex hoc nunc orationibus, alijsque pijs operibus insisterent, quo patrocinium hoc Parthenium, & potentissimum amplius promererentur, & optatum tandem causæ suæ (qui ex hoc nunc instare videbatur) finem tanto citius acciperent.

Et proxima quidem consultatione, tam præfatæ lectiones, quam Bulla *Gregorij XIII.* una cum reliquis rationibus, momentis & fundamentis fuere à Patre Commissario præsentata, & ab ipsis Con-

fes-

ſultoribus examinatæ, & licet ſententia definitiua mox ſubſecuta non fuerit; tandem tamen pientiſſima Matre, ſemperq; benedicta Virgine MARIA, ad ſolatium ſervorum ſuorum, ſic agente, felix illa illuxit dies, quæ ſua Carmelo reddidit decora, ſua Mariano Sodalitio corroboravit privilegia, ſua Purgatorio ſervavit ſolatia. Fuit hæc undecima Februarij anni 1613. quo totus Carmeli Ordo ſanctiſſimam illam Virginem, & quondam alumnam ſuam EUPHROSYNAM particulari Eccleſiæ officio condecorat. *Euphroſynæ* quippe nomen Græcum latinè redditum *lætitiam* ſonat, & quæ maior lætitia Carmelo potuiſſet tunc obvenire, quam illa fuit, quæ ſanctæ *Euphroſynæ* dies eidem attulit: in qua videlicet Reverendiſſimus ſacri Apoſtolici Palatij Magiſter in ſanctiſſimæ inquiſitionis palatio, authoritate Sanctiſſimi Domini noſtri *Pauli V.* Pontif. O. M. deſideratum cauſæ noſtræ finem impoſuit, promulgando decretum definitivum ac terminativum ſeu potius confirmatorium noſtræ juſtiſſimæ antiquiſſimæque, prætenſionis ac poſſeſſionis privilegij Sabbatini. Decreti hujus tenorem, quia ſupra *cap. IV. num.* 98. retulimus, hic repetere ſuperſedemus.

Definitiva tandem Apoſtolica authoritate ſententia fertur comprobans Bullæ Sabbatinæ privilegiū.

TALIS ac tanta fuit in toto Luſitaniæ regno (ut præteream alia Chriſtiani Orbis regna & provincias) maximè Vlyſipponæ univerſi populi gaudium & exultatio, ob confirmatum ab Apoſtolica Sede Sabbatinum privilegium, ut vix verbis exprimi queat. Et ſicut incomparabilis fuerat mæſtitia, quam omnes ferè ſenſêre Fideles, maximè Carmelo-parthenij Sodales, ob ſuſpenſam ab Inquiſitore Bullam Sabbatinam, ita quoque ineffabilis fuit lętitia, quam percepêre de illius reſtitutione, ac confirmatione, quod ſatis ſuperque demonſtrarunt in illa anno 1613. die 16. Julij, tanto cum apparatu & pompa, celebrata Feſtivitate *B. V. MARIÆ de monte* CARMELO. Inciderat quidem eo anno 16. Julij in diem ferialem, verum ab univerſo Clero populoq; velut Feſtum aliquod Paſchale, ac de pręcepto cum omnimoda ab omni ſervili opere ceſſatione celebrata fuit: Proceſſioque adeo ſolemnis habita, ut illa in Urbe noſtra ætate ſimilis viſa omnino non fuerit.

177. Incomparabilis Fidelium exultatio ob confirmatum Sabb. Privilegium.

Quam Solemnis ea occaſione Ulyſiponæ Proceſſio celebrata fuerit?

Hæc principium ſumpſit hora prima poſt meridiem, per egreſſum è noſtro Carmelit. Diſcalceatorum templo, cui etiam ijdem Diſcalceati (quod alias ex privilegio Apoſtolico non ſolent) interfuêre: &

circa octavam vespertinam primùm finem accepit, per ingressum Ecclesiæ Carmelitarum de observantia. Splendorem ejus atquè apparatum, magnificentiam atque pompam, prorsus insolitam, atque plane basilicam, compendio conscriptam, Lector reperiet apud prefatum P. Joan. Pintum *Loc. cit. cap.* 5. Qui tradit etiam dicto supra controversiæ tempore, reperta fuisse Romæ supra quadraginta millia Confratrum Mariani SCAPULARIS: & numerum Sodalium, qui Viterbo ponæ quinque solum annorum spatio admissi fuerant excessisse viginti millia. Matriti vero & Valentiæ in Hispania, & Neapoli in Campania, illa tempestate, ob innumeram Carmelo-partheniorum Sodalium multitudinem, numerum eorundem iniri non potuisse.

Non minùs celebrem à Carmelo-Parthenijs Sodalibus habitâ Romæ, licet alia occasione, refert P. Gregorius Nazianzen. in *Adoptione Parthenia Part.* 2. *Cap.* 19.

Observat præterea idem Author, inter Romanos Sodales, eo tempore parthenium SCAPULARE gerentes, fuisse ipsum SS. Patrem N. PAULUM V. & Eminentissimos Cardin. *Garciam* Millinum Vicarium Generalem Urbis, *Aldobrandinum*, *Arigonium* Secretarium supremæ ac generalis inquisitionis, *Farnesium*, & *Savellium*; ejusdem Confraternitatis nostræ in Urbe Præfectos, *Ascoli* Dominicanum, *Altalium*, *Tabernam*, aliosque non paucos è purpuratorum Patrum collegio: quibus accensetMarcus Antonius de Casanate Reverendissimum P. *Claudium Aquavivam* Societatis JESV Præpositum Generalem, aliosq; Religionum Proceres.

Nota innumerum eo tempore Confratrũ numerũ, in Hispania maximè, atq; italia. In *Paradiso Carmel. stat.* 18. *Cap.* 159.

LECTORI.

178. VERBO te volo. Incidit haud ita pridem in manus meas Opella quædam Venerab. *P. Joannis à* JESU-MARIA Calaguritani, inscriptâ, *Synopsis rationum, quibus Bullæ Sabbatinæ privilegium asseritur: & oppositorum argumentorum resolutio, cum Expositione ejusdem Bullæ, ac annotationibus in eandem*; quæ diligentiam effugit meã, dum omnes *posthumos* ejusdem Sapientiss. P. *libros* & *Tractatus*, insigni pietate, ac multiplici eruditione refertos in *unum* collectos ac digestos *Tomum*, Coloniæ anno 1650. in lucem ederem; qui *Operum* ejus *Tomum quartum* constituunt, numeranturque 23. verum, quia præfatum opusc. mirificè ad rem nostram face-

facere videtur, nostroque hic instituto apprimè servire valet: & ne ullus tanti viri, ac de Ecclesia DEI, Carmeliq; Religione suis lucubrationibus optimè meriti, labor ac partus intereat (*cujus ne breuem quidem schedulam*, sic de eo, ejusq; scriptis censuit eximius ætatis nostræ Antistes, *deperire æquanimiter ferendum*) consultum duxi, illud in calce hujus secundæ partis subjungere. Animadvertendum vero est, quo facilius pleniùsque, quæ hic subjiciuntur percipiantur, ven. Patrem, ea, de qua in præsenti disseruimus, tempestate, hanc opellam conscripsisse.

SYNOPSIS RATIONUM, quibus BULLÆ SABBATINÆ privilegium asseritur.

Capita, quæ in hoc Tractatu ad sacram Theologiam, & utrumq; jus pertinent, seorsum in alijs Tractatibus longioribus expenduntur, ubi probatur nihil objici, quod Theologiæ, aut sacris Canonibus adversetur.

RATIO *prima* petitur ex ipsa Bulla Sabbatina JOANNIS vigesimi secundi, quæ licet modo non inveniatur, ob casus varios Archivi Avenionensis, suppetunt tamen tot argumenta ex jure ipso petita, ad fidem faciendam, ut à nemine in dubium revocari debeat, eo quippè ipso periret fides aliarum rerum Ecclesiasticarum, quarum originales litteræ Apostolicæ similibus ex causis deperditæ sunt, vel consumptæ, quibus tamen fides habetur, propter juris remedia, & Transumpta ad Originalium defectum supplendum destinata, eandem authoritatem cum Originalibus habitura. Accedit ad hoc authoritas ALEXANDRI V. qui in prædicti privilegij confirmatione ait, *se ipsum Originale vidisse, ac diligenter inspexisse*, & profectò unius summi Pontificis asser- 179.

tum

tum per Ecclesiam evulgatum, ad fidem Originalis astruendam, magni ponderis est.

Ratio secunda ex confirmatione summorum Pontificum ALEXANDRI V. & CLEMENTIS VII. qui certè CLEMENS Bullã prædictam non modo approbat, & innovat, sed, si opus est, denuò concedit. Adest & approbatio PII V. & GREGORII XIII. *ex certa scientia*. Ecce quatuor summorum Pontificum confirmatio: cujus secundum jus est duplex effectus: alter supplere defectus antecedentes, alter removere necessitatem exhibendi Originalia, quod utriusq; jurisconsultis benè compertum est.

Ratio tertia ex consuetudine antiqua, summis Pontificibus scientibus & consentientibus non solùm nota, sed grata, & (quod fortius est) expresse ab ijsdem approbata. Quæ, quantam in jure vim habeat, exploratum est, cum consuetudo Principibus nota, & probata vim legis obtineat, & perinde sit talis consuetudo, ac si expressis verbis de eadem re lex lata fuisset.

Ratio quarta ex titulo præscriptionis immemorialis, cujus sunt multiplices effectus. *Primo* enim (ut jurisconsultis perspectum est) excludit omnem actionem contra rem præscriptam. *Secundo* habet vim assensus superioris. *Tertio* ipsa est titulus, vel ita efficax, ac si titulus esset. *Quarto* habet vim Privilegij â Principe concessi. Quocirca vel sola sufficere posset ad prædicti Privilegij confirmationem, cum sit trecentorum circiter annorum bona semper fide decurrentium.

Ratio quinta ex titulo pacificæ possessionis, pro qua, si antiqua, sit, stat præsumptio veritatis, ita ut pro titulo rei possessæ, ipsa possessio antiqua habeatur (quin & privilegio æquiparetur) possessio autem pacifica dicti Privilegij per trecentos ferè annos procurrit, ut jam in titulo præscriptionis assertum est.

Ratio sexta componitur ex communi sententia Doctorum Academiæ Salmanticensis, qui de re hac interrogati, Bullam Sabbatinam bene exploratam concorditer approbarunt, ex authoritate quoque Episcoporum, & Inquisitorum, qui in diversis Christiani Orbis partibus illam examinarunt, concesseruntque, ut typis mandaretur imago, qua prædictum Privilegium expressum est.

Ratio septima ex occasione malè opinandi de summis Pontificibus,

bus, si prædictum Privilegium reprobaretur: excitarentur enim non solum animi, sed & linguæ multorum, ut malè opinarentur de multis summis Pontificibus prædicti Privilegij confirmatoribus, quasi fefellerint populum Christianum, dum res falsas confirmarunt, & varias indulgentias prædicari, typis mandari, in ipsa alma Urbe insigne Societatis, seu Confraternitatis beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo, cum Privilegio depicto circumferri, & in Ecclesijs ipsis pingi permiserunt. Etenim, si hæc falsò nituntur fundamento, non crescet Catholicorum æstimatio erga pietatem, & rectam gubernationem Ecclesiæ, quæ de summis Pontificibus habenda est.

Ratio octava ex hæreticorum maledicentia. Quomodo enim hæretici non pejus de Pontificum dignitate & providentia sentient, & loquentur, si res antiquas, pias, probatas, & confirmatas à multis Pontificibus audiant nunc impugnari, & à summo Pontifice reprobari? Profecto ex hac occasione pejores fient, & licentiùs detrahent, & Sedem Apostolicam, universamque Ecclesiam, quasi per annos trecentos in re gravi seductam deridebunt.

Ratio nona ex scandalo Confratrum. Constat scilicet per universam Ecclesiam, Societatem beatiss. Virginis de Monte Carmelo prædictæ Bullæ Privilegio allectam, esse numerosissimam, ac plurima opera pia ea de causa excercere; per singulas quippe hebdomadas feriis quartis, & Sabbatis plurima ex utroque sexu millia hominum à carnibus abstinent, continentiæ peculiarem curam gerunt, preces Canonicas persolvunt, Sacramenta & alia pietatis opera frequentant. Quis ergo non videat, grave scandalum imminere, graveque damnum inferri populo Christiano, si prædictæ Bullæ Privilegium infirmatur, cum tot, tantaque opera pia ex pia fide Privilegij dependeant? Ad hæc quo dolore afflictabuntur, qui totius vitæ suæ decursu, pia Privilegij fide subnixi, assueverunt abstinentiæ, & precibus in beatiss. Virginis cultum directis, si audiant se falsa credidisse? Profecto scandalum satis grave videtur, quod præcaveri debeat.

OPPOSITORUM ARGUMENTORUM RESOLUTIO.

Subjecta argumenta in alijs Tractatibus longioribus exactiùs expenduntur & refelluntur.

180. PRIMUM Argumentum tres continet partes, in quarum prima objcit quidam Theologus, Bullã esse fictitiã, ex absurditate promissionis D. Virginis, dum ait: *Ego Mater gratiosè descendam Sabbato post eorum obitum, & quotquot inveniam, liberabo, & eos in montem sanctum vitæ æternæ deducam.* Ubi de descensu ad purgatorium loquitur. Nec potest explicari de descensu mystico, quia, *descendam*, *inveniam*, *liberabo*, innuunt descensum realem. Hæc est prima argumenti pars.

RESP. Non esse absurdam D. Virginis promissionem, quia descensus ille est moralis, tametsi congruant verba descensui reali: quod Theologis usitatum est, dum sæpè eisdem verbis utuntur ad significandas causas, vel effectus reales, & morales; ut cum definiunt sub eisdem verbis per Sacramenta gratiam conferri, sive physicè, sive moraliter intelligatur. Sic B. Virgo dicitur *descendere*, *liberare*, &c. morali modo per effectum, seu virtutem suæ intercessionis. Potest quoq; physicè, sive realiter accipi, sicut piè creditur sæpè ad terram descendisse. Neq; obstat, quod tunc abesset à curia cælesti, id quippè non efficaciter infertur, cum probabilis Theologorum opinio sit, idem corpus esse posse circumscriptivè in pluribus locis. Verum prima descensus interpretatio etiam vulgò familiaris est: ut cum dicimus summum Pontificem pium, ac liberalem, in carcerẽ passim descendere vinctosq; liberare, non scilicet corporis, sed clementiæ descensu.

Videantur quæ de hoc dixim⁹ supra *Cap.* 13. *n.* 161. *& seq.*

In secunda parte argumenti sic ait: Tum, quia Pontifices solent uti in suis Bullis, verbis in sensu proprio, & non metaphorico.

Resp. primò, si hoc universè intelligatur falsum esse, ut ex multis Bullis evincitur. *Resp. secundo* familiare esse Prophetis, & ijs, qui revelationes describunt, metaphoricè loqui, ut ex Apocalypsi, & multis alijs Sanctorum libris patet. Profectò, qui visa divina referunt, sæpè inducunt Christum, vel B. Virginem, vel sanctum tutela-

rem

rem dicentem : *Ego te visitabo, ad te revertar, ad te descendam*, aliaq; similia, quæ à Theologis, rerum spiritualium benè peritis, non de reali descensu, aut reditu necessariò accipiuntur, sed de morali descensu æque intelligi solent, quando scilicet Christi, aut B. Virginis virtutem peculiari sensu viri pij percipiunt.

In tertia parte argumenti sic ait : Tertiò, quia auxilium specialium precum suarum piè credimus ipsam B. Virginem præstare omnibus suis devotis, & non solum Fratribus istis.

Resp. Verum esse, quod objicitur : at non esse ad rem de qua agitur. Non enim omnibus, quibus B. Virgo specialibus favet precibus, facta est ea promissio, quæ specialius quoddam Privilegium est.

Secundum Argumentum sic habet : Secundo probatur ex falsitate alterius promissionis D. Virginis ad Joannem, dum ait, (*a tuo te eripiam adversario*) de quo adversario loquitur hic ? Non de dæmone : nescimus enim, utrum ab isto fuerit liber. Non de Nicolao, scilicet Antipapa, quia iste jam erat mortuus ante annum quintum *Ioannis*, & Bulla expedita fuit anno sexto. Non de Bavaro, quia iste vixit multos annos post mortem *Ioannis*: Ergo falsa est ista promissio. 181.

Resp. Promissionem verè impletam esse. Nam quod attinet ad Antipapam, *Ioannes* illum conjecit in carcerem, ubi interijt : non ante annum quintum, (ut objicitur) sed post annum decimum quintum, ut Platina, Ioannes Villanus, & alij : fuit liberatus à Bavaro, qui ob calamitates multas, relicta Italia, secessit in Germaniam ; fuit denique (ut piè creditur) liberatus à dæmone, utpote is, de cujus pietate, constantia, prudentia, & doctrina Scriptores multa prodiderunt, quæ tanti viri salutem piè credendam evincunt.

Tertium Argumentum continet partes duas. In prima sic ait : Tertio ex illa propositione erronea, quod, (*qui sanctum intrabit Ordinem*, scilicet Carmelitarum, *salvabitur*.) tunc namque nullus Carmelita damnaretur. Glossant : intrabit, & servanda servabit. At Glossa hæc non facit ad solutionem, quoniam ista servanda sunt, vivere in obedientia, paupertate, & castitate, quæ tria sunt in altero disjunctivo membro (*qui in sancta perseveraverit obedientia, paupertate & castitate, vel sanctum intrabit Ordinem, salvabitur.*) En, quod per solum Ordinis ingressum valent salvari, cum cætera omnia observanda reducantur ad illa tria, sine quorum trium observantia non possent profectò salvari. 182.

Resp. Sinceram & textui benè congruentem interpretationem verborum illorum, quæ objciuntur, esse hanc: *Qui in sancta perseveraverit obedientia, paupertate, & castitate, salvabitur*; quod de Professis, qui vota solemnia emiserunt, & perseveranter observârunt intelligendum est. Illa verò verba, *vel sanctum intrabit Ordinem*, accipienda sunt de Novitijs, qui nec vota emiserunt, nec ad proprium statum Monasticum, qui sine votis non consistit, pervenerunt, sed sunt in quodam Religionis ingressu. His tamen promittitur salus, nimirum, si servanda servant. Neque obstat, quod inter servanda numerentur tria illa posita in altera parte disjunctivè, quia ratio est longè diversa: nam in prima parte ponuntur illa tria, ut per votum DEO consecrata, atque ita ex voto ad salutem necessaria in Professis. In secunda verò parte subintelliguntur, ut opera supererogationis nondum ex voto debita, qualia congruunt Novitijs. Quod autem illa verba (*qui sanctum intrabit Ordinem salvabitur*,) intelligi debeant servatis servandis, ex usitato sacræ scripturæ more patet, ubi sæpe salus promittitur alicui actui, vel operi, cum quo solo, si nihil addatur, salus constare non potest. Ut *Marci* ultimo: *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Hæc de prima parte.

Secunda pars argumenti sic se habet. Amplius, memini me alias audivisse, dici â probatis Theologis: nulla ferè propositio est adeo hæretica, quin per aliquam distinctionem, & Glossam non possit ad sensum reduci Catholicum, sed Superiores nostri optimo jure animadvertere consueverunt, ne pronuncientur â quopiam ita simpliciter, & nudè propositiones illæ, quæ prima sua facie malè sonant, ut ista.

Resp. primo. Non minus frequenter â viris peritis dici, nullam propositionem esse adeo Catholicam, quæ ab ijs, qui sunt ingenio ad impugnandum proclivi, non soleat sub aliqua distinctione impugnari, ex hoc tamen nihil obtinet impugnator in præsenti causa.

Resp. secundo propositionem Bullæ in argumento factam, non esse ex illarum numero, quas Superiores reprobarunt, aut reprobare potuerunt. Quoniam propositiones, quæ doctrinam aliquam prima facie præseferre videntur, si sint sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum, Antiquorum, & graviorum doctorum, semper solent, & debent piè exponi, non verò damnari. Hujusmodi verò est propositio B. Virginis allegata, â multis summis Pontificibus,

cibus, alijsque Superioribus approbata, antiqua, & semper â viris pijs piè credita, & intellecta.

Quartum Argumentum. In quo objicitur varietas Transumptorum in hæc verba. Bulla Ferrariensis incipit, *Vt Sacratissimi montis*, Summarium Mediolanense, *Sacratissimo uti culmine* II. Bulla Ferrariensis demonstrat visionem factam fuisse *Ioanni* postquam erat Papa: Florentina autem antequam esset Papa. III. Summarium Florentinum ait: *Ho visto la devotione, che tu mi porti, pero ti farò ascendere nel piu alto stato della Chiesa:* de hoc autem nihil habetur in Bulla Ferrariensi. IV. Bulla Ferrariensis dicit, quod hæc gratia obtinebitur, castitatem promittendo, &c. quæ promissio videtur quoddam votum, Summarium autem Florentinum dicit, quod Confratres servent puritatem status sui. V. Summarium Florentinum dicit, quod Confratres teneantur dicere horas Canonicas secundum ritum Carmelitarum: Ferrariense autem ab hoc onere eos eximit. 183.

Resp. Virum istum esse dignum excusatione, quia Transumpta antiqua non vidit, quæ conformia sunt, & habentur in promptu, ut veritas ex eorum collatione pateat: Summaria nihil obstant, cum non sint ipse textus Bullæ, sed compendia, pro vario observatoris intellectu diverse composita. Diversitas quoque opinionum in expositione Bullæ, quoad onera, quæ Confratribus imponuntur, nihil obstat, alioquin obstaret veritati diuersitas multiplicis interpretationis in eodem textu juris, quin & ipsius Sacræ scripturæ.

Quintum Argumentum sic habet: Quintò ex stylo Bullæ: Stylus enim *Ioannis* vigesimi secundi est valde gravis, ut videre est in corpore juris: hujus autem Bullæ est satis levis, & vulgaris. Quare primo contra morem sacrorum Canonum appellat Confraternitatem sæcularium titulo *Religionis* & *Ordinis*, quando dicit, *Sanctam ingredientur Religionem*, præfatum *intrabunt Ordinem*. 184.

Resp. Stylum insolitum esse, ut sic occasioni & affectui *Ioannis* congruat insolito. Quocirca mirum non est, si *Ioannes* â seipso alia scribente discrepet: animus quippe divino sensu, & affectu emollitus sermonis simplicitatem eloquentiæ præponit, ut videre licet in multis Patribus, qui dum flagrarent devotionis sensu, pia opuscula simplicius scripserunt, quam reliqua opera; quin etiam, & in alijs operibus, cum possent ornatè loqui, Barbarismis â consilio usi sunt, ut ex uno

Gregorio periti Theologi norunt, quod pietati adscribendum est. Huc accedit efficax ratio, quod *Ioannes* non ut author sermonis, sed ut exceptor, aut relator, refert non modo visionem, sed verba quoque B. Virginis, quæ mutare non debuit: immo debuit verba, quæ ipse adjecit, stylo ejusdem Virginis aptare: quod certè pietati, & pio affectui consentaneum est. Ad alia, quæ objiciuntur, *Resp.* Nihil obstare, quod B. Virgo Confraternitatem sæcularium appellet Religionem, nam & totus populus Christianus, Theologicè agendo, eo nomine potest, & solet nuncupari; præterquam quod verba proximè antecedentia, & subsequentia Virginis sensum exponunt, dum sic legitur: *si alij devotionis causa in sanctam ingrediantur Religionem, sancti habitum signum ferentes, appellantes se Confratres & Consorores mei Ordinis, &c.* ubi sensus planior est, quàm ut expositore indigeat. Accedit, quod Confratres varijs in Provincijs, se Religiosos appellant, passim dicentes, *Ego sum Religionis sancti Dominici: Ego sancti Francisci.*

Argumentum procedit ulterius, per hæc verba: secundò dicit: *Fratres verò professi dicti Ordinis à supplicio solvantur & culpa*, ubi ly *supplicio*, ponitur pro pœna, quod sacris Canonibus videtur insolitum. Appellat etiam eos professos in primo die eorum ingressus.

Resp. Ad primam objectionis partem, magis discrepare culpam à pœna quàm supplicium à pœna, & tamen Sacra scriptura utitur nomine culpæ ad significandam pœnam, ut **2. Machab. 12.** ubi asseritur, *sanctam cogitationem esse pro defunctis exorare, ut à peccatis* (hoc est à pœnis) *solvantur.* Quâ etiam phrasi Ecclesia utitur in concedendis indulgentijs: v. g. tertiæ, vel quartæ partis peccatorum: præterquam quod re Theologicè perpensâ nihil obstat pœnam purgatorij dici supplicium, sicut & tormentum. Ad secundam partem dicitur falsum esse, quod obtenditur, ut patet intuenti textum Bullæ, in quâ tres status apertè distinguuntur, unus professorum, alter ingredientium Religionem, sive Novitiorum, alius Confratrum.

Procedit adhuc argumentum in hunc modum: fit quædam proportio improportionata Carmeli montis materialis, cum Paradiso cælesti dicendo: *Sic ille reputatur locus de Carmelo mons* (Ordo videlicet Carmelitarum, *cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando* &c. quibus verbis nulla metaphora potest commodè applicari, & sine metaphora nullo modo potest intelligi.

Resp.

Resp. Verbis Bullæ fideliter relatis contineri aptam metaphoram. Sic enim textus habet: *Sic ille mons reputatur de Carmelo Ordine, cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando* &c. Quorum verborum sensus est, Quemadmodum Chorus Angelorum non cessat dicere, *sanctus, sanctus, sanctus* &c. Sic ille mons reputatur, id est, tanquam alter Chorus Angelorum. Patet autem hîc non de monte materiali, sed de gente divinis laudibus dedita, sermonem fieri, quapropter subjunguntur illa verba, de Carmelo Ordine, qui certè Ordo, ex viris Angelico more viventibus, apta proportione Chorum Angelorum repræsentat.

Procedit ulterius argumentum in hæc verba: Pontifices in suis Bullis, post expositionem causæ, solent aliquid statuere: hic autem nihil videtur statui, sed tota Bulla expenditur in narratione visionis.

Resp. Non expendi Bullam totam in sola narratione, nam ipse objector inferiùs dicit: & demum subjungit Pontifex: *istam indulgentiam ego accepto:* quæ quidem verba ad narrationem minimè pertinent. Nescio autem cur tacuerit sequentia, ex quibus apertè veritas elucescit: sic enim textus habet: *Roboro, & confirmo in terris, quemadmodum IESVS Christus concessit in cælis.* Ecce Pontificis confirmationem, quæ extra narrationem est.

Procedit deniq; , ac finitur quintum argumentum, his verbis: Demum subjungit Pontifex: *istam indulgentiam ego accepto.* Cur non loquitur Pontifex in plurali, ut solent Pontifices facere in Bullis.

Resp. Olim non fuisse usq; adeò exactè observatum hunc morem loquendi semper in numero plurali; & licet is mos semper viguisset, suberat peculiaris causa sic loquendi de re cælitùs accepta, quæ cum à Christo concessa fuisset in cælis, decuit, ut ejus Vicarius humillimis verbis eam confirmaret, & expediret in terris.

Sextum Argumentum ex modo approbandi visionem absq; venerabilium Fratrum suorum consensu, in quo magnum jactantiæ specimen præbuisset, & posset errare quatenus homo, cum hæc sit quæstio de facto. 185.

Resp. Argumentum hoc ex communi jurisperitia refutari, cum falsum sine probatione asseratur; oppositum potius ex jure supponendum est. Nam in rebus antiquis, etiamsi non exprimantur cæremoniæ juris, semper tamen, factæ præsumuntur, ut est communis Doctorum

rum sententia. Ad illud verò, quod ait, Pontificem potuisse errare in hac quæstione de facto, respondetur, in ea quæstione, quò quis melior Theologus, eò modestius loqui. Et quidquid de controversia facti dicatur, certum videtur in hac visione, errorem nullum vel speculativum, vel practicum subesse, ut ex omnium argumentorum solutione perspici potest.

186. Septimum *Argumentum* est prolixum & leve, cujus compendium est, Bullam infirmari à causa frivola: Si enim (ut ille objicit) quis petat à Carmelitis, quare B. Virgo tantum privilegium eis concesserit? respondent, quia gestant Scapulare castaneum Ordinis, quo colore induta fuit beatiss. Virgo: quod est falsum ait quia vetus habitus Carmelitarum erat albus, ut testatur Morigia.

Resp. Hoc argumentum nihil habere ponderis: assumpsit quippe falsum, Carmelitas scilicet asserere causam Privilegij esse gestationē Scapularis castanei sive fusci, nemo enim è doctis, prudentibusq; Carmelitis id unquam asseruit, sed causam concessionis Privilegij in divinam electionem refert: congruentiam verò quandam non soli Scapularis gestationi, sed alijs plurimis pijs operibus ad B. Virginis cultum directis assignat. Quod allegat ex Morigia l. 1. c. 30. falsum est; tam enim hic Author in fine ejusdem capitis, quam alij pertot pallium album, sed tunicam, & Scapulare coloris nativi, quem alij griseum, alij castaneum vulgò appellant, Carmelitis antiquis tribuunt. Quod verò B. Virgo utroq; colore nativo albo, & griseo subnigro induta incesserit, piè creditur: tum ex ratione, quia decuit B. Virginem non uti colore artificiali: tum ex authoritate, quia Epiphanius, Bernardus, Nicephorus, & alij ajunt vestes illius fuisse nativi coloris. Apud B. autem Brigittam *lib. 7. Revelationum cap. 21.* distinctè habetur, exteriorem vestem B. Virginis fuisse albam, tunicam tamen interiorem griseam, seu fuscam fuisse, piè, & congruenter creditur, cum ad obsequia domestica, quæ humillimè exercebat, multò aptior esset.

TRAN.

TRANSUMPTUM AUTHENTICUM

187. BULLÆ Sabbatinæ Romæ in Transpontina asservatum, ante annos centum sexaginta septem descriptum ex Transumpto authentico Bullæ ALEXANDRI V. in qua ad verbum prædicta Sabbatina refertur, quàm ipse ALEXANDER fatetur se vidisse, ac diligenter inspexisse. Hic notandum ex injuria transcribentium irrepsisse pauca quædam errata in aliquot locis, quæ tamen sensum non vitiant. Prænotandum etiam, incuriam vel neglectum interpunctionis in causa fuisse, ut verba minus benè in aliquot locis cohæreant: quod in scripto tam antiquo, & ipsa vetustate alicubi deformato, mirum non est. Prænotandum deniq; stylum esse insolitum, ut congruat rei insolitæ, & consuetudini Sanctorum, qui dum revelationes, piosq; affectus describerent, simplici sermone à consilio usi sunt: præterquam quod JOANNES hic non solùm sententiam, sed verba quoq; B. Virginis referre voluit, quibus debuit sua verba coaptare.

EXPOSITIO.

A. *Ioannes Episc.* &c. est præfatiuncula solita in litteris hujusmodi Apostolicis.

B. *Vt prædictum est.* Scilicet in Transumpto Bullæ ALEXANDRI V. in qua habetur inserta hæc Bulla *Ioannis* ad verbum. Cum ergò, qui transcripsit, posuisset præfatiunculam ALEXANDRI, in eodem Transumpto noluit eam repetere, sed dixit, ut prædictum est, &c.

C. Ut in sacratissimo culmine Paradisi, *tam suavis & dulcis reperitur Angelorum melodia, in modulamine visionis* (hoc est, in cantu, qui celebratur in visione DEI) *dum IESVS paterno Numini* (hoc est, Patris Deitati) *circumspicitur* (hoc est, videtur à Beatis, quasi Regiam majestatem circumstantibus) *adunatus* (hoc est, unum in Deitate cum eodem Patre existens) *dicendo: Domine* (correctior lectio est DICENTE DOMINO) *Ego & Pater*

TEXTUS BULLÆ.

A. *IOANNES Episcopus, Servus Servorũ DEI, universis, & singulis Christi Fidelibus &c.* B. *Vt prædictum est &c.* C. *SACRATISSIMO uti culmine Paradisi, Angelorum tam suavis & dulcis reperitur melodia, modulamine visionis, (dum paterno IESVS Numini circumspicitur adunatus, dicendo: Domine, Ego & Pater unum sumus,*

ANNOTATIONES.

C. Proportio inter cælestem Curiam,

unum sumus, & qui videt me, videt & Patrem meum.

D. *Et* (ut) *Angelorum non desinit Chorus dicere, sanctus, sanctus, sanctus*, (ut inquam hoc agit Angelorum Chorus in cælo ergà DEUM.

E. *Ita Synodus* (hoc est Cætus, conventus, concilium Curiæ cælestis) *non cesset* (optantis significatio est) *laudes effundere celsæ Virgini, dicendo, Virgo, Virgo, Virgo, sis speculum nostrũ*, (quod intueamur) *pariter & exemplum* (quod amando DEUM imitetemur) Ratio ipsa persuadet, *Ioannem* voluisse his verbis exprimere affectum ardentissimum ergà Virginem: propterea cupit cætum Beatorum acclamare Virgini cantico quodam simili Seraphico cantico, quod Græci Τρισάγιον, id est, *ter sanctum* appellant. Reddit autem rationem appositam.

F. *Quoniam munere munitur gratiarum* (esse veluti Turrim gratijs munitam, idonea ratio est, ut ei acclametur.) *Sic sancta canit Ecclesia: MARIA gratia plena, & Mater misericordiæ*, (hoc est, sic Ecclesia congruit Curiæ cælesti, dum cantu suo cælesti Curiæ consonat, fateturq; Virginem esse plenam gratiæ, Matremq; misericordiæ.)

G. *Sic* (hoc est, in eum modum, quo dictum est de Cætu Angelorum:) *ille mons reputatur de Carmelo Ordine, Cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando, & dicendo: Salve Regina, Mater misericordiæ & spes nostra.* (similitudo satis perspicua est: Cætus quippè Monachorum ad laudes divinas celebrandas sociatus cælesti Curiæ simillimus est.) Hucusq; Pontifex suum ergà Virginem affectum, & bonam Carmeli æstimationem exposuit.

H. *Sic* (scilicet ut mox dicam)

& qui videt me, videt & Patrem meum.) D. *Et Angelorum non desinit Chorus dicere, sanctus, sanctus, sanctus*; E. *Ita Synodus non cesset laudes effundere celsæ Virgini dicendo, Virgo, Virgo, Virgo, sis speculum nostrum pariter & exemplum:*

E. Synodus hic etiã potest accipi pro Ecclesia militante, ut sit proportio inter Ecclesiam triumphantem, & militantem, & jusq; partem insignem, hoc est, Ordinem Carmelitarum.

F. *Quoniam munere munitur gratiarum, sic sancta canit Ecclesia: MARIA Gratia plena, & Mater misericordiæ.*

G. *Sic ille mons reputatur de Carmelo Ordine cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando, & dicendo, Salve Regina, Mater misericordiæ, & spes nostra.*

G. Et Religionem Carmelitarum.

H. *Sic mihi flexis ge-*

H. Testatur se mihi

mihi flexis genibus supplicanti Virgo visa fuit Carmelita, (hoc est, Virgo appellata de monte Carmelo) *sequentem affata* (fortasse EFFATA) *sermonem.*

I. *O Joannes, O Joannes Vicarie mei dilecti Filij*, (ex hoc patet à Joanne jam Christi Vicario Virginem visam fuisse.)

L. *Veluti* (hoc est, ut ego,) *à tuo te eripiam adversario*, (scilicet Antipapa, seu Bavaro, seu Dæmone, seu omnibus &c. *(Et ut) te Papam facio*, (correctior lectio est FECI, ut requirit ipse contextus) *meis adjuvantibus supplicationibus Filio meo petitis*, correctior lectio est, A FILIO MEO PETENS, *quod gratiosè obtinui.*

M. *Ita gratam, & amplam meo sancto, ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere*, (fortasse PIE CONCEDERE,) *per ELIAM & ELISEVM in monte CARMELI inchoato.*

N. *Quod unusquisque, qui professionem faciens Regulam à meo servo Alberto Patriarcha* (Jerosolymitano) *ordinatam observabit, & inviolatam obtinebit, & per meum dilectum filium Innocentium* (scilicet quartum) *approbatam.*

O. *Debeas in terris assentire* (illi scilicet decreto) *quod in cælis meus statuit semel, & ordinavit filius* (asseritur

nibus supplicanti Virgo visa fuit Carmelita, sequentem affata sermonem. I. *O IOANNES! O IOANNES! Vicarie mei dilecti Filij*, L. *Veluti à tuo te eripiam adversario, te Papam facio, & Filij mei Vicarium, meis coadjuvantibus supplicationibus dulcissimo Filio meo petitis, quod gratiosè obtinui.* M. *Ita gratam & amplam meo sancto, ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere, per ELIAM & ELISEVM in monte CARMELI inchoato;* N. *Quod unusquisq; qui professionem faciens Regulam à meo servo Alberto Patriarcha ordinatam observabit, & inviolatam obtinebit, & per meum dilectum Filium Innocentium approbatam, ut verus Filij mei Vicarius*, O. *debeas in terris assentire, quod in*

annes à se visam Virginem.

I. Nempè jam erat Pontifex.

L. Monet à beneficijs collatis, ut mandata exequatur.

M. Explicat B. Virgo quid à *Ioanne* in signum gratitudinis requirat.

N. Exprimuntur Professi, ut pars nobilior: sed idem de alijs sentiendum quoad hoc Privilegium, sive indulgentiam.

O. Concessio est opus Christi,

Indulgentiæ, seu Privilegij author, & concessor.)

P. *Quod, qui in sancta perseverabit obedientia, paupertate & Castitate* (scilicet, ut Religiosus professus) *vel qui sanctum intrabit Ordinem* (scilicet, ut Novitius) *salvabitur* (si scilicet uterque omnia necessaria observet) Sacræ scripturæ phrasis est, qualis illa *Marci* ultimo: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, scilicet, si necessaria omnia præstet.)

calis meus statuit semel, & ordinavit Filius. P. *Quod, qui in sancta perseverabit obedientia, paupertate, & castitate; vel qui sanctum intrabit Ordinem salvabitur.*

sed impetratio est opus B. Virginis.

P. Decretum Christi, & decreti expressio quoad Professos & Novitios.

Q. *Et si alij devotionis causa* (scilicet non causa mutandi status) *in sanctã ingrediantur Religionem* (hoc est, Societatem, seu Confraternitatem, ut patet ex verbis subsequentibus) *Sancti habitus signum ferentes, appellantes se Confratres & Consorores mei Ordinis prænominati, liberentur, & absolvantur à tertia eorum peccatorum portione, à die, quo prædictum Ordinem intrabunt*, (hoc est, à die, quo inter Confratres scribentur) (quæ sequuntur observando.)

Q. *Et si alij devotionis causa in sanctam ingrediantur Religionem, sancti habitus signũ ferentes, appellantes se Confratres & Consorores mei Ordinis prænominati, liberentur, & absolvantur à tertia eorum peccatorum portione, à die quo præfatum Ordinem intrabunt.*

Q. Decreti expressio quoad Confratres.

R. *Castitatem, si vidua est, promittendo: Virginitatis* (scilicet observandæ) *si virgo est, fidem præstando: si conjugata, inviolati conservationem matrimonij adhibendo* (scilicet, saltem per propositum) *ut sancta Mater imperat Ecclesia*, (scilicet conjugatis.) Anceps quæstio est, debeatne castitas promitti, an solummodo proponi? utrumq; probabiliter asseritur, & quidem promissio, seu propositum confert ad absolutionem à tertia peccatorum parte tunc obtinendam. Observatio vero castitatis subsequens, confert ad consequendam indulgentiam primi Sabbati post obitum.

R. *Castitatem, si vidua est, promittendo: virginitatis, si virgo est, fidem præstando: si conjugata inviolati conservationem matrimonij adhibendo, ut sancta Mater imperat Ecclesia:*

R. Hæc de Confratribus promittenda sunt, vel firmiter proponenda, ut à die ingressus à tertia parte peccatorum absolvantur.

S. *Fratres professi* (ut qui majora præstant) *supplicio solvantur & culpa.* (hoc est, plenissimam indulgentiam consequantur.) phrasis est similis ijs,

S. *Fratres Professi dicti Ordinis supplicio solvantur & culpa.*

S. Hæc de Professorum indulgentia, qualem univer-

quibus

quibus in Jubilæis, seu pleniſſimis indulgentijs Eccleſia utitur, excepto nomine *ſupplicio*, quod pro pœna poſitum eſt. Nihil tamen Theologicè obſtat.

T. *Et* præterea, *die quo ipſi à ſæculo recedunt* (omnes prædicti, ſcilicet juſti Profeſſi, Novitij, & Confratres, ut eſt communis interpretatio) *perpetrato gradu* (legendum PROPERATO *gradu*) *accelerant Purgatorium* (cujus ratio eſt, quæ ſequitur) *Ego Mater gratioſè deſcendam, Sabbato poſt eorum obitum, & quot inveniam in Purgatorio liberabo, & eos in montem ſanctum Vitæ æternæ reduſcam.* (Deſcenſus hic virtutis nō corporis eſt, quemadmodum pius Princeps, qui miſſis quotidie eleemoſynis, quibus pauperes ſolatur, ad pauperum domos deſcendere, eoſque à miſerijs liberare ſatis aptè dicitur, ſi autem corporis deſcenſus aſſeratur, nihil Theologicè obſtat, ſi B. Virgo velit: ipſa autem ſe velle apertè demonſtrat, dum ſe deſcenſuram pollicetur.)

V. *Verum* (volo) *quod ipſi Confratres, & Conſorores* (non agit de Profeſſis, aut Novitijs, qui majora præſtant) *teneantur Horas dicere Canonicales, ut opus fuerit, ſecundum Regulam datam ab Alberto.*

X. (Et) *illi, qui ignari ſunt debeant Vitam jejunam ducere ijs diebus, quos ſacra jubet Eccleſia, niſi neceſſitatis cauſa alicui eſſent traditi impedimento.* Hæc jejunia alias debita partim conferunt ad lucrandam indulgentiam ad eum finem directa, & à B. Virgine acceptata, cui doctrinæ nihil Theologicè obſtat, ſed additur abſtinentia ſubſequens alias minimè debita.

Y. Præterea *Mercurio & Sabbato* (debent Confratres & Conſorores) *à carnibus abſtinere, præterquam in mei Filij nativitate.* Non exigitur jejunium, ſed ſatis eſt abſtinentia, ſecundùm quam ſtatuit S. Th. 2. 2. *quæſt.* 189. *a.* 3. *ad* 3. *de Profeſſ.* ſed hic à B. Virgine ſpecialiter aſſeritur.

T. *Et die, quo ipſi à ſæculo recedunt, & perpetrato gradu accelerant Purgatorium, Ego Mater gratioſè deſcendam Sabbato poſt eorum obitum, & quotquot inveniam in Purgatorio liberabo, & eos in montem ſanctum vitæ æternæ reducam.*

T. Accelerant purgatorium, quia non procurrit ultra Sabbatum.

V. *Verum quod ipſi Confratres & Conſorores teneantur Horas dicere Canonicales, ut opus fuerit, ſecundùm Regulam datam ab Alberto.* X. *Illi, qui ignari ſunt, debeant vitam jejunam ducere ijs diebus, quos ſancta jubet Eccleſia, niſi neceſſitatis cauſa alicui eſſent traditi impedimento.*

Y. *Mercurio & Sabbato à carnibus abſtinere, præterquam in mei Filij nativitate.*

V. Præſcribit Confratribus opera ad conſequendam indulgentiam Sabbati primi poſt obitum, ſicut præſcripſit ad obtinendam remiſſionem tertiæ partis peccatorum à prima die ingreſſus in Societatem.

sed abstinentia à carnibus, neque obstat, quod in Sabbatis universi Catholici abstinent à carnibus, constat enim in aliquibus Hispaniæ provincijs, porcinum cerebrum, cervices, & alias similes animalium partes in Sabbatis comedi, à quibus abstinendum est ad indulgentiam hanc assequendam.

Z. *Et hoc dicto evanuit ita visio.* (alia lectio habet) *evanuit ista Sancta Virgo.*

A. *Istam ergo sanctam indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, sicut propter merita Virginis Matris gratiosè Iesus Christus concessit in cælis.* (Tria verba notanda *accepto, roboro, confirmo*) si autem legatur *accepto robore*, sensus est, Joannem robur è cælo accepisse, seu roboratum fuisse ad indulgentiam confirmandam. Utitur autem verbo *confirmo*, supponens indulgentiæ affirmationem, seu concessionem à Christo virginis precibus factam.

B. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indulgentiæ, seu statuti, & ordinationis irritare, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & BB. Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum.*

C. *Datum Avenioni die 3. Martij, Pontificatus nostri anno 6.* alij legunt *anno 1.*

Z. *Et hoc dicto evanuit ista visio.*

A. *Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, sicut propter merita Virginis Matris gratiosè IESVS Christus concessit in cælis.*

A. Confirmatio sive concessio Pontificia indulgentiæ à Ioanne facta.

B. *Nulli ergò hominũ liceat hanc paginam nostræ Indulgentiæ, seu statuti, & ordinationis irritare, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & BB. Apostolorũ Petri & Pauli se noverit incursurum.*

B. Clausula generalis & solita.

C. *Datum Avenioni die 3. Martij, Pontific. nostri anno 6.*

C. Dies editionis.

Observandum hic, quam sint multa, quæ requiruntur, ad indulgentiam hanc consequendam; Gestatio scilicet Scapularis, preces, cultus castitatis, & abstinentia à carnibus &c. Profectò hæc, cum per totius vitæ cursum exercenda sint, multò sunt plura ac graviora, quàm quæ ad quamvis indulgentiam pleniſſimam in forma Jubilæi Ecclesia requirat. Quocirca minimè mirum est, si Sabbato post obitum primò liberentur à pœna Purgatorij, qui per Jubilæum, sive Indulgentiam plenariam minus gravati, in ipso mortis articulo absolverentur.

PARS

PARS TERTIA,

De tertio Carmelo - Parthenia Confraternitatis beneficio,

Communicatione videlicet bonorum operum.

CAPUT I.

An præter generalem Sanctorum Communionem detur alia specialis in Ecclesia Dei?

SUPPONIMUS hic unum tanquam de fide certum, & alterum inquirimus. Supponimus inter Fideles in Ecclesia DEI mutuam esse bonorum operum Communicationem: adeo, ut omnia facta in gratia & charitate opera bona, eo ipso, sive ipso jure & facto, sine speciali intentione & applicatione facientis, directa ad ipsum participantem communicentur omnibus justis, sive existentibus in statu gratiæ. Quod egregiè explicat S. Thomas *Opuscul.* 6. ducta similitudine à corpore naturali. *Sicut*, inquit, *in corpore naturali operatio unius membri, cedit in bonum totius corporis: ita in corpore spirituali scilicet Ecclesia. Et quia omnes Fideles sunt unum corpus, bonum unius alteri communicatur. Apostolus* Rom. 12. *singuli autem alter alterius membra. Undè inter alia credenda, quæ tradiderunt Apostoli, est, quod Communio bonorum operum sit in Ecclesia.* De hac igitur bonorum operum Communione, quam Scotus *quodlibeto* 20. *quæst.* 2. nuncupat bonorum operum *applicationem generalissimam*: quamque eo esse fructuosiorem, quo plures sunt in Ecclesia sancti, quovè sanctiores, rectè pronuntiat Petrus à Navarra *Lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *n.* 257. de hac, inquam, bonorum operum communione, non procedit præsens quæstio, sed de quadam speciali & actuali applicatione orationum, operumque bonorum, quæ in Religionibus, & pijs Congregationibus maximè fieri solet.

188. Mutua datur in Ecclesia bonorum operum communio: & qualis hæc sit?

Et

Et ut difficultatem formemus pro opposita sententia cum Navarro *Miscell.* 11. *de orat. num.* 21. *qu.* 3. *&* 4. &c. Supposita illa generali Communione, quæ est in Ecclesia, per quam ipso facto unius bona opera alteri applicantur ratione unionis, quæ fit per charitatem, sicuti bonum unius membri in eodem corpore ipso facto atque jure ratione unionis, quæ est inter ipsa membra, per communicationem alteri applicatur, non videtur præterea desiderari altera bonorum operum communicatio & applicatio: quippe, quæ superflua & nullius momenti foret.

189. Præter. hanc datur alia specialior meritorum cómunio.

NIHILOMINUS constans, & certa semper fuit Theologorum sententia, præter generalem illam Communionem, quæ sequitur ratione membri corporis mystici, omnes Christianos complectentis & à Christo Domino ortum trahentis, ideoque nullis humanis arbitrijs poni aut tolli valentis, datur alia specialior meritorum seu bonorum operum Communio, non modo inter eos, qui specialis alicujus intra Ecclesiam corporis sunt membra, verum etiam inter eosdem, ac adoptatos (ut sic dicam) in ejusdem mystici corporis compagem. Sicut quamvis intercedat Communio aliqua Politica inter omnes, qui eidem Regi subsunt, tamen specialior est, quæ eos nectit, qui ejusdem præterea sunt Provinciæ: & adhuc major, quæ intercedit inter personas ejusdem Urbis; maxima vero est omnium, quæ cernitur inter personas ejusdem familiæ & cognationis. Ita docet S. Thomas in 4. *Sent. d.* 20. *q.* 1. *a.* 4. & in *addit. ad* 3. *part. q.* 26. *a.* 1. Brevius vero *Opuscul.* 6. his verbis. *Sciendum est,* inquit, *quod non solum virtus Passionis Christi communicatur nobis, sed etiam meritum Vitæ Christi, & quicquid boni fecerunt omnes Sancti, communicatur in charitate existentibus, quia omnes unum sunt.* Psalm. 118. Particeps ego sum omnium timentium te. *Et inde est, quod qui in Charitate vivit, particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo. Sed tamen specialius illi, pro quibus fit aliquod bonum; nam unus potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficijs ad quæ plures Congregationes admittunt aliquos.* Hactenus S. Doctor. Id ipsum asserit Scotus *quodlib.* 20. Corduba *lib.* 9. *q.* 3. Navarr. *Miscell.* 11. *n.* 4. *de Psalterio & Rosar. beatiss. Virg.* & copiosè Soto in 2. *d.* 21. *q.* 1. *a.* 4. aliique permulti relati à Peyrinis *Tomo* 2. *q.* 3. *cap.* 6.

Explicatur similitudine.

Illam tuetur ac tradit S. Thomas.

Idem senserunt Pontifices Romani in suis Apostolicis diplomatibus, veluti URBANUS V. uti refertur in *Compendio Ordinis Minorum,* verbo

Ac diversi Romani Pontifices.

verbo *indulgent.* CLEMENS VII. in Bulla, quæ incipit, *Ex clementi.* Item CLEMENS VIII. & PAULUS V. uti latiùs videbimus alibi.

Hanc quoq; specialem bonorum communicationem operum constanter defenderunt Doctores Catholici contra Sectarios, & potissimum contra Witcleff, ejusq; assecias; cum enim circa annum Domini 1372. sub GREGORIO XI. Pontifice, & *Eduardo* Angliæ Rege, præfatus Witcleff, homo hæreticus & emoti ingenij, inter alia assereret, hujusmodi specialem meritorum, seu bonorum operum communicationem in Religionibus, & pijs Congregationibus fieri solitam, nullatenus esse licitam, sed vanam, superfluam ac superstitiosam; & tametsi prioribus annis hic error non adeò proderetur, successu tamen temporis valdè increvit, adeo ut necesse fuerit, viros eruditione & zelo Religionis illustres sese huic errori opponere: licet autem plurimi diversæ conditionis ac professionis viri, id præclarè præstiterint, potissimum tamen complures Carmelitanæ Familiæ alumni, quos inter fuerunt Richardus Lavinghamus, Doctor Oxonienſis, *anno* 1380. Alanus de Linna, Doctor Cantabrigiensis, *anno* 1417. Joannes Bestonus *anno* 1423. qui à Clero Anglicano deputatus, interfuit Concilio Constantiensi, nomine illius Regni: Joannes Berneghamus anno 1430. qui omnes, ut scribit Pitsæus de *Viris illustrib. Angliæ*, & post illum Bzovius, fortiter & verbis, & scriptis Witcleffitis obstitêre. Inter omnes vero THOMAS *Waldensis*, ex eodem Carmeli Ordine, vir eximiæ sanctitatis ac doctrinæ, dictus, *validus Ecclesiæ ensis*, à MARTINO Quinto, insigniter laboravit contra eosdem hæreticos: & teste Alphonso de Castro, *nemo uberiùs, nervosiùs ac solidiùs illos impugnavit.* Is *Tom. 3. de Sacramentalib. tit.* 10. hanc specialem bonorum operum Communicationem luculenter probat; nec novam esse, sed antiquissimam in Ecclesia ostendit, dicens, quod Paulus, Joannes, Timotheus, Silvanus & alij communicaverunt specialiter suas orationes, suaque bona opera, quibusdam particularibus Christianis, sibi amicioribus, magisque de se benè meritis: consequenter invehitur in hæreticum Witcleff, ut videre est *loco citato.* Hujus insignis viri sententia, circa hanc bonorum operum Communicationem, specialem meretur authoritatem in Ecclesia DEI: quippe à MARTINO Quinto Pontifice approbata & confirmata; sicuti

Illam impugnavit Witcleff, alijque Sectarij.

Contra hos eam propugnarunt permulti celeberrimi doctores, maximè Carmelitani Ordinis.

Et inter hos præsertim Thomas Waldensis à *Martino V.* alijsque ideo impensè cõmendatus.

& alia ipsius opera, per Bullam incipientem, *Placuit nobis, &c.* Quod autem, & quomodo hæc specialis Communicatio non sit superflua, sed magni momenti & utilitatis, patebit ex mox, & infra dicendis.

CAPUT II.

Quid sit hæc particularis bonorum operum Communicatio?

190. Justi per sua bona opera sibi metipsis promereri possunt augmentum gratiæ & gloriæ, ac vitam æternam.

SUPPONENDA sunt nonnulla ad faciliorem hujus quæstionis declarationem. PRIMO Viros justos sive in gratia constitutos, per sua bona opera, & secundum quod procedunt ex gratia Spiritus Sancti, promereri sibi verè & propriè augmentum gratiæ, & vitam æternam. Hoc ita est certum, ut sit de fide, definitum novissimè in Concilio Trident. *Sess. 6. Cap. 6.* & Can. *26. & 32.* ubi sic habetur. *Si quis dixerit hominis Iustificati bona opera ita esse dona DEI, ut non sint etiam bona ipsius Iustificati merita; aut ipsum Iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam & IESV Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.* Præter autem hæc omnia, quæ justi sibi ipsis promerentur, per sua bona & supernaturalia opera, possunt etiam per eadem opera alijs mereri dona spiritualia, & temporalia bona promereri; v. g. gratiam conversionis, quâ mediante alter, si est in peccato sese convertat ad DEUM; augmentum gratiæ, quo magis sanctificantur justi in hoc mundo; præservationem à peccatis, virtutum acquisitionem, vitiorum extirpationem, salutem corporalem, bonorum temporalium, ac prolium adeptionem atque conservationem, liberationem à periculis hujus vitæ, sicuti per merita Abraham Dominus liberavit Lot & multa alia, quæ potissimum ad vitæ æternæ consecutionem spectant, ut communiter tradunt Doctores in 1. 2. *q.* 114. & in 2. *d.* 27. *& 36.*

Et proximis complura, tum temporalia, tum spiritualia bona.

Duplex datur meritum, scilicet, de cõdigno & de cõgruo;

SECUUDO supponendum est, aliam esse rationem meriti, qua quis per bona opera sibi ipsi meretur, aliam verò quâ alijs. Sibi enim meretur merito, ut ajunt Theologi, *de condigno*: alijs verò *de congruo*. Meritum de condigno est meritum Justitiæ, meritum vero de

de congruo, est meritum amicitiæ. *Quia enim homo*, inquit S. Doctor, 1. 2. *q.* 114. *a.* 6. (& nos *prima* hujus Operis *parte*, latius explicuimus,) *in gratia constitutus implet* DEI *voluntatem, congruum est secundum amicitiæ proportionem, ut* DEVS *impleat hominis voluntatem in salvatione alterius; licet possit quandoque habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis Sanctus justificationem desiderat*, juxta Jerem. 15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

& quomodo ab invicem differant? Videantur supra 1. *P. cap.* 13. & 14. à nobis dicta de hac materia.

Relicto itaque merito de condigno, de quo in præsenti nulla erit quæstio, supponendum est TERTIO, meritum de congruo habere suam latitudinem: id est, tametsi nullum meritum de congruo, quantumvis magnum, quoad rationem debiti, possit pervenire ad rationem meriti de condigno; attamen unum meritum de congruo potest excedere aliud in perfectione, ratione personæ, loci, modi, temporis & aliarum circumstantiarum. Explicatur hoc: apud aliquem Principem v. g. efficacius meretur, & facilius obtinet aliquis pro altero gratiam, qui majoris est apud eundem Principem amicitiæ, qui pro uno solo petit, quam qui pro multis, qui pro multis determinatè, quam qui in confusò, qui ferventer & obnixè rogat, quam qui tepidè aut frigidè; ita apud DEUM efficaciùs meretur in hoc mundo pro altero quodcunque donum sivè temporale, sive spirituale, ille qui est majoris sanctitatis, & apud DEUM amicitiæ ac gratiæ: ille, qui pro uno solo, vel pro multis determinatè petit: ille qui ferventer & non frigidè instat: ille qui perseveranter die ac nocte pulsat, quam qui interruptè; & ita de alijs circumstantijs. Et ratio est, ut loco citato ex Sancto Thoma innuimus: quia meritum de congruo, est meritum secundum amicitiæ proportionem, in qua varij gradus & differentiæ reperiuntur, ut per se patet & constat.

Nullũ meritum de congruo, quantumvis magnũ attingit perfectionem meriti de condigno. Est tamen unum meritum de congruo altero majus & perfectius, ex varijs circumstantijs.

Supponendum QUARTÒ, viros justos non solum posse mereri apud DEUM pro alijs, eo modo, quo mox diximus: verum etiam posse per eadem bona opera satisfacere pro alijs; licet enim in justificatione, homini una cum culpa remittatur pœna æterna, sæpissimè tamen restat adhuc temporalis aliqua pœna persolvenda: uti definitum est in Concil. Trident. contra hæreticos nostri temporis, vel in hoc mundo, qualiter David persolvit pœnam temporalem, per mortem filij ex Bethlabee geniti, tametsi commissum adulterium & homicidium esset ei remissum; vel in altero, & quidem acerbius

191. Justi non modo pro alijs mereri, verum etiam satisfacere queunt,

per ignem nimirum Purgatorij. Viri igitur justi, sive in gratia constituti, possunt per sua bona opera etiam satisfacere DEO pro pœna illa temporali, quæ remanet post peccatum remissum, non solùm pro se, verum etiam pro alijs, non quomodocunq;, sed ita, ut certò & infallibiliter illa bona opera prosint ijs, pro quibus satisfaciunt; probabilius quippè est satisfactionem hujusmodi, non tantum esse per modum impetrationis & meriti de congruo, sed etiam de condigno & ex justitia. Ita latissimè Navarr. in *Tract. undec. miscell. de Psalterio beatiss. Virg. num.* 2. pro qua doctrina affert D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *a.* 1. *quæstiunc.* 4. & alios Doctores: idem docet Suarez in 3. *p. Tom.* 4. *d.* 48. *sect.* 3. *n.* 10. & Valentia 3. *part. disp.* 7. *q.* 14. *punct.* 3.

etiam de condigno & ex justitia.

Quod verò unus pro altero satisfacere possit, sive suorum bonorum operum satisfactionem, prout satisfactio est, in alterum transferre, communis fert sensus Fidelium, in Catechismo Romano, ad calcem *tractationis de pœnitentiæ Sacramento num.* 61. luculenter expressus; non modo, si satisfaciens non egeat eo fructu (ut sanè pleriq; Sancti non egent) verum etiam [quod minus benè negat Navarrus *miscell.* 11. *de orat. quæst.* 10.] quamvis ipse satisfaciens eo egeret: quia carentia reatus, ad quam per suam satisfactionem sibi servatam posset pertingere, non est bonum aliquod, quo homo in æternum fraudandus sit: imò quantum ipsi videtur decedere, communicando alteri pretium, quo posset à se amoliri illud debitum, tantum sibi proficit, quoad meritum gratiæ & gloriæ, quod est longè pretiosius. Atq; ita eximitur labe prodigalitatis & inconsultæ charitatis, qua notandus videretur, juxta nonnullorum sententiam, ex eo, quod in tanto suo incommodo, potiùs alteri quàm sibi prospiciat. Non enim propterea omittit sibi prospicere, cum sic operando consulat commodis suis in alio genere, & quidem prætiosiore. Quid quod non se prorsus spoliat fructu illo tollendi reatum? Nam volitio reflexa, quâ vult operationem suam alteri prodesse, est meritoria alicujus remissionis pœnæ; proindeq; homo in alium transfundens suam satisfactionem, non se prorsus spoliat fructu absterſionis reatus. Et ex alia parte magnum specimen charitatis edit, præstans se pro alijs fidejussorem, quod est exemplum D. Thomæ in 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. Quamvis enim unusquisq; sit onus suum portaturus, si spectetur præcisè debitum, quod contraxit delinquendo: tamen si alio

Hoc probatur ac declaratur.

Justus transfundens in alium suam satisfactionem non se prorsus spoliat fructu absterſionis reatus sui, & amplius sibi prospicit quoad meritum gratiæ & gloriæ, quod est pretiosius, &c.

ena subventio suffragetur, æquè liberabitur onere quo se gravaverat, ac si ipsemet satisfeciſſet.

Nec conditio, quam depoſcit Richardus in 4. *diſt.* 20. *art.* 1. *quæſt.* 3. ut ſatisfactio pro alio ſit juſtâ & valida, nimirùm ut is, pro quo ſatisfit, non poſſit, per ſemetipſum ſatisfacere, eſt neceſſaria. Falſum quippè eſt, quod illi, qui poſſunt per ſeipſos ſatisfacere, ſint incapaces pro quibus alij ſatisfaciant: dummodo enim æqualis ſatisfactio offeratur, perindè eſt, à quocunq; offeratur: quia DEUS ut charitatem foveret, ſanxit, ut ſatisfactio unius pro alio, admitteretur, nec ſe arctavit ad impotentes pro ſeipſis ſatisfacere, (undè enim id haberi poteſt?) Falsò quoq; Richardus ſupponit, eum, qui pro ſe ſatisfacere valet, nec ſatisfacit, non eſſe verè pœnitentem. Hoc inquam falſum eſt: nam voluntas averſans & deteſtans peccatum admiſſum, & voluntas aſſumendi pro illo pœnam, non ſunt neceſſariò connexæ, uti eſt perſpicuum.

Qui per ſemetipſos ſatisfacere poſſunt, nõ ſunt incapaces alienę ſatisfactionis.

Duo tamen ſunt neceſſaria ad legitimam & infallibilem, pro altero ſatisfactionem. *Primùm*, ut opera illa bona ſint pœnalia, id eſt, quæ cum labore & defatigatione corporis exercentur: qualia ſunt aſperitas vitæ, abſtinentia, jejunia, cilicia, diſciplinæ, vigiliæ in tempus longum protractæ, humi cubatio, crebra oratio, non ſolùm vocalis, ſed etiam mentalis, quippè quæ ſine pugna & reſiſtentia corporis, & ſenſuum non fit, juxta illud Eccleſiaſtæ 12. *Frequens meditatio, carnis afflictio eſt.* & his ſimilia. Neq; enim quodvis opus noſtrum, eo ipſo quod opus bonum & ſanctum eſt, pollet vi ſatisfactoria propriè & preſsè dicta: quæ ſcilicet expungendo pœnæ reatui ſit accommodata: ſed is tantum eſt fructus operis prout laborioſi atque pœnalis. Et indè quoq; petitur metrum ac modulus virtutis ſatisfactivæ in opere. Si enim opus ſit valdè pœnale, erit valdè ſatisfactorium: Si autem ſit parcè ac modicè pœnale, non erit niſi leviter ſatisfactorium. Si deniq; nullo modo ſit pœnale, nullo modo erit ſatisfactorium, quæ eſt receptiſſima Theologorum Doctrina, ut videre eſt apud Torrem *Tom.* 1. *in* 2. 2. *diſp.* 70. *dub.* 5. ut ergò actio noſtra ſit ſatisfactoria, & alijs cum fructu queat applicari, neceſsè eſt eam eſſe pœnalem,

192.

Quænam neceſſaria ſint ad legitimã pro altero ſatisfactionem?

Opera bona ut ſint ſatisfactoria debent eſſe pœnalia.

Utrũ quod vis opus bonum ſit ſatisfactorium ſatisfactione propriè dicta?

Secundùm, quod requiritur ad debitam & infallibilem pro alio ſatisfactionem, eſt ſpecialis intentio ſeu applicatio particularis illius,

Præterea debet ſa-

tisfactio talium operum specialiter alteri applicari, ut illi prosit.

qui communicat opera sua satisfactoria alteri : ita ut, nisi illi applicetur specialiter talis satisfactio, vel nisi recipiatur ad participandum de satisfactionibus certæ alicujus personæ, seu Communitatis sive Congregationis, non proderunt ei talia opera satisfactoria ipso jure & infallibiliter ad satisfaciendum pro suis peccatis. Ita Navar. *loco citato*, asserens hanc esse doctrinam S. Thomæ ab omnibus communiter receptam. Si enim sola applicatio generalis, & quæ procedit ex radice charitatis, sufficeret ad satisfaciendum ipso jure & facto pro altero, sequeretur, ut ait Paludanus in 4. *dist.* 45. *q.* 2. *a.* 1. *quæst.* 4. quod omnis peccator eo ipso quod fieret justus, esset absolutus ab omni pœna, suis peccatis quoad culpam condonatis, debita : quia ad solvendas hujusmodi pœnas infinitus meritorum thesaurus est in Ecclesia, cum in eo sit repositus etiam valor meritorum Christi, quæ fuerunt infinita, ut habet *Extravag.* CLEMENTIS VI. Vnigenitus. *de pœnit. & remissione* : & ita si ipso facto applicaretur ad solvendas pœnas, quas justi debent, ipso facto, etiam ipsi absolverentur ab eis, quod est falsum & hæreticum.

193. Specialis communicatio bonorum operum cõsistit in duplici illorum valore, meritorio, & satisfactorio.

His suppositis dicendum est, specialem hanc de qua agimus, meritorum communionem, consistere in duplici valore bonorum operum, meritorio scilicet & satisfactorio, quem quælibet in se bona opera continent. Vnde *primò* hæc participatio specialis per modum meriti de congruo, seu, quod idem est, per modum impetrationis (licet alij hæc distinguant, putantes neminem posse nisi sibi ipsi mereri, benè autem alijs impetrare,) plurimum prodesse potest participanti. Consistit autem hoc in aliquali dignitate impetrandi sibi, vel alteri aliquid, quasi præmium operis, quod dicitur meritorium. Unde eo ipso, quod quispiam est peculiari modo membrum alicujus Religionis, v. g. per *Literas Filiationis*, merita illius Religionis efficiunt, ut DEUS illorum intuitu, conferat ipsi peculiaria bona & beneficia, tanquam membro talis Religionis.

Habet *secundo* hæc specialis bonorum operum communicatio vim satisfaciendi pro peccatis alterius, eo modo quo supra diximus ita ut ipso facto applicentur ejusmodi bona opera per modum cujusdam compensationis, pro pœna temporali alterius; atque ipso facto absolvitur à pœna temporali, non quidem pro toto, inquit S. Doctor in *addit. ad* 3. *p. q.* 26. *a.* 1. nili tantum determinatè pro eo

quan-

quantum debebatur; quod non habet illa generalis Communio Sanctorum. Et hoc est, quod *Opusc. 6. supra citato*, dicebat Sanctus Doctor: *qui in Charitate vivit particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo: sed tamen specialiùs illi, pro quibus specialiùs fit aliquod bonum; nam unus potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficijs, ad quæ plures Congregationes admittunt alios.*

CAPUT III.

Utrum sit aliqua specialis Communicatio bonorum operum in Ordine Carmelitarum, & quænam illa sit?

PRÆMITTENDUM est ex Doctore Angelico, *specialem Communicationem* pròpriè & formaliter esse, quâ aliquis vel aliqui applicant sua opera bona familiaribus, & benefactoribus: *singularem* vero Communicationem esse illam, quâ aliquis pro uno determinatè, & in singulari eadem opera applicat. *Generalem* autem, qua aliquis ordinat opera sua ad bonum Ecclesiæ in generali. In præsenti non est quæstio de hac ultima Communicatione, sed de duabus prioribus, quæ cum sint particulares, comprehendimus ambas sub nomine specialis Communicationis ad evitandam verborum prolixitatem.

194. *In Addit. ad 3. P. quæst. 26. art. 1.* Quid sit specialis, quid singularis, quid generalis & cæt. cõmuuicatio? Datur in Ord. Carmelit. specialis bonorum operũ communicatio. Quo tempore cæperit? An à temporibus S. Elisæi Prophetæ?

DICIMUS ergò existere & vigere hujusmodi specialem communicationem bonorum operum in nostro Ordine Carmelit. prout ex Pontificijs Diplomatibus & statutis Ordinis, infrà patebit. Quo verò tempore inceperit hæc meritorum specialis communicatio in Ordine difficilè est determinare. Aliqui repetunt altius hanc Communicationem, videlicet, à temporibus *S. Elisei* Prophetæ; & colligere volunt ex 4. *Reg* 4. ubi non obscurè insinuatur, fuisse eo tempore, anno nimirum 3143. ab Orbe condito, in monte Carmelo locum aliquem particularem & sacrum, ubi admittebantur nonnulli solemnioribus anni diebus, non quidem ad sacrificandum, cum id in templo Hierosolomytano solummodò licitum esset, verum ad peculiarem communicationem spiritualem; adeoq; quasi familiares, & Confratres videbantur, & consequenter Carmelitis, qui tunc *Filij Pro-*

Prophetarum vocabantur, specialiter in orationibus & jugi eorum meditatione comẽdati. sententia ista satis est incerta, & nullo solido nititur fundamento. Abulensis quidem, Lyranus, Cajetanus, Caspar Sanchez, Serrarius & alij, in hunc sacræ Scripturæ locum, agnoscunt admittuntq; locum aliquem peculiarem fuisse in monte CARMELI, ad quem nonnulli conveniebant, solemnioribus anni diebus, ad audiendum Verbum DEI, & consolationem instructionemq; spiritualem ab illis DEI hominibus hauriendam: vernm de peculiari aliqua in orationibus & bonis operibus Communicatione nullam faciunt mentionem.

195. Probabile est viguisse in Oriente ante octingentos annos. *Anno Christi* 868.

NONNULLI referunt hanc specialem bonorum operum in Ordine nostro Communicationem ad ea tempora & sæcula, quibus maximè floruit Carmeli Ordo in Oriente. Hæc opinio est valde probabilis; quippè cum Ordinis Confraternitas etiam illo tempore in Oriente extiterit, uti in *prima parte* diximus, eamq; Confraternitatem varijs gratijs spiritualibus locupletaverit ibidem, ante octingentos annos ADRIANUS II. relatus à SIXTO IV. & GREGORIO XIII. probabile est, eosdem Confratres admissos fuisse ad specialem bonorum operum Ordinis participationem; quod legitur in vitis Patrum obvenisse Paphnutio, honorabili viro Alexandrino, qui fuit nostræ sanctæ *Euphrosynæ* parens. Et sanè Confraternitas ista in Oriente videtur potissimum fundata in hac speciali bonorum operum Communicatione; nam ut plurimum solent hoc favore donari Confratres alicujus Ordinis, nec in Oriente illo tempore extabant alia beneficia ex parte Ordinis, nisi ista specialis meritorum seu bonorum operum participatio, ratione cujus Confratres nostri constituerentur. Nam indulgentiæ & alia indulta Apostolica, potiùs respiciunt ipsam Sedem Apostolicam, à qua promanant, quam ipsum Ordinem; ideoq; ratione horum formaliter & propriè non poterant Fideles constitui Confratres nostri specialiter, nisi vel membra de bonis totius Ordinis participarent.

In Vita S. Euphrosyn. Metaph.

196. Certum est extitisse in Occidente tempore S. *Simonis* Stock.

ALII demum reducunt hanc meritorum Ordinis Communicationem ad ea tempora, quibus ab Oriente, propter Saracenorum infideliumq; incursiones, persecutionesq; translatus Ordo noster in Europam, & à DEIPARA sacro SCAPULARI donatus & ornatus, Marianam ejusdem SCAPULARIS Confraternitatem instituit. Hæc

Hæc sententia est certa & secura. Primo quidem, quia hæc specialis communicatio traditur in formula conferendi Scapulare Confratribus nostris, à temporibus *S. SIMONIS Stock*, qui aliquot post transmigrationem Ordinis ab Oriente in Occidentem annis, & defuncto postmodum, vel, ut alij volunt, resignante Generalatus officio *Alano Britone*, in Priorem totius Ordinis Generalem electus fuit.

Quod autem in dicta formula id habeatur, testantur antiqua Ordinis Breviaria, & pervetusti libelli, in quibus hæc ipsa formula continetur. Præterea hoc ipsum constat ex libro *speculum Ordinis* nuncupato, ubi nonnullos specialiter susceptos fuisse in Anglia ad hanc meritorum Ordinis participationem refertur, qui Religiosos nostros ex Oriente transmigrantes primi receperant, & in suis prædijs monasteria eis construxerant.

Tandem patet id ipsum ex nostro sapientissimo *Thoma Waldensi*, qui in *supracit. Tom. de Sacramental.* refert Witcleff hæreticum, quam maximè oppugnasse Literas Fraternitatis, quibus nostri & alij Religiosi sua bona opera, seu merita Sæcularibus communicabant in regno Angliæ. Prodidit autem suas hæreses Witcleff sub GREGORIO XI. uti supra diximus, circa annum 1372. at cum eo tempore jam publica adeo esset illa Communicatio bonorum operum in Ordine, credendum est longè ante dictum annum 1372. exortam fuisse. Nec silentio prætereundum est, varios etiam Pontifices dictam bonorum operum Communicationem suis diplomatibus approbasse & confirmasse: ex quibus omnibus ejus antiquitas non obscurè elucescit, de his autem diplomatibus commodiùs infra agetur.

Oppugnat in Angliæ Witcleff literas Filiationis seu Fraternitatis.

Stabilita igitur bonorum operum Ordinis nostri Communicatione, superest ut videamus, qualis sit hæc Communicatio, quæ erat pars altera propositæ in titulo quæstionis. Dicimus ergo in Ordine nostro duplicem esse ejusmodi Communicationem: quarum una fit per *Literas Filiationis* seu *Fraternitatis*, quæ aliud non sunt (ut generi-cè illas describamus) quam diplomata, quibus Superior alicuius Cœtus Religiosi quempiam facit participem meritorum ejusdem Cœtus: altera vero per *susceptionem sacri SCAPVLARIS nostri*, qua Confraternitati Ordinis incorporantur, quicunque dictum Scapulare suscipiunt. Et de hac utraque Communicatione, latius agemus in *subsequentibus Capitibus*.

Duplex datur in Ord. Carmel. meritorum cõmunicatio. Quid sint literæ Filiationis seu Fraternitatis?

CAPUT IV.

De Communicatione bonorum operum, quæ fit in Ordine nostro per Literas Filiationis *seu* Fraternitatis.

197. Varijs nominibus apud diversos hæ litteræ insigniri solent.

PER *Literas Filiationis*, quas Ægidius Carlerius, Decanus Cameracensis *Tract. de punitione peccatorum publicorum contra Nicolaum Taboritam in Concilio Basilienſi* vocat *Literas Fraternitatis*: Carlinenses *Literas Gratiosas*, ut notatur in Chronico Lyrinensi *Tom. 2. pag.* 178. Carthusiani, teste Durlando, *lib. 5. Chron. Carthus. Cap. 8.* appellant *Literas participationis Ordinis*, Paud. *4. dist. 45. Receptionis ad beneficia Ordinis*: Alij *aggregationis ad merita* nuncupant, nonnulli *Beneficium Ordinis*, uti Andræas Fontibraldensis: per has, inquam, literas, seu per distributionem illarum fit prima participatio meritorum Ordinis, extenso meritorum nomine, &c. Hæ literæ solent ordinariè â solo Præposito Generali conferri, quibus aliquis in singulari ac nominatim admittitur ad participationem omnium bonorum operum Ordinis: apud Discalceatos Carmelitas in hac forma dari consueverunt.

Per quos distribui soleant? Et in qua forma?

Fr. N. Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Præpositus Generalis N.N. in Domino salutem.

Cum salutis nostræ author JESUS Christus, præsentes discipulos, & nos absentes imitatores suos erudiens, singulari fraternæ charitatis præcepto præsertim obstinxerit: ut scilicet diligeremus alios, quemadmodum ipse dilexit nos, tanto magisterio, & instituto nostro valdè consentaneum est, ut saluti proximorum operam similem ei, quam Redemptor noster navavit, impendamus. Cum vero ipse sic nos dilexerit, ut labores, dolores, operaque sua omnia in salutem nostram, cum infinito merito ac satisfactione direxerit, nullum eum imitandi modum similiorem invenire posse videmur, quam si è pijs laboribus & operibus nostris, quæ ex ipsius gratia præstamus, & spiritualibus bonis, quibus ex ipsius Thesauro fruimur, partem aliquam proximis tribuamus.

Quæ

Quapropter nos, qui licet immeriti, prædictæ Congregationi præsumus, & bona ejus augere, atq; in alios justis de causis derivare debemus, confisi meritis & precibus beatissimæ Virginis MARIÆ, *Matris DEI & nostræ, cui specialiter famulamur, ac ejus Sponsi sanctissimi* IOSEPH, *nec non sanctorum Prophetarum* ELIÆ *&* ELISEI *Patrum nostrorum, sanctorum Angeli & Anastasij Martyrum, Alberti & Cyrilli Confessorum, ac sanctæ* THERESIÆ *Virginis, & aliorum Sanctorum ac Sanctarum Ordinis nostri, & omnium Sanctorum & Sanctarum DEI (Te) peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium privilegiorum, indulgentiarum, precum, jejuniorum, disciplinarum, peregrinationum, piorumq; operum, aliorumque quorumvis bonorum spiritualium totius nostræ Congregationis admittimus. Precamurque divinam Bonitatem, ut (Te) per hoc nostrum ministerium prædictorum bonorum cum proventu maximo consortem efficiat. Datum &c.*

Circa tenorem hujus Communicationis, nonnulla necessariò declaranda occurrunt, quæ non parum implexa videntur. *Primùm*, quo jure Generalis Ordinis nostri extendat Privilegia Ordinis ad Sæculares, quibus istiusmodi Literæ Fraternitatis seu Filiationis donantur? *Secundùm*, quænam sint illa Privilegia? *Tertiùm*, quo jure idem Præpositus Generalis conferat indulgentias Religionis nostræ dictis Sæcularibus? *Quartùm*, quales sint istæ indulgentiæ?

198. Satisfit nõnullis dubitationibus circa superiorẽ formulam occurrentibus.

Quantum ad *primum*, advertendum est, hic non esse quæstionem de bonis & pijs operibus, qualia sunt jejunia, preces, sacrificia & his similia, quæ in Congregatione fiunt: quia de illis ostendemus *infra Capite septimo* quâ authoritate communicentur Sæcularibus: sed quæstio est de Privilegijs Apostolicis, quô videlicet jure Præpositus Generalis per Literas Filiationis extendat hæc Privilegia ad Sæculares, prout continetur in superiori tenore & formula Communicationis? Quia videtur id nulla ratione fieri posse sine authoritate Apostolica, uti patet.

Ad hoc respondetur Constitutionem extare CLEMENTIS VII.

cujus principium est : *Ex clementi Sedis Apostolicæ, &c.* per quam Ordini facultatem concedit, non solum Confratribus nostris, qui habitum nostrum sive Marianum Scapulare gerunt, gratias omnes & privilegia Apostolica communicandi, verum omnibus alijs, qui gratijs eorundem Confratrum gaudere voluerint. Hanc Constitutionem confirmavit postea GREGORIUS XIII. anno 1577. per Bullam incipientem : *Vt laudes gloriosissimæ Virginis, &c.*

199. Recensentur privilegia, quæ ex indulto Apostolico ijs communicari valent.

QUANTUM verò ad *secundum*; quænam sint ista privilegia Apostolica, explicat idem CLEMENS VII. in sua mox citata Bulla. *Primò* quod possint Confessarium sibi deligere, sæcularem vel religiosum, qui ipsos possit absolvere semel in vita, & in mortis articulo, ab omnibus casibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis paucis quibusdam.

Secundò, quod hujusmodi electus Confessarius facultatem habeat commutandi eorum quæcunque vota in alia pietatis opera: exceptis votis visitationis ultra marinæ, & ad limina Apostolorum Petri & Pauli de Urbe, & ad sanctum Jacobum in Compostella: nec non Religionis & Castitatis.

Tertiò, quod juramenta eorum quæcunque sine tertij præjudicio possit idem Confessarius relaxare.

Quarto, si contingat tempore interdicti aliquem ex hujusmodi Privilegiatis ab humanis excedere, corpora eorum Ecclesiasticæ sepulturæ cum aliqua honesta funerali pompa tradi possunt. His & similibus Privilegijs, quæ distinctius prosequemur infra, gaudent ac fruuntur illi, qui literas Fraternitatis seu Filiationis ab Ordine recipiunt.

200. Quid de indulgentijs dicendum sit, &c.

TERTIUM quod inquirebatur est, quo jure & authoritate per memoratas sæpius literas, indulgentias etiam Ordinis Præpositus Generalis communicet?

PRO præsentis dubij elucidatione notandum est, non deesse Doctores, qui opinentur posse Generales, & Provinciales Religionum, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem in sibi subditos habent, de jure divino ipsis indulgentias concedere. Verum cum juxta communem sententiam, potestas concedendi indulgentias plenè residet in solo Papa, & in ipsis Episcopis sit limitata & contracta pro dedicatione alicujus Ecclesiæ ad indulgentias unius anni: & pro anniversario

Vide de his Gabrielem à S. Vincentio *Part.* 3. *de*

sario ad quadraginta dierum, ideo respondetur ad propositam quæstionem per literas Filiationis authoritate propria non concedi indulgentias ab Ordinis Generali, sed ex concessione Sedis Apostolicæ eas communicari, & extendi ad illos, prout constat ex CLEMENTE VII. in Bulla, *ubi supra*; qui Ordini indulsit communicare easdem gratias per literas Fraternitatis seu Filiationis, quibus ipsi Confratres nostri, qui Scapulare gerunt, fruuntur. Quod vero hic nomine gratiarum intelligantur etiam indulgentiæ, ipsemet Pontifex CLEMENS declarat in eadem Bulla, in qua, postquam inter alia indulgentias Confratribus nostri Scapularis concessas à varijs Pontificibus innovasset, & approbasset, postmodum subjungit, ijsdem gratijs posse frui quoscunque alios, si ita visum fuerit.

Sacram. pœnit. disp. 13. q. 7.

PRÆTEREA ex Privilegio URBANI V. quod refert Casarub. in *Compend.* verb. *indulgentiæ quoad seculares. 4. num. 6.* possunt Generales & Provinciales communicare Benefactoribus Ordinis indulgentias, orationes, aliaq; bona spiritualia. Hoc Privilegium impensè extollit Peyrinis *Tom. 2 q 3 Cap. 6. num. 9*, inquiens: *ista est magna concessio, quàm ex jure communi non habebant; cum enim indulgentiæ tantùm valeant quantùm sonant, non possunt applicari, nisi ijs, qui in eis nominantur expressè. Cum ergò in dicto Privilegio concedat Pontifex, quod Prælati possint Indulgentias communicare, certum est, quod superiores nominati in præfato Privilegio, possunt omnes Indulgentias concessas Regularibus dictis Benefactoribus applicare, etiamsi in illis nihil tale dicatur, quod absq; hoc Privilegio fieri non poterat*, atq; ita Suarez *Tom 4. in 3. part. disp. 55. sect. 5. num. 13. Duobus autem modis intelligo posse fieri hanc applicationem. PRIMO applicando fructum dictarum Indulgentiarum, eo modo quo applicantur defunctis. SECVNDO concedendo, ut dicti Benefactores possint per se ipsos dictas Indulgentias lucrari, faciendo ea, quæ ad id requiruntur.* Hactenus Peyrinis.

Nota magnum privilegium Prælatis Regular. ab *Vrbano* V. concessum quoad communicationem indulgentiarũ, &c.

JAM verò quoad *postremum*, quænam sint illæ Indulgentiæ, quibus validè frui possint his temporibus, tam ij, qui admittuntur per Literas Fraternitatis ad participationem, quàm Confratres nostri Mariani Scapularis, exigit peculiarem Tractatum, de quibus in 4. Parte prolixiùs agemus.

SOLENT PP. Generales, petentibus Prælatis inferioribus, Literas Filiationis typis excusas concedere, adjuncta nominis subscriptione,

201.

ne, & muneris sigillo appositō, sine *data* tamen, quam hi, dum illas distribuunt, apponere solent: QUÆRITUR, utrum, si priusquam distribuantur & dentur Benefactoribus, moriatur eas concedens Generalis, distributio post mortem facta teneat, aut nulla sit?

Affirmativam partem, quod nimirum nulla sit, videtur suadere hæc ratio. Hæc gratia est non facta sed facienda, quæ inter se differunt, quod hæc cesset per mortem concedentis, minimè vero illa, Ergò &c.

Satisfit quæstioni curiosæ.

RESPOND. Tamen validas esse: censentur quippè gratiæ factæ, licet enim desit *data*, quæ apponi solet in actu distributionis, tamen hoc non arguit gratiam tunc fieri, ad solum indicat Beneficiorem ex illo tempore incipere frui gratia ac beneficio, quod ipsi Generalis jam prius contulerat. Confirmatur, quia inferior Prælatus Literas illas distribuens, non censetur largiri participationem meritorum, sed solum exequi factum Generalis, cujus est merus executor, ac ejus nomine donat has Literas, &c.

Utrum Literæ Filiationis etiam defunctis communicari valeant?

QUÆRIT Franciscus Bordonus Operum suorum *Tom.* 3. *Resolut.* 84. utrum hujusmodi Filiationis Literæ non tantum vivis, verum etiam defunctis concedi valeant?

RESPONDET ipse affirmativè; & rationem reddit, quia communicatio bonorum operum, quæ per Literas illas conceditur, est bonum proprium Religionis, existens in potestate Prælati, ejusque subest dominio, ergò illam largiri potest quibuscunq; idoneis ac capacibus, at etiam defuncti capaces illius sunt, quoad satisfactionem pro pœnis in purgatorio luendis, & per modum suffragij: sicut & quilibet orare potest pro mortuis. Neque hoc est indulgentiam concedere defunctis, quia Superiores per hujusmodi concessiones Thesaurum Ecclesiæ non aperiunt, neq; ex illo hauriunt aliquid, per quod indulgeatur defunctis; sed hujusmodi bona opera sunt propria fructa Religionis, prout spectantur in fieri, vel futura, post factum enim non amplius sunt Congregationis, sed reponuntur in Thesauro Ecclesiæ.

An concessæ viventibus, etiam post mortem illis prodesse possint?

QUÆRIT quoq; idem Author, an Literæ Filiationis concessæ viventibus prosint etiam illis post mortem? RESPONDET ipse negativè, nisi Superior id exprimat: quia gratiæ & privilegia regulariter solum vivis concedi solent: nec benefactores sunt post mortem

tem, sed tantum dum in hoc sæculo vivunt. Sed affirmativè respondendum est; sufficit quippè, quod in hac vita existentes Religioni benefecerint, ut defuncti illius suffragijs gaudeant: imò hoc vel maximè suis beneficijs intendunt, ut tunc quando in altera vita in extrema necessitate erunt, è qua seipsos eripere nequeunt, per Religionis suffragia subleventur. Hoc ipsum confirmat usus ac praxis diversarum Religionum, quæ non contentæ communibus Ordinis suffragijs, etiam particularia pro illis, qui præfatas Literas habuêre, post obitum eorum præstanda decernunt; è quibus nostra *Prima parte* Constitution. *Cap.* 17. *num.* 6. *&* 7. terna integra Officia defunctorum recitari, & tres Missas cantari, designatis tribus anni temporibus &c. præcipit, præter ea, quæ quothebdomadibus & diebus præstari consueverunt.

202. Nonnulla seriò animadvertenda in concedendis Litteris Filiationis.

Circa modum observandum in communicandis prædictis Filiationis literis, sic differit Antonius Caracciolus in *Notis ad Constitutiones Cleric. Regularium part.* 2. *Cap.* 1. [Prælati Religionum non debent esse nimis liberales in concedendo hujusmodi participationibus. Accedit facilè contemni, quod facilè obtinetur. Ejusmodi verò beneficium, magnum æstimari debet, ob insignes fructus atque lucra, quæ secum gerit; quæ latè prosequitur Waldensis Carmelita *Tom.* 3 *tit.* 10 *quæst.* 94. &c. Nostri veteres Patres pauciſſimos~, eosq; nobis insigniter beneficos adscisebant.] Hactenus Caracciolus.

Theophilus Raynaudus in *Heteroclitis spiritualibus Tom.* 2. *sect.* 5. *punct.* 3. [Ne literæ Fraternitatum, *inquit*, vilescant & despiciantur, curæ sit ijs, per quos præbentur, ne adeò frequenter & passim dentur, ut etiam veniant ad immerentes. Curent etiam, ut expetantur potiùs, quàm obtrudantur, aut ingerantur: præsertim cum per conditionem personarum licet. Plerumq; enim talia obtrudere, est projcere margaritas ante porcos.] Ita ille.

Peyrinis in suo *Formulario litt. P. Cap.* 1. ubi etiam normam harum literarum tradit, notatq; eas reddi contemptibiles per nimiam abundantiam: cum sint alioquin thesauri inæstimabiles. *Vnde*, inquit, *meo videri non deberent concedi, nisi verè benefactoribus & amicis, & cum consensu Capituli localis: & illi quibus conceduntur, deberent scribi in aliquo libro particulari ad hoc, ut post eorum mortem, Religio illis debita officia celebra-*

Utrum Literæ Filiationis concessæ ab uno Generali, eo defuncto, aut amoto expirent?

lebraret. Quod autem Peyrinis *ibidem* addat, & existimet, concessa ab uno Generali exspirare eo mortuo, aut remoto ab officio, non probatur nostro in Ordine, vixq; aliud habet fundamentum, quam consuetudinem, quæ apud nos est inaudita quoad hanc retractationem, seu exspirationem. Præterea gratia facta indefinitè, & sine ulla determinatione, aut limitatione concessa, durat etiam post mortem, vel cessationem officij illam concedentis, etiam re integra. *Cap. si sup. gratia de offic. Iudic. delegat. in 6.*

Circa easdem Literas observat Irenæus à S. Jacobo, quod debeant *reservari pro insignioribus Ordinis Benefactoribus, nec sine abusu passim cujusq; arbitrio dispensari, alias sine effectu conferentur; cum superiorum intentio sit ijs solum illas concedere, qui suis beneficijs verè merentur in communem Ordinis hæreditatem adoptari. undè fit, ut ejusmodi Literæ, parum sint profuturæ cæteris, qui licet aliquo modo bene meriti, remissius tamen agunt in Ordine.* Ita ille in *Tract. de singul. V. Protect. sect. 3. cap. 4. §. 3.*

Idem sentit Lezana *Tom. 4. qq. Regularum* Verbo *suffragia. Quando conceduntur* (loquitur de literis Filiationis) *alicui titulo Benefactoris, si talis causa non subsistat, non valeret talis Communicatio bonorum, quæ deficiente causa, sine seu conditione concessionis, deficit ipsa concessio.* Citat pro hac sententia Sotbum in *Addit. ad Comp. Privil. mendic. V. modo quoad sæcul.* Peyrin. *Tom. 2. de Prælat. q. 3. c. 6. n. 13.* & Ludovic. à Cruce. in *Expos. Bullæ Cruc. disp. 1. c. 8. d. 15. n. 16.*

Advertit tamen idem Lezana, quod licet tales Literæ solum Benefactoribus soleant concedi, possint nihilominus etiam non Benefactoribus concedi ex charitate, aut speciali amicitia. Ita quoq; Sorbus, Peyrinis, & Ludovicus à Cruce *loc. citatis* ex Cordub. & Rodriguez.

207. Magna eorum est sæcularium felicitas, qui velut otiosi & quieti, fruuntur Religiosorum

Quantum verò conferant, quantoq; in pretio habeantur sint sæpius memoratæ Fraternitatis literæ, luculenter traditum *Promontorio malæ spei lib. 5. §. 9. num. 9.* Paulus Zehentner subjecto dicitur: [Quis, *inquit*, negare ausit, ingentia illis emolumenta conferre, quibus in medio nationis pravæ, hoc est, corruptissimo seculo constitutis, sive insignia pietatis exercitia applicantur, sive perpetua Divini cultus obsequia, sive quotidianæ affligendi corporis asperitates, quæ inter sacrata Religiosorum hominum claustra, singulas propè horas fiunt? Quid pulchrius, quàm sine expensis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

citra suum laborem posse ditescere, & ingentes cumulare thesauros? Quid jucundiùs, quàm sedendo post sarcinas, custodem potius quàm militem, venire tamen in partem spoliorum? Quid feliciùs, quàm otiosè spectantem alienas pugnas & vulnera, cum victoribus coronari, & eodem quasi victoriæ ferto redimiri? sive quod tantundem est, aspicere eminus, quomodo homines Religiosi piè in corpus suum desæviant, setis asperis pungant latera, flagris lacerent humeros, jejunijs constringant ventrem, simulq; de eorundem gloriosis conatibus, quasi de proprijs participare? Hoc deniq; est *tollere quod non posuisti, & metere, quod non seminásti.*

vigilijs, precibus, jejunijs, laboribus tanquam proprijs.

Luc. 19. 21.

Quanquam verò pauculi illorum, quos mundus numerat inter suos, admittantur ad sanctissima Religiosarum familiarum merita, velut membra, de ejusdem succo sanguinis communicantia: nihilominus tamen multum saltem juvari possunt orationibus eorundem, quos sibi officijs suis, liberalitate, eleemosynâ, alijsq; modis fecerunt obstrictos. Narrabo ad rem præsentem, quod consignatum reperio in Revelationibus *S. Brigittæ*, indicij genus omninò formidabile.

Sæcularibus eleemosynas bene cõpensant Religiosi in spiritualibus.

In Revelat. S. Brigittæ l. 4 c. 7.

Qui pro tribunali sedit, DEUS fuit: rea ante eum anima trepidabat, jam è corpusculo suo, ruinosâ domo, exitura. Adversus hanc ibant Æthiopes stygij, non tantùm armati communi humanæ gentis invidiâ, sed etiam multis accusationibus graves, inter quas palmaria fuit, quòd moriturus ille ad ultimum usq; momentum, nunquam hactenus sincerum de noxis gravibus dolorem, ex motivo charitatis divinæ concepisset. Jamq; putabant sævi accusatores, conclamatum esse de salute convicti hominis, & inferos accessione prædæ augendos. Cum ecce tibi Angelorum adest Regina; neq; sola, sed stipatâ multorum coronâ Religiosorum, partim istâ adhuc vitâ degentium, partim sanctè defunctorum; quos cum jussisset patronos esse reo, & in periculo vacillantis causæ facundos apud judicem intercessores, pro eo, quem fortè meminerant suum olim extitisse benefactorem, ita perorârunt, ut evincerent: nam precibus suis, jam expiranti homini, veram perfectamq; de comissis flagitijs contritionem impetrârunt, hoc est, clavem ad Cælum. Sed ipsa verba ex facta *S. Brigittæ* revelatione, Lectori offero, quia & suavem affectum inspirant, & solatium affundunt,

Expertus est id quidam, ante mortem suam graviter accusatus apud DEUM â malis genijs.

Itaq; *post ista* (intellige multarum accusationum capita) *audiebatur,*

batur sonitus, & quædam vox loquebatur, dicens: Silete & auscultate omnes vos, Angeli & dæmonia, quid Mater DEI loquitur. Et statim ipsa Virgo, ante sedem judicij apparens, & habens sub mantello suo, quasi occultas aliquas magnas, dixit: O inimici, vos persequimini misericordiam & cum nulla charitate diligitis Iustitiam. Licet in operibus bonis hic appareat defectus, pro quibus hæc anima non debet obtinere Cælum; videte tamen quid ego habeo sub manto meo. Cumq; Virgo ambos aperuisset sinus mantelli, apparuit sub uno quædam modica Ecclesia, in qua aliqui Monachi videbantur, sub alio verò sic apparuerunt mulieres, & viri, amicique DEI Religiosi, & alij, & omnes una voce clamabant, dicentes: Miserere misericors Domine. Deinde factum est silentium, & Virgo loquebatur dicens: Scriptura dicit, qui habet fidem perfectam, potest per eam transferre montes in mundo. Quid ergò nunc possunt, & debent voces istorum facere, qui & fidem habuerunt, & servierunt DEO cum fervenți charitate? Quid verò illi amici DEI facturi sunt, quos iste rogavit pro se, ut possit separari ab inferno, & obtinere Cælum, nec pro bonis operibus suis aliam remunerationem quæsivit nisi cælestia? nunquid non possunt, & valent omnes eorum lacryme & preces, apprehendere & elevare eum, ut obtineat ante mortem suam, divinam contritionem cum charitate?

Sed volente D. Virgine, patrocinio ejus susceperunt Religiosi varij, quibus benefecerat.

Tandem & veram Cõtritionem apud Christum eidẽ morienti impetrarunt.

Hanc DEIPARÆ oratiunculam excepit brevẽ silentium: tum deinde Filij judicis approbatio, quàm (suspensis adhuc accusatoribus & reo super eventu) hac sententia manifestam fecit: *propter preces amicorum meorum, obtinebit jam ille divinam contritionem ante mortem; in tantum quod non veniat in infernum, sed purgabitur cum illis, qui gratiam habent in Purgatorio.* Et quæso, quis nolit imposterum bonorum DEO per Religionis vota consecratos venerari? in eorumque se insinuare familiaritatem, quorum tanta est apud NUMINIS solium authoritas, ut possint pauculis verbis omnem vim stygis retundere? Quis non eorum velit flagitare preces? & obsequijs studijsque demereri intercessionem, cor judicis DEI everberaturam ad benignitatem? Quis denique nolit Religiosos sibi *facere amicos de mammona iniquitatis*, si benefactoribus suis (quantumvis diu sceleratis, semperq; impijs) veram sub mortem contritionem impetrant, struuntque ad expeditam viam *ad æterna tabernacula?*] Hactenus Zehentner.

Luc. 16.

C

CAPUT V.

De altera speciali bonorum operum in Carmeli Ordine Communicatione, ratione scilicet SCAPULARIS *Parthenij.*

DEclaratâ bonorum operum Communicatione, quæ fit in Ordine nostro per Literas Filiationis seu Fraternitatis, restat ut alteram explicemus, quæ provenit ex eo, quod quis suscipiat Carmelo-Parthenium SCAPULARE, & Marianæ Ordinis nostri Confraternitati incorporetur. Quæ Communicatio est tertium privilegium Confraternitatis beatiss. Virginis MARIÆ de monte *Carmelo*, de quo ex instituto in hac parte agere proposuimus. Nam illa quæ per Filiationis literas solet fieri, de qua in *præcedenti* capite disseruimus, non est annexa receptioni Carmelitici SCAPULARIS, adeoque nec inter privilegia Confraternitatis annumeranda. Potest quippè illâ quispiam frui, licet non gestet sacrum habitum nostrum sive Scapulare: hac vero nequaquam. Eo tamen ipso, quo dictum habitum suscipit, absque alio onere gaudet hac Communicatione, quæ quidem secundum substantiam est eadem cum altera, quæ fit per Literas Filiationis: distinguitur vero penes modum, & institutionis suæ rationem.

204. Altera, specialis meritorũ sacri Carmelit. Ordinis communicatio constituit. tertiũ beneficium Carmelo-Parthenia Confraternitatis. In quo hæc differat à priore, & in quo cũ illa conveniat?

Posteaquàm igitur quispiam secundum formulam in Ordine præscriptam suscepit sacrum habitum, sive Scapulare nostrum, tum Sacerdos, qui contulit illi habitum, subjungit post orationes, & alios ritus pios hæc verba: *Ego Authoritate qua fungor, & mihi concessa, recipio te ad Confraternitatem nostræ sacræ Religionis, & investio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.*

Quæ verba exponendo Theophilus Raynaudus sic differit: *Nomine ORDINIS comprehendi, & antiquam Familiam Carmelitanam, & novam Teresianam, ita ferentibus pactis conventis inter utriusq; Cœtus Capita compertum est: firmavitq; ea pacta PAVLVS V. anno 1617. Pontificatus sui duodecimo, dato Diplomate, cujus initium est,* Ad ea quæ personarum. *In Scapular. Marian. Part. 1. Cap. 4.*

Quinam nomine *Ordinis* in præfatis verbis comprehendantur?

Ad hæc nomine Ordinis, in hoc negotio comprehenduntur quoq; Soda... Scapularis externi. Nam quamvis hi non sint membra, veluti substantialia R... ligionis Carmelitanæ, neq; sint filij naturales ac proprij ejusdem mysticæ Matris... sed tantum adoptivi & gratiosè acciti, tamen ex quo per adjunctionem legi... mam sunt cooptati, habentur ut FRATRES *Ordinis, & bonis ejus participa... Et vicissim Fratres cum Religiosi, tum Ascititij, participant meritis & spiritu... libus bonis eorum: ita enim censendum est ferre mentem eorum. Et idemet... fundamentum id asserendi, petitur ex Communione, quæ debet intercedere... ter membra ejusdem corporis mystici. Disertè verò id tradit præstans Theolog...* Leo à S. Joanne in *fœdere spirituali* &c. Hactenus Raynaudus.

Alia nonnulla circa mox relata verba discutienda, dissolven... daq; occurrunt, ex quorum elucidatione plenior, perfectiorq; habe... poterit notitia & æstimatio talis tantiq; Confraternitatis nostræ Pri... vilegij: qualis est hæc specialis bonorum operum participatio.

205. Quidnam intelligatur nomine *bonorũ spiritualium, &c.*

QUÆRITUR ergò *primò*, an Confratres nostri sint partic... pes omnium omninò bonorum spiritualium Ordinis: an verò om... nium bonorum in aliquo solum genere? Pro resolutione hujus qu... siti observandum est, quod per bona spiritualia Ordinis, multa bo... ria possint intelligi. *Primò* Privilegia Apostolica, Ordini concess... *Secundò* Indulgentiæ plures ac variæ. *Tertiò* Complura opera bona a... formataq; charitate, quæ exercentur à Religiosis. Rursus hæc ope... ra bona possunt esse in multiplici differentia; alia procedunt à virtu... tibus Theologicis, quales sunt actus fidei, spei & charitatis: alia à... virtutibus moralibus infusis: qualia sunt jejunare, orare, dare elee... mosynam &c. quia consentaneum est fidei & legi divinæ. Alia verò... virtutibus naturalibus & moralibus acquisitis, imperatis tamen... charitate: qualia sunt sobriè manducare, bibere, aut alios virtuosos... moralium actus exercere, quia rationi naturali consentaneum est... quæ præclarè exposita reperies apud nostrum Ven. P. Joannem... JESU-MARIA *Cap. 5. part. 2. instruction. Novitior.*

Dicendum ergò quantùm ad privilegia Apostolica, gaudent... Confratres, prout in *præcedenti Capite* exposuimus, & in *Parte* p... latiùs prosequemur, non verò exemptionibus & immunitatibus... dinis, uti quorundam fuit aliquando opinio, seu potius gravis... ror, qui intuitu pietatis, vel devotionis inconsideratè hoc affir... runt, uti refert LEO X. in sua *Constitutione* 87. Propterea expo...

In Supplem. Ord. Mar. fol. 26.

in dicta formula, quâ conferimus S. SCAPULARE Confratribus noſtris, adduntur hæc verba: *omnium bonorum ſpiritualium*, ad excludendas exemptiones, & immunitates Ordinis, quæ ſunt privilegia temporalia.

Rurſus in Privilegijs ſpiritualibus Ordinis, participant tantùm in ijs, quæ eorum ſtatui & conditioni conveniunt, ſuntq; ſpecificata à ſummis Pontificibus, uti in dicta *Parte quinta* videre erit. Quantùm ad Indulgentias reſpondebimus & exponemus in *ſequenti hujus Operis Parte*! De operibus autem bonis dicimus, quod omnium omninò ſint participes, ſive ſint opera virtutum Theologicarum, ſive moralium infuſarum, ſive moralium acquiſitarum, eo modo, quo paulò ante dicebamus. Et ratio hujus eſt; quia omnia hæc opera ſunt meritoria vitæ æternæ, de condigno quidem ipſi, qui ea operatur, de congruo verò illi, cui communicantur. Ita Doctor Angelicus in 2. *d.* 29. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 4. & 1. 2. *q.* 114. *art.* 3. Advertendum autem eſt, hæc omnia opera valere Confratribus ad promerendum & obtinendum à DEO diverſa beneficia. Si verò ſermo ſit de ijſdem operibus quoad ſatisfactionem, ſola ex ijs operibus, quæ ſunt pœnalia proſunt ipſis, uti *ſupra* quoque dictum eſt.

Ad quid Confratribus hæc proſint bona opera?

QUÆRITUR *ſecundò*, an ſtante hujuſmodi omnium bonorum operum Ordinis Communicatione, Religioſi noſtri, nulla penitus ſibi retineant opera bona propria, & quæ alijs non communicentur?

206.

RESPOND. Ex ſancto Thoma Religioſos noſtros, & quoſcunque alios in gratia conſtitutos per ſua opera bona mereri ſibi vitam æternam de condigno; quod meritum proprium manet ipſis, nec alijs communicatur, aut communicari valet; de hoc enim merito verificatur illud veluti Theologicum effatum *Gratia non fructificat, niſi in proprio ſolo.* Et rogantibus (ut ſcitè in hanc rem ait quidam) *Date nobis de oleo veſtro*, reſpondendum eſt: *Ite ad vendentes, & emite vobis; ne forte non ſufficiat nobis, & vobis.* Soli enim Chriſto Domino hoc conceſſum fuit, ut ipſe nobis ſalutem æternam de condigno mereretur, ex eo quod ejus gratia, gratia fuit Capitis: puri vero hominis ſolum eſt perſonalis.

1. 2. *q.* 114. *art.* 3. & 6. Bunderius *in Concert. compend. tit.* 34. *art.* 21. Utrum ſtante præfata communicatione Religioſis aliquid proprium mãeat, &c.

Deinde quantum ad rationem ſatisfactionis attinet, ſi quiſpiam Religioſus etiam ſubditusper opera ſua bona velit ſatisfacere pro peccatis propriſs, & ad hunc finem in particulari ea ipſa opera applicet,

& dirigat, tunc ista opera non communicantur alijs, nisi in superabundantibus, ut ita loquamur; quod secus est de merito: nam tametsi pro se intendat mereri Religiosus, & de facto mereatur sibi de condigno per opera bona, semper tamen extenditur hoc meritum ad Confratres nostros, non quidem sub ratione meriti condigni, sed sub ratione congrui. Rationem suggerit sanctus Doctor his verbis: *Qui ex charitate pro alio meretur, saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur: non autem, qui pro alio satisfacit, etiam pro se satisfacit: quia illa quantitas pœnæ, non sufficit ad utrumque peccatum, tamen sibi meretur magis quam sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam.* Præjudicium ergo grave inferretur Religioso, si volente quandoque ipso, & intendente in particulari per sua bona opera satisfacere pro suis proprijs peccatis ad alios derivaretur hæc illius satisfactio: quia invitus spoliaretur ipse, cum illa quantitas pœnæ non sufficiat ad proprium & proprium diluendum reatum. Quod adeo verum esse dicunt Doctores, ut nunquam possit Prælatus alijs communicare ejusmodi opera spiritualia, quæ pro satisfactione propriorum peccatorum in particulari facit subditus, nisi ipso consentiente (probabiliter tamen id potest facere Superior in aliquo casu raro, & gravi necessitate) sicuti nec Papa, nec Episcopi per indulgentias applicare possunt, nisi de thesauro Ecclesiæ, neque in illo thesauro communi reconduntur, nisi quæ operanti & satisfacienti supersunt. Proinde licet subditus possit tollere à se, possit in operibus satisfactorijs, quod sibi est necessarium alteri applicando, non tamen idipsum eo invito facere potest Prælatus, inquit Miranda. Cujus ratio est, quia in omnibus bonis subditorum spiritualibus non habet plenariam potestatem Prælatus, sed spiritualibus tantum superabundantibus communicabilibus, ut ita probat Corduba in *citata quæstione* 42.

d. 20. in 4. quæst. unica a. 2. q. 3. ad 3.

Corduba *l. 5. de ind. lg. q. 42.* Navarr. *miscel. 11. n. 9. de Psal. Be Virg.* Mirand. *Tom. 2. q. 50.* & alij.

Ut ũ prælatus subdito invito possit operum ejus satisfactionem alijs applicare? In quibus Religiosorum operibus satisfactorijs? Confratres ordinariè communicent?

Communicant vero Confratres nostri in operibus satisfactorijs nostrorum Religiosorum; *Primo* in ijs quæ determinatè pro quo in Ordine continuò fiunt. *Secundo* in ipsis superabundantibus operibus satisfactorijs, quæ particularis aliquis Religiosus pro satisfactione suorum peccatorum exercet. *Tertiò* in ipsismet operibus satisfactorijs Religioso ipsi necessarijs, modo ipse velit, vel in hoc consentiat. *Quarto* in communibus totius Ordinis satisfactionibus: licet enim Religiosi particulares, ut tales, suas non applicent satisfactiones, applica-

plicantur tamen communes, seu quæ Communitatis actibus correspondent. Quod autem dentur hæ communes satisfactiones, quæ Ordini aggregatis & benefactoribus à Prælatis applicari & communicari valent, docet P. Gabriel à S. Vincentio *Part. 3. de Sacram. pœnitent, disp. 11. quæst. 6. & disp. 13. quæst. 7.* ubi etiam citat N. P. Lezanam *Tom. 3. qq. Reg.* verb. *Bona* & v. *indulgentia.* Idem docet Peyrinis *loc. cit. num. 3.* his verbis: *Similiter bona, quæ facit in communi, ut disciplinas, jejunia, orationes & hujusmodi, quæ in Communitate facit cum aliis Religiosis simul, seu per se, ex statuto Regulæ, aut Constitutionum, aut ex præcepto Prælati, cum hæc bona sint communia Religioni, quamvis subditus eis egeat, potest Prælatus eo invito, & inscio, aliis specialiter communicare; etiam quoad vim satisfactoriam, quia super bonis Communitatis videtur Prælatus habere plenariam potestatem, &c.*

Valor satisfactorij, bonorum operum, quo in plures distribuitur eo minus singuli participant: & unde hoc procedat?

Advertendum verò hic est, quod valor satisfactorius bonorum operum, quo in plures dispertitur, eo minus singuli participant: cum enim præcipuè nitatur perfectioni operum, quatenus ex divina gratia procedunt, & illa operum perfectio sit finita, ita eo minus ad satisfaciendum valebit, quo pluribus ad hunc finem applicabitur. Secus dicendum est de communicatione quo ad vim impetrandi, siquidem non minus alicui prodest oratio propria, si pro pluribus fiat, quàm si pro se tantum: nititur enim absolutè divinæ misericordiæ, quæ est infinita. Undè quoad hanc vim impetratoriam omnia bona opera à Prælato simpliciter possunt applicari, absq; ullo subditorum detrimento. Ita Caracciolus *loco supra citat. p. 2. c. 1. §. 14. Vers. de nostrorum.* Aliam intercedere nota differentiam inter participantes de bonis aliorum operibus per modum satisfactionis, & participantes per modum meriti seu impetrationis. Ad participandum enim primo modo, requiritur specialis intentio operantis, & specialis intentio Prælati applicantis tale opus bonum quoad valorem satisfactorium tali determinatæ personæ &c. de quibus nos *suprà Cap. 2. num. 192.* disseruimus. Ad participandum verò secundo modo, scilicet per modum meriti seu impetrationis, non requiritur talis specialis intentio, imò neq; est necessaria scientia operantis, sed potest Prælatus ipse per se ea cui voluerit applicare, quia in hoc nullum fit præjudicium subdito, imò fit melior conditio operantis ex multitudine participantium. Tum quia incipientes participare, incipiunt

Alia differentia animadvertenda inter participantes per modum satisfactionis ac per modum impetrationis seu meriti de bonis aliorum operib? &c.

cipiunt etiam de suo alijs communicare : Tum quia DEUS, cujus misericordiæ & liberalitati, quæ infinita est, talis fructus innititur magis ex hoc honoratur ; ex quo benè operans, majores potest fructus sperare, majusq; augmentum præmij in vita æterna, ut ait Richard. in 4. *dist.* 45. *art.* 2. *quæst.* 3. *in fine.* Ita Peyrinis *Tom.* 2. *de Relat. Religios. quæst.* 3. *cap.* 6. *num.* 3.

207. QUÆRES *Tertiò*, de quibusnam meritis seu bonis operibus intelligenda sit hæc Communicatio ? utrum de illis, quæ retroactis sæculis seu temporibus Sancti & alumni hujus Ordinis præstiterunt, an verò de illis, quæ in præsenti præstant tempore aut imposterum præstabunt &c. Et ambigendi rationem præbet ipse Literarum Filiationis supra productarum tenor & textus, qui ita habet : *Confisi meritis & precibus B. Virginis* MARIÆ *Matris* DEI *& nostræ, cui specialiter jubilamur, ac ejus Sponsi sanctissimi* IOSEPH, *nec non sanctorum Prophetarum* ELIÆ *&* ELISEI *Patrum nostrorum : sanctorum Angelis & Anastasij Martyrum &c.* Videntur quippè hic applicari merita Sanctorum, qui superioribus sæculis in Ordine floruêre, imò ipsius sanctissimæ DEIPARÆq; Virginis, ac beatissimi JOSEPH.

Bona opera præterita in quantum satisfactoria applicari alijs amplius nequeunt, possunt tamen in quantum meritoria, &c.

RESPOND. Distinguendo : vel loquimur de operibus bonis in quantum satisfactorijs, vel de ijsdem ut meritorijs. Si de illis primo modo differamus, applicanda sunt in particulari, antequam fiant, vel dum fiunt, Confratribus sacrum SCAPULARE gerentibus, aut ijs qui Literas Filiationis seu Fraternitatis acceperunt : aliàs pro ijsdem facta sunt, à nullo jam amplius applicari possunt. Ratio est, quia ex ipso, quo non applicantur antequam fiant, vel dum fiunt, ejusmodi opera ut satisfactoria, si operans minimè egeat, reponuntur in communi Thesauro Ecclesiæ, & exindè pro indulgentijs ab habente authoritatem, videlicet summo Pontifice, extrahuntur. Si verò de ijsdem operibus ut meritorijs agatur, possunt applicari postquam jam facta sunt : nam hujusmodi opera licet formaliter transierint, virtualiter tamen remanent in conspectu DEI, neq; reperitur hic illud inconveniens, quod respectu satisfactionis diximus intervenire: quia hujusmodi opera, in quantùm meritoria non reponuntur in Thesauro Ecclesiæ. Quare si aliquando dicatur quod satisfactiones præteritæ communicentur à Prælatis Religionũ alijs, accipiendũ id est de communicatione objectiva, in ratione operis boni, & apud DEUM congruè meriti

In quo sensu dici possint satisfactiones

rij : non autem de communicatione & translatione formali satisfactionis, quatenus satisfactio est. Nam quamvis hoc secundum, (ut diximus) fieri nequeat, nisi à Pontificibus depromentibus ex communi Ecclesiæ Thesauro opes ibi reconditas : repræsentatio tamen meritorum anteriorum, sive eorum, qui nobis conjuncti sunt, aut fuerunt, sive etiam propriorum, optimè fieri potest, ut de congruo obtineatur à DEO beneficium aliquod. Sic antiqui DEUM solebant interpellare per vetera progenitorum suorum merita, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Davidis : id quod etiam apud sæculares Principes usu receptum videmus, cum exorandi sunt aliquod beneficium : memorantur enim eis facta majorum, & prisca nobilitas. Sic David sua anteriora benefacta & mansuetudinem repræsentabat DEO; sic Ezechias, cum oraret conversus ad parietem 4. Reg. 20. inquiens : *Obsecro Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est fecerim, &c.* Et licet hæc propriorum meritorum repræsentatio, sobria & infrequens esse debeat, ut notavit Suarez, *lib. 2. de Orat. Cap. 9.* est tamen omnino licita, si prudenter adhibeatur. Allegatio tamen meritorum alienorum accommodatior est, qualis cernitur in propositis exemplis : suppetuntque ubivis exempla similia. Et hoc sensu asserimus bona opera ut satisfactoria, non posse communicari, prout præterita : posse tamen ut impetratoria ; nam meritorum sive anteriorum, sivè præsentium repræsentatio, pollet vi impetrandi, quatenus objectus ille bonorum operum interpellat tacitis saltem vocibus DEUM, atque inflectit erga personam, cui bona alterius opera sunt communicata per spiritualem adoptionem, aut fraternitatem. Propterea rectè dicitur, opera bona quatenus impetratoria (seu quatenus objectivè moventia DEUM ad benefaciendum Authori illorum operum, & alijs illi necessitudine spirituali conjunctis) prodesse, etiamsi jam sint præterita : in quo statu non prosunt pro ut satisfactoria, quia sic spectata sunt evanida & effœta, cum primum transierunt ac desierunt physicè esse. Ita Miranda in Manual. Prælat. *Tom. 2. quæst.* 50 *art.* 4. Villalobos *Tom. 2. Tractat. 26 difficul.* 6. Raynaud. in Heteroel. spiritual. *Tom. 2. sect. 5. punct.* 3. Caracciolus in Notis ad Constitutiones Cleric. Regul. *Part. 7. Cap.* 1. Navarrus *Miscell.* 11. *de Orat.* Peyrinis *Tom. 2. de Prælat. Relig. quæst. 3. Cap. 6. num. 5.* alijque complures.

præteritæ alijs communicari ?

Meritorum tam anteriorum, quam præsentium repræsentatio apud DEUM pollet vi impetratoria.

Ex his constat, quid respondendum sit ad rationem dubitandi propositam, &c.

Cur in litteris Filiationis mētio fiat de meritis Sanctorum Ord. &c.

PRÆTEREA dicendum est, non applicari in illa formula communicationis literarum Filiationis seu Fraternitatis merita Sanctorum nostro Præposito Generali, sed allegari eorum merita, ut efficatior reddatur applicatio bonorum operum totius Ordinis, innixa meritis & operibus Sanctorum, sicuti Ecclesia merita & bona opera Sanctorum allegat in Orationibus suis, ut scilicet hoc modo efficaciora reddantur. In dicta igitur formula applicantur sola merita, & satisfactiones Religiosorum Ordinis, qui subsunt ipsi Præposito Generali: quâ applicatione Religiosorum intentio modificatur, & quodammodo authoritativè particularizatur ad Confratres Ordinis, videlicet qui literas Filiationis accipiunt, juxta doctrinam sancti Doctoris 4. d. 20. q. 1. a. 4. q. 1. ubi ita docet: *Intentio*, inquit, *alicujus potest alterum dirigi tripliciter, aut in generali, aut in speciali, aut in singulari. In speciali sicut cum quis orat pro Congregatione sua, & familiaribus & benefactoribus & ad hoc etiam ordinat opera sua satisfactoria, & sic ille, qui Congregationi præest, potest opera illa alij communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de Congregatione sua, ad hunc determinatè, &c.*

208.

Utrum possit quis valorem satisfactoriū anteriorum suorum operum sibimetipsi applicare pro solutione pœnæ, peccati noviter commissi?

QUÆRITUR *quarto*, An possit quis sibimetipsi communicare bona opera præterita, quo ad valorem satisfactorium, de justitia condigno eis debitum, ita ut prosint ei ad extinguendum reatum pœnæ, quam debet, aut debebit pro peccatis commissis, posse illa bona opera ex debita pœnitentia condonatis quoad culpam? Exempli causa. Quidam gratia DEI præditus, & in illa persistens longo tempore complura peregit opera bona ac meritoria, quorum valore satisfactorio majori ex parte præfato tempore haud indiguit, postmodum labitur in lethalem culpam, ac deinde sufficienter pœnitens adipiscitur remissionem culpæ, sed non totius pœnæ: *quæritur*, utrum is præfatum valorem satisfactorium supradictorum bonorum operum, illo tempore sibi minime necessarium, possit nunc assumere atque sibi adplicare pro solutione pœnæ, pro peccato noviter commisso ac condonato debitæ?

RESPOND. id nequaquam fieri posse: cum jam illa merita, quo ad illorum valorem satisfactorium, sint reposita in Ecclesiæ Thesauro, cujus dispensatio non ad illum, sed ad Romanum pertinet Pontificem

ficem. Sicuti ille, qui multa bona donatione completa jam Ecclesiæ donarat, non potest quicquam ex illis, etsi ijs postmodum egeat, propria authoritate sumere aut recipere, juxta *Cap.* Noverint. 10. *q.* 1. *&* C. Sunt qui opes 17. *q.* 4. ItaNavarr. *Miscell.* 11. *de Psalt. & Rosario B. V. num.* 8.

Præter cõmunem Ecclesiæ Thesaurũ satisfactionum Christi, & SS. non extat alius privatus antecedentium satisfactionum, &c. & hujus rei quæ sit ratio, demonstratur.

Hæc sententia non minus solidè quam efficaciter confirmari quoque videtur subjecto discursu. Constat inter Theologos, esse in Ecclesia Thesaurum communem satisfactionum Christi, atque earum, quæ viris sanctis superaverunt; cujus clavem Christus Dominus suis commisit Vicarijs, ac per indulgentias dispensari voluit. At nulli mortalium suppetere privatum satisfactionum antecedentium thesaurum: nec posse quenquam asservare; & sub dominio suo privato retinere ullum hujusmodi peculium, quod vel pro se eroget in tempore futuræ necessitatis, vel in aliorum commodum educat, cum libuerit, constanter docent ijdem Theologi; ita ut ne Religiosis quidem Cœtibus suum aliquem Thesaurum satisfactionum concedant: affirmentque Communicationem meritorum alicujus Ordinis â Præsidibus ejus factam cuipiam, alio pertinere, quam ad erogationem satisfactionum aliquarum antecedentium, quas Ordo apud se reconditas habeat, & in gratiam ejus, cui suffragatum cupit, educat. Hoc enim esse planè falsum, eo quod nullus sit uspiam Thesaurus communis aut privatus satisfactionum, præter unum illum, qui universæ Ecclesiæ est communis, confirmant optimè præfatus Navarrus *loc. citat. num.* 5. *&* 7. Corduba *lib. de indulg. quæst.* 42. *dicto* 8, *punct.* 3. Villalob. *Tract.* 28. *difficult.* 6. *num.* 4. Suarez. *Tom.* 4. *in* 3. *P. disp.* 55. *sect.* 5. *num.* 3. *& seqq.* atque alij apud Caracciolum in *Notis ad Constitut. Theatinorum*, *Part.* 2. *Cap.* 1. *in fine.* sunt igitur ista apud Doctores explorata. Atqui si possemus fructum satisfactorium anteriorum bonorũ operum, quæ aliquando patravimus, transfundere postea in nos aut alios, esset penes nos Thesaurus privatus, cujus clavem ipsi haberemus, distinctam â communi clave Pontificibus commissa. Nihil quippe fert aliud vox *Thesauri privati*, quam peculium è proprijs illis satisfactionibus antecedentibus nobis residuis, quæ nullum in nobis, alijsve, per cessionem nostram, effectum habuerunt; cum sunt elicitæ. Nec vox *clavis* aliud sonat, quam potestatem disponendi pro arbitrio de satisfactionibus ad eum modũ asservatis.

209. Utrum S. M. *Teresia* suas præteritas aliquando satisfactiones alicui defuncto communicarit?

DICES seraphicam Matrem S. TERESIAM suas omnes anteriores satisfactiones cuipiã defuncto communicasse, uti ex R. P. Gregorio Nazianzeno â S. Basilio *lib. de Adopt. parthenia*, Part. 2. Ca. 43. refert Raynaudus *Tom. 1. Heteroclit. spiritual. sect. 2. punct. 2.* Ergò id piè & validè fieri poterit.

RESPOND. Si hoc factum sit, ut â nonnullis refertur, intelligendum id esse ad eum, quo *supra nu.* 207. exposuimus modum. Attamen gatur sapientissimam hanc Virginem præteritas suas satisfactiones illum defunctum transtulisse, quod clarius constabit, si ipsa ejus verba, quibus factum hoc suum recenset, hic producamus. *Dictum* [illegible] *fuit*, inquit, *Cap.* 38. *vitæ suæ, ex hoc vita decessisse, quendam qui olim Provincialem nostrum egerat, sed cum obijt, alteri Provinciæ præerat. Hic* [illegible] *cum olim egerat, eique ob quædam exhibita mihi beneficia, aliquot nomismata* [illegible] *vincta eram: vitæ vero eius ratio honesta imprimis ac proba erat. Vt ergo* [illegible] *demortuum audivi mirum in modum turbata sum, quia de salvatione ejus* [illegible] *bam: viginti quippe annis Superiorem egerat: quam ego rem certè valde* [illegible] *Nam mihi perquam periculosum videtur animarum regimen habere. Deinde magno cum pavore me intra quoddam Oratorium abdidi, omniaque bona* [illegible] *quæ toto vitæ tempore unquam egeram (quæ sane parva admodum fuere)* [illegible] *lum transtuli. Vnde Dominum rogabam, ut per sua merita adimplere dig-* [illegible] *retur, quod animæ illi, ut purgatorijs flammis possit egredi, deesset. Mox ego Dominum quam poteram enixissimè rogante, videbatur is de profundo* [illegible] *dexterum latus meum prodire, & mox illum magna cum lætitia & gaudio* [illegible] *los ferri conspexi, &c.* Nullam prorsus, in hac S. M. TERESIÆ relatione, satisfactionum mentionem fieri video: affirmat quidem [illegible] nia sua, quæ unquam patrarat bona opera, in jam dictum defunctum transtulisse, at cum opera bona, præter meritum proprié dictum [illegible] justitiæ, quod est incommunicabile, contineant quoque vim [illegible] ctoriam, atque impetratoriam, uti supra diximus, censendum est S. M. TERESIAM opera sua pro illo Patre defuncto obtulisse, non [illegible] tenus satisfactoria; cum sic considerata, modo in superioribus [illegible] posito, effœta essent atque inania, sed pro ut impetratoria seu [illegible] toria de congruo; quod etiam apertiùs subindicare videntur [illegible] quæ mox subjecit, inquiens: *unde Dominum rogabam, ut per sua* [illegible] *adimplere dignaretur, quod animæ illi, ut purgatorijs flammis possit egredi, ac* [illegible] *set.* Quo manifestè ostendit, se bona opera sua solum quatenus [illegible] pos-

Quam sit periculosum, judicio S. M. Teresiæ, regimen animarum.

petratoria obtuliſſe, dum has enixiſſimas preces adjunxit cum meritis Chriſti, quod alias non fuiſſet neceſſarium: nec ſupra citatus Gregorius Nazianzenus contrarium aſſerit, licet ipſum pro oppoſita ſententia adducat P. Raynaudus. Proficuum autem eſſe DEO offerre pro quibuſdam defunctis, aut etiam morientibus ſua omnia merita præterita, docet Corduba *de indulg. q. 39.* his verbis: *per viam meriti, ſeu impetrationis valet communicatio bonorum ſuorum præteritorum, & conceſſio eorum, quam aliqui piè faciunt aliquibus exiſtentibus in articulo mortis, ſeu etiam jam defunctis.*

QUÆRITUR *quintò*, Utrum is, qui reatu proprio gravatur, poſſit in alios ſatisfactiones ſuas transferre? **210.** Quibus in caſibus valeat quis proprias ſatisfactiones in aliũ transferre, licet in præſenti ipſe transferens illis egeat?

RESPOND. *Si* non agatur de omnium planè, etiam futurarum omnium ſatisfactionum translatione, licita & valida, ac utique fructuoſa erit translatio; etiamſi perſona transferens egeat illis in præſenti, ita ut, ſi moreretur eſſet trudenda in purgatorium, idque ipſi non ſit incompertum. Hoc eſt contra Navarrum *miſcell. 11. de orat. quæſt. 10.* ubi cenſet, eum, qui indiget ſuis ſatisfactionibus, eo quod ſit in ære DEI propter peccata, non poſſe validè transferre ſuas ſatisfactiones in alterum; ſed id tantùm poſſe fieri de illis ſatisfactionibus, quibus quis non egeat pro ſeipſo; ſed niſi ab homine applicarentur, reponerentur in Theſauro Eccleſiæ, inde educendæ per indulgentias. Conſtat enim plurimorum Sanctorum ſatisfactiones, quæ illis ob ſummam innocentiam ſuperfluerunt, nec ab ijs ad alios ſunt translatæ, ibi aſſervari, ut docuit CLEMENS VI. & malè omninò inficiatus eſt Mayronis, alijq; nonnulli. *Si* ergò aliquis ejuſmodi ſpiritualibus bonis ſuprà neceſſitatem ſuam abundet, benè ac validè juxta Navarrum, ea poterit foras derivare: non item ſi illi futura ſit tribulatio, per hanc remiſſionem alijs factam, quod improbavit Apoſtolus; videtur enim damnanda ea prodigalitas priorum bonorum, & ita perverſio ordinis Charitatis, qua quis malè ſibi eſſe velit, ut alijs ſit benè.

Verum aliter diſtinguendum videtur. *Si* enim agatur de translatione ſatisfactionum in tempore ſummæ neceſſitatis propriæ, quale eſt, cum quis multo reatu temporaneo gravatus, videt ſibi imminere mortem: nec dubitat quin ſe ſpoliando ſuis ſatisfactionibus, trudendus ſit in purgatorium; tunc ea translatio videtur illicita, quia eſt con-

contra charitatem sibi debitam, atq; ideo expers erit meriti. Ita censet, qui hoc fusiùs probat Raynaudus *Tom. 1. Heteroclit. spiritu. part. 2. sect. 1. punct. 11.* Non videtur tamen translationem fore invalidam, si actus satisfactorius concomitetur tantum actum translationis, ita ut ab ea non vitietur. Si autem non timeatur illud periculum, sc. homo speret suppetiturum posteà tempus, quo sibi consulere, & sa reatu, per alia opera satisfactoria, vel per indulgentias liberari pos sit, sicq; non esset contra rectum Charitatis ordinem, cedere hunc fructui sui operis in favorem alterius, imò meritum quod à transla tione pararetur, compensaret in nobiliori genere dispendium illud boni despicatioris. Nam perderetur remissio reatus temporarij tantùm duraturi, & acquireretur gratia sanctificans & gloria duratura in æternum. Optimè hoc confirmant illa Lucæ Tudensis *lib. 2. contra Albigens. Cap. 17.* verba: *Qui pro alijs orat, pro semetipso laborat; & Charitate quâ extenditur, ut oret pro alio, semetipsum* DEO *commendat, & sanctissima opera Charitatis, quæ ad illos integrè perveniunt, pro quibus sunt; & integra atq; illibata sine diminutione aliqua permanent operanti. Unde ait Propheta*, Oratio mea in sinu meo convertetur. *Et quia non cessat orare, qui non cessat benè agere, atq; omne opus bonum Oratio esse dicitur, ut ipse ibi:* Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro vobis Dominum. *Quicunq; boni operis exercitium pro alio gesserit, ad illum procul dubio secundum vocem Dominicam revertetur pax ejus.*

Maximo cum fructu & lucro id sæpius fieri poterit.

Qui pro alijs orat, pro semetipso laborat.

CAPUT VI.

Resolvuntur alia quædam circa eandem materiam dubia.

211. QUÆRITUR *sexto*, Ad quid valeat Confratribus nostris participatio illa bonorum operum, quatenus meritoria de congruo, seu impetratoria, aut quid indè consequatur?

Communicatio bonorum operum quatenus meritoria, sive impetratoria plurimum pro-

RESPONDEO. Valere hanc participationem ad multa, ut dicemus suprà *Capite secundò*, & apertè constat ex Sacris scripturis: DEUS quippè propter Jacob benedixit domui Laban; propter decem justos paratus erat parcere quinq; civitatibus; propter David pepercit

cit Salomoni; propter fidem portantium sanavit paralyticum; propter ELISEUM dedit prolem Sunamitidi: & propter ELIAM pluviam terræ; propter Joseph Patriarcham ab Ægypto famem avertit, & ita de alijs quàmplurimis. Multa igitur bona spiritualia & temporalia confert DEUS, propter merita justorum; & multa similiter mala spiritualia & temporalia avertit. Potissimum verò valent merita hujusmodi justorum hominum ad salutem, & vitam æternam, quod his verbis egregiè docet S. Doctor: *Dico, quod prædestinationis effectus est salus humana, quæ à DEO procedit, sicut à prima Causa, sed ejus possunt esse plures causæ proximæ, quasi instrumentales, quæ sunt ordinatæ à divina Prædestinatione ad salutem humanam sicut instrumenta applicantur ab artifice ad effectum artis explendum unde sicut Prædestinationis divinæ est effectus, quod iste salvetur, ita & quod per Orationes tales & merita talia salvetur: & hoc etiam Gregorius dicit in 1 lib. Dialog. quod ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur.*

deest participanti, quod multis S. scripturæ exceptis edocemur.

Q. 6. de prædestin. art. 6.

Objciet hic forsan quispiam, videri modicum posse Confratribus prodesse hanc meritorum seu bonorum operum Communicationem quod ad vim merendi, cum non habeat rationem meriti de condigno & ex justitia, sed solum de congruo & amicitiæ, quod non est rigorosum meritum.

Respondetur hoc minimè obstare; quia non rarò majora impetrantur per viã amicitiæ, liberalitatis & congruitatis, quàm justitiæ: qui enim fodit in vinea Regis (utitur hoc exemplo Navarr. *loc. cit. nu.* 3.) via justitiæ certum quid meretur, qua via preces Reginæ non possunt mereri aliud tantundem; via tamen decentis liberalitatis & magnificentiæ potest ei plus mereri Regina uno verbo, quàm ille centum dierum opere; ita licet via Justitiæ quisq; plus sibi possit per se mereri quàm per alios, via tamen decentiæ & amicitiæ sæpènumero plus per alios quàm per se meretur. *Sic porrò* (verba sunt Raynaudi *loco suprà citato,*) *benefacit DEVS alijs intuitu Justorum, ut ex decentia conferat alijs, quæcunq; ipsi justi possent mereri sibi ipsis. Insuperq; etiam primam gratiam actualem, quàm nemo sibi mereri potest, ac ne de congruo quidem. At respectu alterius, justus potest eam de congruo mereri; quia actio meritoria non erit planè naturalis, qualem oporteret eam esse, si homo primum illud auxilium sibi ipsi promereretur. Hinc intelligitur, quanti sit uniri multis justis per necessitudinem aliquam saltem societatis initæ voluntariè, sicut fit per Literas Fraternitatis &c.* Hæc ille.

Nonnunquam plura & majora per viã liberalitatis & decentis congruitatis, amicitiæq; obtinentur quam per viam justitiæ.

Quæ-

212. QUÆRES *septimò*, Ad quid conducat illa eadem participatio quo ad vim satisfactoriam? Huic quæsito jam suprà satisfecimus, hic tamen addere lubet quædam verba S. Thomæ dictis nostris mirè faventia: *Pœna*, inquit, *satisfactoria est ad duo ordinata: scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. In quantum ergò est ad medicinam sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri: quia ex jejunio unius, caro alterius non domatur, nec ex actibus unius, alius benè agere consuevit, nisi secundum accidens, in quantùm scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium est ad vitanda peccata: sed hoc est per modum meriti magis, quàm per modum satisfactionis. Sed quantùm ad solutionem debiti, unus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in Charitate & opera ejus satisfactoria esse possint.*

In Addit. ad 3. p. q. 13. art. 2.

213. QUÆRITUR *octavò*, An participent in dictis bonis operibus tam ij, qui sunt in gratia constituti, quàm qui in peccato?

Utrum nō modo justis, verum etiam peccatoribus hæc prosit meritorum participatio?

RESP. Eos qui sunt in statu gratiæ participare in his operibus tam quo ad vim satisfactoriam, quàm quo ad vim meritoriam, juxta ea quæ hactenus diximus. Si verò loquamur de ijs, qui lethali sunt peccato obnoxij, imprimis non participant in ejusmodi bonis operibus, quoad vim satisfactoriam. Ratio hujus est, quia nullus liberari potest à pœna, nisi sit absolutus à culpa: effectus enim non diminuuntur, neq; tolluntur, nisi diminutâ vel ablatâ causâ: quoad vim autem meritoriam etiam ij, qui sunt in peccato mortali, & quibus communicantur dicta bona opera, participant in illis, ut docet S. Doctor in hunc modum: *Si fieret*, inquit, *communicatio per hunc modum. Facio te participem meritorum totius Ecclesiæ, vel unius Congregationis, vel unius specialis personæ; sic possent valere ad merendum aliquid illi, qui est in peccato mortali*, &c.

In addit. ad 3. p. q. 27. art. 1.

214. QUÆRES *nono*, An indulgentiæ amplius prosint Confratribus, an participatio bonorum spiritualium Ordinis?

In quo excedant indulgentiæ bonorum operum communicationem?

RESPOND. Indulgentias eatenus esse majoris valoris, quatenus in nostra ac probabiliori sententia, certò & infallibiliter prosint vivis atq; defunctis, & satisfactiones per eas applicatæ hauriuntur ex Thesauro Ecclesiæ infinito & indefectibili. Deindè indulgentiæ communiter sunt abundantiores, perq; eas plus de pœna remittitur. Per communicationem verò bonorum spiritualium Ordinis non dimittitur tantùm de reatu seu pœna, verum participantibus communica-

ta

tur solum pars aliqua satisfactionum communium, quæ omnibus de corpore Religionis applicantur: & pars etiam aliqua ex satisfactionibus superabundantibus particularium, juxta dicta in superioribus, sed quid indè proveniat cuilibet, incertum nobis est, cum satisfactiones hominum finitæ sint ac defectibiles.

Et hæc indulgentias?

Unum est tamen in quo communicatin meritorum Ordinis videtur quodammodo indulgentias superare; videlicet, quod indulgentiæ solum conducant ad pœnæ temporalis remissionem: communicatio autem bonorum operum Ordinis, non modò prodest ad reatus temporarij remissionem, verum etiam ad diversa bona, tum spiritualia, tum temporalia adipiscenda: per eam quippè gratiæ prævenientes plurimæ alijs donantur, quibus gratiam sanctificantem amissam facilius recuperare, habitam conservare & augere, tentationibus fortiùs resistere &c. valeant, prout ex supra dictis sufficienter constat & patet.

Fructus cõmunionis meritorum, &c.

Quæritur *decimò*, An sit aliqua diversitas in hujusmodi participatione bonorum operum Ordinis nostri; ita ut aliqui magis participent, quàm alij? Et ratio dubitandi posset esse, quia in quibusdam alijs Ordinibus, veluti in Ordine FF. Minorum, non æqualiter participant omnes de bonis operibus, & meritis Religiosorum ejusdem Ordinis, &c.

215.

Utrum diversitas aliqua inter participantes prædicta bona Religionis opera reperiatur?

Respondeo distinguendo: vel enim loquimur de ijs, qui communicant in bonis spiritualibus Ordinis nostri, ratione Confraternitatis sacri SCAPULARIS quod gestant; vel de ijs, qui extra dictam Confraternitatem per Literas Filiationis solum admittuntur ad hanc Communicationem, & impropriè Confratres dicuntur.

Inter communicantes ratione Confraternitatis nullam adesse diversitatem probatur.

Priores videtur æqualiter omnes participare, & nulla esse omninò inter eos diversitas: licet P. Irenæus mox adducendus oppositum sentiat. Hoc suaderi hoc argumento videtur. Ad hanc meritorum participationem pro parthenijs Sodalibus nihil aliud requiritur, quàm legitima susceptio, & gestatio Mariani Scapularis; ut infrà *Part.* 7. *Cap.* 4. dicemus: at utrũq; hoc, ut supponimus, æqualiter in omnibus reperitur, Ergò &c.

Confirmatur: ad gaudendum hac bonorum operum communicatione solùm exigitur, & sufficit esse quempiam Mariani Scapularis atq; Ordinis Confratrem, sed hanc rationem & conditionem

omnes Sodales æqualiter participant, ergò etiam æqualiter gaudebunt hac communicatione &c.

Posteriores verò, qui ratione Literarum Filiationis dictorum Ordinis spiritualium bonorum participes redduntur, regulariter & ut plurimum inæqualiter communicant de dictis bonis ita prætet alios censet Bordonus *Tom. 3. oper. mor. resolut. 84. num. 16.* & Pr næus *loco statim referendo*: sicq; etiam sentire videntur omnes illi Doctores, quos *Cap. 4. num. 202.* adduximus. Cum enim hæ Litter ordinariè conferri soleant à Religionis Prælatis, ex reciproco, d præstita Ordini beneficia, gratitudinis affectu, & in his præstandis non modica communiter soleat intercedere diversitas, similis quæ diversitas ordinariè intercedet, inter ipsos possidentes has Literas & in ipsa participatione: ita ut pro rata solùm participent, seu secundùm numerum, modumq; beneficiorum. Ratio quippè motiva & causa finalis hujus communicationis sunt exhibita beneficia, ergo quo plura & majora illa fuerint, tantò ampliùs quis percipiet de prædictis bonis ac meritis. His adde, quod juxta Angelicum Doctorem teneamur magis benefacere his, cum quibus majorem habemus conjunctionem atq; obligationem &c.

Inter communicantes vero ob litteras Fraternitatis solet non modica ordinariè intercedere diversitas.

Notat Peyrinis, quod cum hujusmodi Fraternitatis Literæ concedantur à Prælatis Ordinis Benefactoribus: *si*, inquit, *in aliqu cesset ista causa finalis, quia scilicet non sit benefactor, certè iste non frueturdictis bonis; cessante enim causa, debet cessare effectus. Et similiter cessat frui dictis bonis ille, qui cum benefactor esset tempore acceptæ participationis, deinde cessat à benefaciendo.* Distinguit autem quadruplex Benefactorum genus. *Et adverte*, inquit, *quod benefactores sint in quadruplici differentia. Alij enim benefaciunt opibus & eleemosynis suis Religiosorum paupertatem juvando. Alij ijs benefaciunt, ab injurijs defendendo, à calumnijs liberando, eis benè semper loquendo, reverentiam illis exhibendo. Alij jurà eorum tuetur, & sustentant in judicio, ut Doctores, Procuratores, Solicitatores, Advocati. Alij illis benefaciunt, officium exercendo Medici, Chyrurgi, Notarij, &c. ipsi nes possunt ad participationem admitti. Quod si postquam sunt admissi, ces saltem ab una ex prædictis beneficentijs impendendis, etiam cessat in illis partic tionum effectus. Quare qui opibus paupertatem Religiosorum sublevabat, ad pertatem redactus, si benè saltem de illis loquatur, non desinit participare de bonis.* Hæc Peyrinis *Tom. 2. de Prælat. Relig. quæst. 3. Cap. 6. n.*

Nota quadruplex Benefactorũ genus, qui omnes, juxta Peyrini sententiã, ad participationem sæpius dictam admitti queunt.

Nec prædictis obstat PII V. Constitutio incipiens, *Etsi Dominici gregis, &c.* anno 1567. promulgata, quia, ut *infra* fusiùs dicemus, per illam duntaxat indulgentiæ revocantur, pro quarum adeptione porrigendæ erant manus adjutrices, nequaquam vero sæpius dicta meritorum seu bonorum operum participatio.

QUÆRITUR *undecimo*, Utrum si in traditione SCAPULARIS prædicta verba, per quæ Confratres ad Ordinis beneficia recipiuntur, omitterentur, nihilosecius essent eorum participes? 216.

RESPOND. Confratres per receptionem sacri SCAPULARIS admitti ad Ordinis beneficia, seu bona spiritualia, licet præfata verba, *Ego authoritate, &c.* intermitterentur, quo ad partem à summo Pontifice concessam: quemadmodum universalis Ecclesiæ militantis suffragiorum partem obtinent singularem vi susceptæ Confraternitatis, etsi ea de re in receptione eorundem nulla fiat mentio. Ratio hujus est, quod GREGORIUS XIII. in Constit. *Vt laudes.* sic fuerit interpretatus Bullam CLEMENTIS VII. ut præfati Confratres facti sint participes bonorum spiritualium Ordinis, imo & universalis Ecclesiæ militantis. Quapropter sive id Conftatribus declaretur in receptione, sive non, par erit ratio quo ad partem ejusmodi à summo Pontifice concessam, dico *à summo Pontifice concessam, &c.* Nam alia est ratio de parte concessa à Superioribus Ordinis. Enimvero summus Pontifex ita est Dominus bonorum Ordinis spiritualium, uti & quorumlibet aliorum Ecclesiasticorum, ut proprium infra ipsum habeant *dominium* Superiores: vi cujus possunt dispensare spiritualem Ordinis thesaurum: imo inter ipsos Superiores majores & minores eadem servari debet proportio dominij, & dispensationis, juxta gradum suæ jurisdictionis. Præfata igitur verba: *Ego authoritate, &c.* non debent intelligi de parte per summos Pontifices, sed per Prælatos Ordinis Confratribus assignata, ultra concessam à summis Pontificibus. Ex quo fit, quod si omittantur ista verba, carebunt Confratres tali participatione ab Ordine concedenda, at gaudebunt nihilominus parte bonorum Ordinis, uti & Ecclesiæ à summis Pontificibus concessa.

Dixi etiam supra GREGORIUM XIII. *fuisse interpretatum Bullam CLEMENTIS VII.* nam ea patitur aliquam difficultatem, quoad præsens negotium, tum quod participationis beneficiorum Ordinis

clarè non meminerit, tum quod universalis Ecclesiæ suffragia non tam Confratribus quàm facientibus eleemosynas &c. videatur impertiri. Quæ omnia in Constitutione GREGORII XIII. tanquam exponentis Bullam CLEMENTIS sunt evidentia.

217. PRO confirmatione eorum, quæ hic, ac in præcedentibus Capitibus dicta sunt, lubet hic adjungere id quod advertendum monet R. P. Irenæus à S. Jacobo in suo pluries *cit. Tract. de singul. Ord. protect. sect.* 3. *cap.* 4. §. 3. his verbis: [Notandum verò vi illius receptionis ad Ordinis beneficia factæ in tradendo SCAPULARI, participari quidem aliquid bonorum spiritualium Ordinis, quod illi non compararent Fideles absq; istiusmodi receptione. Verum si præterea suis ergà Ordinem beneficijs *Literas Affiliationis* obtinuerint, majorem pariter bonorum Ordinis spiritualium partem acquirent, quàm per alterutrum seorsim acceptam. Quemadmodum iterum inter Benefactores Ordinis, qui pluribus aut majoribus beneficijs meretur de Ordine, plura sibi comparat Ordinis suffragia, cæteris paribus. Item ex ijs, qui Scapulare acceperint, ideoq; Ordinis beneficia participant, plus sibi assumit de ijsdem suffragijs, qui majori zelo & affectu Confraternitatis ejusmodi beneficium colit & assumit.

Discrimen inter receptos ad Ordinis beneficia per Scapulare, & per Literas Filiationis.

Hinc colliges discrimen inter receptionem ad Ordinis beneficia per SCAPULARE, & per *Literas Filiationis*. Per SCAPULARE ad ea admittuntur, eo quod fiant *Confratres*, id est, quasi Fratres nostri Ordinis: in quos æquum est propterea dividi nostram bonorum spiritualium hæreditatem. Per *Literas Affiliationis* vicem rependimus, atq; in gratitudinem bonorum temporalium quæ accepimus, refundimus spiritualia, quod in universa Ecclesia ab initio fuit receptũ & usitatũ. Porrò præter communes Ordinis preces, institui solent singularia pro Confratribus & Literas Affiliationis habentibus suffragia, tum vivis, tum mortuis, tam in communi Choro, quàm ab unoquoq; sigillatim, & extra Chorum existenti, ut videre est in Constitutionibus nostræ observantiæ. Item commendari solent in nostris Capitulis Provincialibus, ut à tota sic collecta Provincia eadem vota recipiant atq; suffragia. Hactenus ille.

C

CAPUT VII.

Quâ authoritate hæc Communicatio in Ordine fiat?

IMPRIMIS sciendum, quod hæc Communicatio in Ordine fiat authoritate Superiorum Ordinis: de jure enim communi quilibet Prælatus cujuscunq; Congregationis, potest bona spiritualia suorum subditorum, eo modo quo suprà explicuimus, Benefactoribus Religionis communicare & applicare. Eò enim ipso, quo habet curam Congregationis, habet authoritatem dispositivam communium bonorũ ipsius Congregationis. C. *Quantò de translat.* & C. 24. *q.* 1. C. *Quocunq;*. Idẽ docet S. Thomas his verbis: *Intentio alicujus potest ad alterum dirigi tripliciter; aut in generali, aut in speciali, aut in singulari. In singulari quidem, sicut cum quis pro alio satisfacit determinatè: & sic quilibet potest alteri sua bona opera communicare: in speciali autem, sicut cum quis orat pro Congregatione sua, & familiaribus, & benefactoribus, & ad hoc ordinat etiam sua opera satisfactoria. Et sic ille, qui Congregationi præest, potest opera illa alij communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de Congregatione sua ad hunc determinatè. Sed in generali, sicut cum quis ordinat opera sua ad bonum Ecclesiæ in generali: & sic ille, qui præest Ecclesiæ, generaliter potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad hunc vel illum. Et quia homo est pars Congregationis, & Congregatio est pars Ecclesiæ, ideò in intentione privati boni includitur intentio boni Congregationis, & boni totius Ecclesiæ; & ideò ille, qui Ecclesiæ præest, potest communicare ea, quæ sunt Congregationis, & hujus hominis: & ille qui præest Congregationi potest communicare ea, quæ sunt hujus hominis: sed non convertitur.* Et idem tradunt Palud. Richard. & alij *in* 4. *loc. citat.* Navarrus in *miscell. loc. supra citat.* Miranda *Tom.* 2. *Manual. q.* 50. *a.* 1. Rodriq. *Tom.* 1. *qq. Reg. q.* 33. *art* 2. Peyrin. *loc. cit. num.* 8. & 9. alijq; complures ab ipso *ibidem* laudati.

218. Hæc meritor. communicatio fit authoritate propria superiorum Ordinis, *In* 4. *d.* 20. *q.* 1. *in G. Add. ad* 3. *p. quæst.* 26. *art.* 1. Quot modis intentio alicujus ad alterum dirigi possit?

PRÆTEREA non tantum ex jure communi hoc habent Superiores Ordinis, verum etiam ex Privilegijs Apostolicis. Inprimis, ut suprà insinuavimus, URBANUS V. qui sedit anno 1362. fecit hanc concessionem, ut refertur in *Compend. Privileg.* & *indulgent.* Idem concessit SIXTUS IV. anno 1477. in Bulla quæ incipit: *Dum attenta*

219. Fit etiam hæc communicatio ex privilegijs Pontificijs.

attenta meditatione pensamus &c. ac CLEMENS VII. anno 1530. in Bulla, *Ex clementi Sedis Apostolicæ provisione.* Deniq; GREGORIUS XIII. in Bulla, *Vt laudes.* anno 1577. ubi ita habet: *Deniq; CLEMENS VII. post IOANNEM XXII. & ALEXANDRVM V. eorum Literas approbando, habitum gloriosissimæ, & beatissimæ Virginis MARIÆ Matris DEI gestantibus, seu Confraternitatem ingredientibus, & alia servantibus, ut in ipsdem Literis continetur; indulgentijs, peccatorum remissionibus, & gratijs singulis utriusq; sexus concessis, perpetuæ firmitatis robur addidit, & innovavit, ipsisq; & aliis participationem bonorum spiritualium totius Ordinis Carmelitarum, & universalis Ecclesiæ indulsit & concessit.* Ubi advertendum est, eos, qui habitum sive SCAPULARE B. V. MARIÆ de monte Carmelo gestant, vel alios, quibus Literæ Fraternitatis dantur, admitti ad participationem meritorum non tantum totius Ordinis nostri: verum etiam universalis Ecclesiæ; ita ut eo ipso, quo Confratres nostri fiunt, ratione habitus, quem gestant, efficiuntur participes speciali modo, fundato in speciali Pontificum concessione, bonorum omnium spiritualium, quæ fiunt, non modo à Carmelitarum, omnibusq; aliis religiosorum Ordinibus, tam Mendicantibus quàm non Mendicantibus, verum etiam quibuscunq; Sodalitatibus, Confraternitatibus, imò & universa Ecclesia militante. Quod beneficium quanti faciendum sit, vel ex eo patet, & colligere licet: quod si multum ac magnum sit, vel unius duntaxat viri sancti meritis, orationibus ac bonis operibus communicare, erit haud dubiè longè maximum, tot Sanctorum, quot Carmelitana, & aliæ habent Religiones: imò tot, quot universa habet Ecclesia, bonis ac meritis, eo speciali modo frui ac gaudere. Quod verò magnum, imò etiam longè maximum sit, unus solummodò viri justi aut sancti merita & orationes participare, conijcere est ex subjectis SS. Patrum verbis ac sententijs. S. Ambrosius *Lib. 2. de Abraham cap. 6.* inquit: *Admiranda est DEI Clementia, propter paucorum justitiam, impunitatem toti populo promittentis. Vnde discimus quantus murus sit patriæ vir iustus, &c.* S. Chrysostomus hom. 42. *Sæpe solet Dominus propter paucos multis dare salutem; & quid dico propter paucos? sæpe quando non inventus est in hac vita justus propter defunctorum virtutem, viventium miseretur, & curam habet; unde clamat dicens: Protegam civitatem hanc propter me, & David puerum meum.* S. Hieronymus in illa verba Ieremiæ: *Circuite vias Ierusalem, & aspicite & considerate, & quærite*

Confratres Ord. nostri & Liter. Filiat. habentes admittuntur non solum ad communionem bonor. spiritual. Ord. verum & totius Ecclesiæ, idq; speciali modo.

In quo hic fundetur, & quanti faciendus?

Quantum possint uni? vel paucorum justorum merita apud Deum? *Cap. 5.*

in plateis ejus, an inveniatis virum facientum judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei: hæc habet: *si unum invenerit jam jam peritura Ierusalem, qui faciat judicium, & quærat fidem, DEVS miserebitur Ierusalem.* Consonat locus ille Ezechielis 22. c. *quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni.* D. Thomas docet Romam servatam fuisse per merita S. Alexij: *Vox*, inquit, *cœlitùs delapsa, audientibus Papa, & Imperatoribus Honorio & Arcadio, & universo populo Romano, in Ecclesia B. Petri existentibus, testata est B. Alexij meritis Romam stare.* Non dissimilia habet Philo *lib.* de Sacrif. Abelis & Cain. *Quando*, ait, *aliquem bonum virum habitantem in domo quapiam, aut urbe video, & domum & urbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuò, tum absentem expectandam cumulatiorem, DEO ultra modum, mensuramque divitias suas in gratiam dignorum, etiam in indignos effundere solito.* ac paulo post: *Ergo ut viri fortes pro maximo sunt civitatibus munimento: sic in humana societate & communione hominum, justi & sapientes viri, firmissimum propugnaculum & præsidium existimari debent.* Legimus in vita S. Francisci de Paula, *Cap.* 3. Demones sæpius per energumenos confessos fuisse, se à DEO, ob peccata populi potestatem accepisse Italiam, maximèque regnum Neapolitanum, bellis alijsve calamitatibus atterendi & devastandi, solaque S. Francisci de Paula præsentia præpediri, quo minus id præstent, & executioni mandent: quod post ejus egressum, & in Galliam discessum se facturas pollicebantur, uti & fecerunt: ut testantur illius temporis Historiæ.

Opusc. 19. *Cap.* 7. Meritis S. Alexij Roma servatur.

Sola S. Francisci de Paula præsentia gravissima mala calamitatesque evasit Italia.

Quantum etiam apud DEUM valeant, vel unius duntaxat Religionis aut Congregationis orationes ac merita indicant illa Friderici Cæsaris verba, desumpta ex Epistola ejus ad Prælatos Cistercienf. congregatos: *Est fides nostra non utique parva, quod hic mundus, qui & immundus est, & in maligno positus, orationibus vestris sustentatur, & à facie furoris illius tremendi judicis, cujus iram peccatis nostris accendimus, defensatur, avertendo suam, quem meremur, indignationem.* Si igitur unius, vel paucorum Sanctorum merita & orationes tanti fiant apud DEUM, ut ab integris provincijs, regnis, & toto mundo, divinam ultionem avertere possint; multo majoris efficaciæ erunt ad avertenda quæcunque mala, atque impetranda quæcunque bona, spiritualia æque ac temporalia ijs, qui speciali vinculo illis conjuncti sunt, atque eo speciali, quo

Ex Privileg. Ord. Cist. pag. 240. Quantum præstent mundo vel unius Religionis merita?

quo diximus, modo, de illis participant. Libuit hæc paulo fusiùs producere, ad insinuandam Privilegij, de quo agimus, eximiam eminentiam atque utilitatem.

CAPUT VIII.

Christi Fideles manu adjutrices domibus & Fratribus Ordinis Carmelitarum porrigentes, participes reddūntur omnium bonorum spiritualium totius Ecclesiæ militantis.

220. Qua ratione Fideles omnes participes reddantur omnium bonorum spiritualiū totius Ecclesiæ à

MAXIMO illo Privilegio, eximioq; beneficio atq; à Doctoribus summè commendato, quod *Capite præcedentibus* visissimè attigimus, non modo perfruuntur Confratres nostri, verum etiam Christi Fideles, manus adjutrices domibus, & Fratribus Ordinis Carmelitarum porrigentes: hi quippe omnes, ex concessione CLEMENTIS VII. eo speciali, quo maximus modo, participes efficiuntur omnium bonorum spiritualium sacrosanctæ universalisq; Ecclesiæ. Verba CLEMENTIS, quibus inæstimabilem hanc gratiam impertitur, in Apostolico Diplomate sub incipiente: *Ex clementi Sedis Apostolicæ*, sunt hæc: *insuper etiam omnibus & singulis Christi Fidelibus utriusq; sexus, qui dictum Ordinem* (Carmelitarum) *illiusq; domos & monasteria, Fratres, Sorores, & Moniales hujusmodi, suis eleemosynis, & subsidijs juverint, & manutenuerint, ut ipsi, & quilibet eorum, omnium precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, missarum, horarum canonicarum, peregrinationum, & cæterorum bonorum spiritualium: quæ pro tempore in universali sacrosancta Ecclesia fiunt, in perpetuum participes fiant, & omnes ejus meritis gaudeant.*

Demonstratur non obstare huic Privilegio Constitution. *Pij V. &c.*

Nec ista gratia censenda est revocata, ex eo, quod PIUS V. in sua Constitutione aliàs citata, *Etsi Dominici gregis* &c. indulgentias manus adjutrices requirentes reprobaverit: non enim omnes gratias pro quibus assequendis exhibendæ sunt eleemosynæ PIUS V. in dicta Constitutione revocavit, sed indulgentias tantùm, ut evidenter constat, tum ex ejus argumento in Bullario Laërtij Cherubini tenore sequentis: *Revocatio indulgentiarum quomodolibet concessarum, contentionum facultatem quæstuandi, & pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adjutrices;*

trices; tum ex verbis revocatorijs ipsius Constitutionis, quæ talia sunt. *Nos* &c. *motu proprio, non ad alicujus nobis pro hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra voluntate, & deliberatione, omnes & singulas indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, fabricæ & Ecclesiæ hujusmodi* &c. *per quoscunq; Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam nos sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac ex quibusvis etiam urgentissimis causis, etiam causa redemptionis captivorum, & alias quomodolibet concessas, pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adjutrices, & quæstuandi facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes & decreta præsentibus pro expressis habentes, authoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, irritamus & annullamus, &c.*

Certum est autem, quod recipere Fideles ad participatonem bonorum spiritualium alicujus Congregationis, vel etiam totius Ecclesiæ, non esse indulgentiam aliquam concedere: siquidem dum alicui indulgentiæ conceduntur, ei applicantur & dispensatur præteritæ Christi Domini satisfactiones, & Sanctorum, quæ in Thesauro Ecclesiæ conservantur, quæ dispensatio propterea fieri potest solum ab habente claves ipsius Thesauri: eas autem solummodo habet summus Pontifex, & Episcopi dependenter â summo Pontifice; acceptare autem aliquem ad participationem bonorum spiritualium alterius, est illi applicare, tum ejus merita per modum impetrationis, ac meriti de congruo, nedum quando fiunt, sed etiam ubi facta fuerunt: tum per modum suffragij, & satisfactionis, sed solum quando actu fiunt, ut supra diximus: & ista applicatio fieri potest, tum ab ipso operante, tum ab ejus Superiore, & Prælato; summus autem Pontifex cum sit supremus omnium Christianorum Superior & Prælatus, potest totius Ecclesiæ militantis opera spiritualia ad suum beneplacitum applicare. Et CLEMENS VII. quo Fideles omnes ad subveniendum necessitatibus Religionis Carmelitarum alliceret, eos admisit ad participationem omnium bonorum spiritualium, quæ pro tempore fiunt in sacrosancta universali Ecclesia militante, si suis eleemosynis & subsidijs ejusdem Religionis domos ac monasteria, Frares & Sorores pro tempore adjuverint, subvenerint & manutenuerint.

221. Quæ eleemosynæ quantitas requiratur ad fruendum hoc privilegio?

Si quispiam quærat, quantam eleemosynam Fideles debeant pro manutentione nostrorum Fratrum vel domorum elargiri, quo participes reddantur omnium bonorum spiritualium Ecclesiæ militantis?

Respondeo, quod cum Pontifex quantitatem non determinarit, sed indefinitè opus eleemosynæ injunxerit, minima quæque eleemosyna sufficit ad implendam conditionem pro participatione bonorum spiritualium Ecclesiæ impositam, & ad consequendum ejus effectum. Hæc namque conditio eleemosynæ indefinitè propositæ per quamlibet eleemosynam, etiam minimam, simpliciter, & in toto rigore impleri potest; cum dicant Dialectici ad veritatem indefinitæ quamlibet particularem sufficere. Cæterum si de meritò sit sermo, qui plus dabit, juxta sui status conditionem, plus recipiet, dicente Apostolo: *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

De Communicatione bonorum spiritualium, quæ fuit argumentum hujus *Tertiæ partis* disseruerunt, nec sine fructu consuli potest è nostris Thomas Waldensis *Tom. 3. de Sacramental. tit. 10. Cap. & seqq.* Thomas *à* IESV *lib. 2. de Confratern. beatiss. Virginis M. de monte Carmelo, Cap. 5.* Hieronymus Gratianus in *Trac. Jubilæo part. 1. Cap. 8.* Lezana *Tom. 3. quæst. Regul.* verb. *Bona Regularium*, & v. *Suffragia.* Cyprianus à S. MARIA in *Thesauro Carm. part. Cap. 20. & 21.* Petrus Thomas Saracenus *part. 6. informator. spiritual.* Elias à S. TERESIA in *Legatione Ecclesiæ triumphantis ad militantem lib. 2. Cap. 40. & alibi.* Gregorius Nazianzenus à S. Bibiana in sua *Adoptione parthenia part. 2. cap. 41.* & in *institutione familiari pro Confrat. B. M. V. de monte Carm. Cap. 18.* Gabriel a *S.* Vincentio *Tom. 3. de Sacram. Pœnitentiæ disp. 11. q. 6. & disp. 13. q. 7.* Irenæus à S. Jacobo in *Tract. Theologico de singulari B. Virg. protectione sect. 3. Cap. 4.* 3. Ludovicus à S. TERESIA in suo *opere de successione Eliana, Cap. 224.* & alij non pauci.

De exteris, præter alios complures, Navarrus *Miscell. 11. de oratione.* Ludovicus Miranda in *Manuali Prælatorum Regularium Tom. quæst. 50.* Franciscus Bordonus operum suorum moral. *Tom. 3. Resolut. 84.* Antonius Rutæus lib. *de participationibus seu litteris Fratern. quibus Benefactores à prælatis Religionum admittuntur ad communionem bonorum operum, &c.* Antonius Caracciolus in *Notis ad Constitutiones Clerus*

Regularium part. 2. *Cap.* 1. Peyrinis *Tom.* 2. *de Prælat. Relig. q.* 3. *Cap.* 6. Theophilus Raynaudus in *Heteroclitis spiritualibus part.* 2. & in *Scapulari Mariano illustrato Part.* 1. *Cap.* 4. *& Part.* 2. *quæst.* 4.

222.

Lubet pro coronide hujus III. PARTIS pavca ex disertissimo hoc Authore hic adducere, quæ non parum dicta in superioribus capitibus confirmabunt illustrabuntque.

Scapul. Mariani. Duplici titulo potest quis frui participatione meritorum seu bonorum spiritualium Ordinis.

Ex natura rei, *inquit Cap.* 4. quisquis sacro Cœtui Carmelitano inseritur, ut domesticus, vel in eum adscisitur per adoptionem, gaudet participatione meritorum omnium, & bonorum spiritualium ejusdem Ordinis. Nam de domesticis res est per se evidens, sunt enim membra veluti nativa, atque congenita mystici hujus corporis : quibus succus in corporis nutrimentum provisus, per se primo cedit : ejusque communi sanguine, & spiritibus rigantur. De externis autem idem proportione suadetur, ex cooptatione in idem mysticum corpus. Sin minus substantialiter, & quasi per naturam : at per gratiam eorum ad quos attinet, consertionis hujus accidentariæ benefacium conferre, allegendo externos in sacrum Cœtum. Propterea enim litteræ, quibus hoc beneficium communicatur, à quibusdam dicuntur *Literæ gratiosæ*, ab alijs vero *Literæ Filiationis*; eo quod Religio veluti Mater, Externum aliquem in filium adoptet. Qua de re plenè in Heteroclitis spiritualibus, post Thomam Waldensem.

Part. 2. *Tom.* 2. *tit.* 20. *c.* 93.

Cooptatio ergo in Cœtum Religiosum, infert prærogativam insignem participationis bonorum Ordinis, quæ quamvis ex natura rei consequatur adoptionem in hunc sacrum Cœtum, & transcriptionem in Filium & Fratrem specialem DEIPARÆ, de qua *& cæt.*

[Deinde §. 1. *ejusdem Cap.* 4. hæc subjungit.]

Participatio meritorum potest formaliter & objectivè considerari, quando dicantur formaliter & quando objectivè spectarit

Participatio meritorũ alicujus Ordinis Religiosi vel spectatur *formaliter*, vel *objectivè*. Dicuntur *merita*, spectari *formaliter*, cum considerantur, pro ut sunt actiones quædam, vel perpessiones præsentes, quas operans, vel patiens, aut is, cui iste subest, applicat, annuens ut alteri prosint, eo modo, quo sub ejus beneplacito possunt prodesse. Certum autem est, non posse prodesse per modum meriti condigni, ac propriè ac simpliciter dicti. Est enim solius Christi, mereri alteri condignè. Ita passim & absque ambignitate tradunt Theologi, sive cum Magistro *in* 3. *dist.*

Nemo, nisi Christus Dominus, potest alteri de codigno quidpiam mereri, sed solum de congruo. *Tract. de merit: in 2. dist. 20. 27. & 28 1. 2. q. 11. art. 6. Lib. 1. Ep. 37. Tom. 4. in 3. part.*

20. sive cum D. Thoma. *3. part. q. 19.* Quare merita sacri Cœtus formaliter considerata, non possunt ab alio participari, nisi interventu meriti de congruo: quo justus unus, vel plures (quales vel multi, vel omnes in sacra Familia esse supponuntur) aliquid alteri mereatur, tantum ex quadam decentia, absque pacto vel promissione ulla divina, cui tale præmium sit rependendum.

Agnoscunt hoc puri hominis meritum pro alio, Guilielmus Parisiensis, & Scholastici cum Magistro, & sancto Thoma, beneque Suarez. Præiuêre autem Patres, tribuentes meritis unius justi salutem alterius, V.G. meritis ac precibus S. Stephani, conversionem S. Pauli: & meritis S. Stephani Grandimontensis, conversionem peccatoris adeò obdurati, ut contestaretur, se nolle converti, preces pro se in eum finem fusas, respuêret; id quod eo loco notat Guilielmus Parisiensis. Hunc modum exponendi participationem meritorum Cœtus Religiosi, iniuerunt S. Anselmus atq; Suarez.

Probatur quam sit insigne beneficium Confraternitatis Sacri Scapularis hæc meritorum participatio.

Admisso porrò hac interpretatione participationis meritorum utriusq; Cœtus Carmelitani, per Sodales SCAPULARIS, dubitare non licet, quin hæc participatio sit insignis prærogativa. Perpendendum enim est, quantas fruges bonorum operum tam cultus, tamque pinguis ager ferat; per tam multos, & tam sanctos DEI Servos utriq; Cœtui consertos. Quæ quidem bona opera, quatenùs aliis applicata ab ijs ad quos attinet, non possunt non esse eximiæ cum DEO utilitatis. Orationes quoq;, in quibus hi sacri Cœtus sunt assidui, frequenter diriguntur expresè ad bonum amicorum; in quibus eminent Sodales, & Congreges Ordinis. Nec est prætereundus fructus satisfactorius multorum operum pœnalium, qui est abdicabilis ab operante, & potest in alium transferri. Et quidem juxta sententiam valdè probabilem, satisfactio unius justi pro alio, valet de condigno: & acceptatur à DEO ex pacto, atq; ex justitia.

Satisfactio unius justi pro alio censetur esse de cõdigno & ex justitia.

Quamvis autem aliud sit satisfactio, aliud meritum, tamen hæc satisfactionum applicatio involuitur in beneficio participationis meritorum Cœtus Religiosi; quia ea est mens, & potestas concedentium hujusmodi beneficium. Intendunt enim prodesse, quantùm possunt ijs, quibus eam gratiam præstant: at qui possunt præsertim illis commodare hac ratione. Facillimum quippè est, dissolvere nomina talium amicorum, extergendo reatum pœnæ per annumeratam pro eis

lutionem; exhibita DEO portione aliqua tot operum pœnalium, & maximè ſatisfactoriorum, quæ aſſiduè obeunt. Quem enim latet, quanta ſit ubertas ſanctarum perpeſſionum, & operum laborioſorum, virtute ſatisfactiva refertorum, in his ſacris Cœtibus? Attendantur, vel perfunctoriè, veſtitus aſperitas, chameuniæ, potus, cibiq; parcitas, cilicia, flagellationes, nudipedalia, vigiliæ; & id genus imbonitates, corporis maximè afflictivæ, atq; adeò valdè ſatisfactoriæ. Indirectè quoq; frequens meditatio, carnis afflictio eſt; quia per meditationẽ contentam atq; diuturnam, exſuguntur puriſſimi quiq; ſpiritus. Unde macies, & ſenſim ſine ſenſu conſequens redactio corporis in ſervitutem; nec raró acciſio vitæ, vel ſaltem ejus traductio in labore & ærumna. Præ quibus obeſitas & craſſitudo (quàm exlegis Monachi notam ſtatuit Philippus Abbas) exulat ab his ſacris Cœtibus, æquè ac cura carnis in deſiderijs. Cum ergò in beneficio participationis meritorum, tam illuſtrium Cœtuum, comprehendantur meritum congruum, & impetratio, ac ſolutio reatus, per ſatisfactiones pro alijs; quis adeò cæcutiat, ut non videat, quantis bonis fœta ſit prærogativa hæc Scapularis Carmelitici, in qua excutienda verſamur; etiam ſi quæ dicuntur *merita*, non niſi formaliter ſpectentur, ut hactenus fecimus? [Mox incipit §. 2. *ejusd. Cap.* Author agere de participatione meritorum objectivè ſumptorum, quæ potior videtur.]

L. de continent. c. 93. & 94.

223.

Part. 2.

Sed eſt præter iſtam alia ratio exponendi participationem meritorum Religioſi Ordinis, quæ mihi videtur & opportunior & uberior; ut plenè expoſui in *Heteroclitis ſpiritualibus*, tractans anomalias *Literarum Filiationis*. Dicebam hujus Capitis initio, in hac participatione, *merita* ſpectari objectivè; quia hic non habetur ratio applicationis meritorum factæ nunc ab alio pro operante, qui non niſi ſuas præſentes operationes actu applicare alteri poteſt. Sed habetur ratio internæ earum bonitatis, moventis DEUM ad benè faciendum, etiam ſi vel jam ſint tranſactæ, vel nondum advenerint, aut cum advenerint non appicentur alteri per operantem. Sic enim Scriptura ſæpè memorat, DEUM propter Abraham, Iſaac, & Jacob, aut propter David ſervum ſuum; id eſt, recolentem eorum ſancta opera pridem tranſacta, miſertum eſſe populo ſuo. Ac etiam immeritis contuliſſe ultrò aliquod bonum, intuitu antiquorum illorum Famulorum ſuorum; quorum pia opera habet objectivè præſentia, & digna agnoſcit;

Deus intuitu inſignium amicorum ſuorum ſæpius alijs etiam immeritis benefacit.

scit, à quibus permoveatur ad benefaciendum ijs, qui nexi sunt necessitudine cum Servis illis suis.

L. de migrat. Abrah. & de Sacrif. Abelis, L. 2. *de Cain* c. 3. & L. 2. *de Abrah.* c. 5.

Eadem ex causa Philo, & post eum S. Ambrosius, ajunt; magnum prodesse Reipublicæ, quod sit in ea insignis aliquis justus, [illegible] esse valdè dignum luctus argumentum, cum justus de terra tollitur. Quia boni cives per suam præsentiam in aliqua urbe, aut regione etiam silentes, & nihil tale cogitantes, plurimum commodant urbi ac regioni, in qua versantur; quatenùs DEUS, qui medullas cordium penetrat, & novit quantò sint erga eam oram affectu civitati, talium Amicorum suorũ intuitu, indulget aliqua eidem oræ, aut civitati, quæ alioqui nõ indulgeret. Eoq; spectabat Stilico Comes, cum tanto studio tentabat *S. Ambrosij* jacentis obitum, per ipsum *S. Ambrosium* averteret. Non ignarus, quanto publico damno esset migraturus: & quantæ utilitatis foret Reipublicæ, si exoraret incolatum suum ad tempus, aut quod prolongari.

Quantum nonnunquam unus solus insignis Dei amicus profit integræ civitati ac regioni?

Proportione ergò philosophor de meritis Ordinum, [illegible] Ordinis Carmelitani, de quo agimus. Cum enim tanta sint, & tam pridem fuerint, postque etiam futura sint vera & propriè dicta merita utriusq; instituti Carmelitani apud DEUM; non est dubium, quin DEUS ab illis sanctis operibus objectivè sibi semper præsentibus moveatur ad benè volendum ejusmodi sacris Cœtibus; & ad avertenda ab eis pleraq; mala ingruentia, benevolis inclinetur; ac clementque feratur ad opportunam protectionem ijsdem impendendam, etiam cum ad id non interpellatur per actu adhibitas superstitum preces, quibus tale bonum, aut talis mali averruncatio formaliter, & in assignato expetatur. Eo ipso porrò, quod quis sacro Cœtui per adoptionem conferitur, jus accipit participandi divinam largitatem [illegible] mystico corpori collatam, intuitu totius sacri Cœtus ac meritorum ejus.

Objectiva meritorum participatio longè fructuosior est atque, uberior formali.

Ajebam autem, hanc objectivam participationem meritorum esse fructuosiorem & uberiorem formali; quia participatio meritorum, formaliter spectatorum longè minus patet. Nam neque ad [illegible] pertinent anteriora merita: nemo quippè de eis potest disponere, quo transacta sunt, quandoquidem nemo habet Thesaurum privatum satisfactionum suarum penes se asservatum; & multò minùs meritorum propriè dictorũ, quæ in alterum transferri non possunt. Neq; enim [illegible] pote-

pertinet ad eam participationē bona opera futura, quæ non poſſunt de facto applicari tanquam fructuoſa in præſenti; etiam ſi per modum ſatisfactionis poſſint applicari antecedenter, ut profutura, quo tempore erunt. Imò de ſatisfactionibus quoque dubium eſt, an quandò ſunt actu, ſubſint plenæ diſpoſitioni alterius, quàm operantis. Ita, ut eo renitente, vel non conſentiente poſitivè, validè fiat translatio valoris ſatisfactorij in tertium, per Superiorem operantis, impertientem tertio participationem meritorum, id eſt, ſatisfactionum ſubditi ſumptarum formaliter.

Participatio formalis non reſpicit bona opera præterita: & quomodo ad eam pertineant futura?

Quæ omnia ſecus ſe habent in participatione objectiva ſanctorum operum; ad quàm pertinent & opera præterita, & præſentia, & futura; quæ DEO æquè objiciuntur in omni temporis differentia, & illum movent, ut benè velit Ordini tam benè de ſe meritò, tamq; feraci ſanctorum operum. Et quia is, qui donatur beneficio participationis meritorū ſacri Cœtus, tranſit aliquatenus in membrum Ordinis; eo ipſo id beneficij aſſequitur, ut reſpergatur rore Hermon deſcendente in montem Sion: id eſt, ut fiat particeps protectionis, ac beneficientiæ, quàm DEUS dignatur Ordini conferre, intuitu meritorum, pro quibus ſe velut in ære illius Ordinis eſſe profitetur, quæ eſt immenſa tanti Domini bonitas, & in nos indulgentia.

Participatio objectiva complectitur opera bona non ſolum præſentia, verum etiam præterita ac futura.

224.

Nunc ut hæc prærogativa SCAPULARIS Carmelitani intimè perſpiciatur, & manifeſtum fiat, quanta indè in Sodales redunder utilitas, & apud DEUM gratia; perſtringenda obiter ſunt utriuſque Carmelitani inſtituti (Primævi inquam & Tereſiani) præclara ornamenta, præſanctis operibus, quæ elicuit: & *fœnore quod* (ut Scriptura loquitur) *Domino commodavit.* Poſſumus autem ea ornamenta, & præclarè geſta, digerere in aliquot ſeries. Conſiderare ergò inprimis poterimis in his Cœtibus, Sanctos Eccleſiaſtica vindicatione, & (ut nunc loquimur) Pontificio Canoniſmo claros, vel non dubia ſanctimoniæ fama conſpicuos. Utrique enim eò provecti ſunt per bona opera, aut perpeſſiones DEO acceptas, & gravidas meritorum ſanctorum, ſive ad Eccleſiæ Roſas, ſive ad Lilia ſpectent, ut cum Hilario Arelatenſi loquar. Hoc eſt, ſive ad Sanctos turbine perſecutionis decuſſos, & triumphali martyrij agone conſummatos: ſive ad alios in Eccleſiæ pace, vinculis corporis exſolutos: cujuſmodi ſunt ſancti Confeſſores, ac Virgines in Parthenonibus, leni ſed diuturno martyrio vitam ponentes.

Claſſes variæ Sanctorum Ordinis Carmelitarū.

In laud. S. Honorati.

Con-

Considerare prætereà possumus merita, & labores variorum sanctorum Antistitum, ex Ordine Carmelitano assumptorum; qui per infulas nacti *opus bonum*, id est, durum & refertum ærumnarum, servierunt DEO in solicitudine, excubantes super gregem sibi concreditum: eaque ratione Dominum amantem animas demeruerunt. Et tametsi non omnes sint vindicati, atq; adeò non sint planè competæ sanctitatis; tamen quantum conjecturæ nostrates ferunt, muneribus suis ritè perfuncti, intraverunt in Domini gaudium, tanquam servi boni ac fideles.

2. Cor. 12. Accedit ad hanc seriem alia, conflata è navis operarijs, apostolici zeli in animarum conversionem magnis animis impensorum, ac super impensorum, ut phrasi Apostolica utar.

Adjungi prætereâ possunt, & verò debent, viri in his Carmelitanis propter disciplinæ dona commendati; qui docendo in scholis, aut concionando in pulpitis, aut libros conscribendo (quod esse martyrij genus affirmat Antonius Peres) illuxerunt Orbi terrarum. Et circò fidejussore per Danielem Spiritu sancto, eo quod ad justitiam erudierint multos, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & sicut stellæ in perpetuas æternitates.

In Laur. Salvi c. 9.

Video patere in seriebus hisce decurrendis campum propè infinitum. Sed pauca compendiò perstrinxisse contentus, cætera dimittam legenda apud eos, quos indicabo, diligentiùs & ex instituto ista prosecutos. Et nominatim apud Trithemium, laudum Ordinis Carmelitani nunquam saturum: ac Carolum Fernandium à puero eum, sed mente probè oculatum; qui de laudibus Carmelitarum, hecatombrationem emisit. Id etiam Aubertus Miræus, præter benè multos Ordinis hujus Domesticos, præstitit. Apud eos legentur ista copiosè expressa. Nam ad præsens institutum satis superq; est, delibasse nonnullos; sicut ad inhalandum ex myro optimo fragantiam, non est necesse lecythum plenam effundere, sed sufficit gutta modica, quam habet concinna Chrysostomi comparatio. [Prosequitur postea dum diffusiùs Carmelo-parthenij Ordinis laudes, virtutes ac merita Raynaudus; tandemq; Capiti illi IV. finem imponendo subjungit.

Homil. cum præsbyter esset designatus.

225. Expassam per varias series ornamentorum Carmelitanæ familiæ orationem contrahamus in pauca; ut Matres faciunt, quæ filiolo post varia bellaria in sinum congesta, togam reducunt, ut in

hil effluat, quæ est Chrysostomi concinna in hanc rem comparatio. Tot itaq;, & tam multorum verè summorum omnis generis hominum labores pro causa DEI, & pro Ecclesia; quam pretiosi sint in conspectu Domini, quàm apud eum gratiosi, quis fando explicet? Recolantur, nec perfunctoriè, paucorum quos è multis protuli, indubiæ felicitatis Sanctorum, curæ, dum superessent: tot sacrorum Antistitum indefessa studia: tot lucida sydera Scriptorum sacrorum, qui caliginem ingenijs offusam, lucubrationum suarum jubare depulerunt: tot sacrarum Virginum, therapeutas in cælesti aula agentium pia obsequia. Horum, inquam, & aliorum, quos dinumerare nemo poterit, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, unũ fasciculum viventium coram Domino adunatorum, odorem suavitatis, ipsi DEO, & Angelis ejus inhalatum, obijciamus animo. Quamq; DEUM mulceat ea flagrantia, quot bonis afficere, totum Cœtum è quo prodit, quæ non mala ab eo avertere propensissimè velit, consideremus. In hujusmodi sertum colligari, ascisci, inquam, in talem Cœtum: & cælestium favorum ei toti communium, participem fieri; hoc est, quod tanquam eximiam Carmeli SCAPULARIS prærogativam, meritissimo suspiciendam, & omni studio captandam propono.

Hom. 3. de Verb. Isaiæ.

Quia verò nomine *Ordinis*, cum agitur de meritorum ejus participatione, comprehenduntur in hoc negotio etiam Fratres ascititij, sive Sodales, cujuscumque conditionis ac sexus; & hinc quoque eruendum est, quantus sit hujus prærogativæ fructus ac dignitas. Sive illi ascititij Fratres sint Religiosi alterius instituti, qui proinde meritis abundent: sive sint purè Sæculares, ac etiam conjugio illigati, &c. Hactenus Raynaudus.

PARS QUARTA,

De IV. beneficio, *sive de indulgentijs Confraternitati beatiss. Virginis MARIÆ de monte Carmelo à Romanis Pontificibus concessis.*

CAPUT I.

De Indulgentijs in communi.

226. UT faciliùs & plenius percipiantur ea, quæ de indulgentijs Confratrum nostrorum dicturi sumus, operæ pretium erit, nonnulla de indulgentijs in communi, compendiosè præmittere. Sciendum imprimis, quod indulgentia nihil sit aliud, nisi *pœnæ temporalis, quæ remissa culpa adhuc restat solvenda, liberalis condonatio, per dispensationem Ecclesiastici thesauri facta.*

Indulgentia quid?

Dicitur *liberalis condonatio*, quia indulgentia non fundatur in devotione, vel labore recipientis; sed in abundantia & cumulo meritorum ac satisfactionum Christi & Sanctorum. Dicitur *pœna temporalis*, quia cum remissione culpæ pœna æterna in temporalem transmutatur: dicitur *per dispensationem Ecclesiastici thesauri*, quia extat in Ecclesia thesaurus constans satisfactionibus Christi & Sanctorum; uti patet ex *Extravag.* CLEM. VI. Unigenitus *de pœnitem. & remiss.* & explicat S. Doctor in 4. *dist.* 20. *à* 3. *q.* 2. quæ satisfactiones cum sint communes toti Ecclesiæ, distribuuntur & dispensantur singulis secundum arbitrium illius, qui Ecclesiæ præest.

De indulgentia per modũ absolutionis & per modum suffragij.

OBSERVANDUM est *secundò*, quod dupliciter fiat condonatio pœnæ temporalis; primò per *modum absolutionis*, secundò per *modum solutionis*, seu *suffragij*. Condonatio per modum absolutionis competit viventibus, & in Ecclesia militante degentibus, per modum autem suffragij propria est animabus, quæ in purgatorio expiantur. Explicandum est hoc amplius.

Hæc defũctis, illa viventibus competit, & quomodo?

Pontifex concedit indulgentias viventibus, tanquam Judex à subditis, absolvendo illos & liberos à pœnis debitis dimittendo: mortuis vero, & in purgatorio existentibus non ita, sed solum per modum suffragij, aut solutionis; quia ejusmodi animæ jam sunt extra

jura.

jurisdictionem & absolutionem Iudicialem Ecclesiæ, ideoque Pontifex in hoc sensu solum concedit indulgentias mortuis: quia offert pro ijs DEO satisfactiones Christi & Sanctorum, quasi pretium, quo â pœnis persolvendis redimantur, quas DEUS illis immediatè remittit, pretium illud ex pacto cum Christo inito acceptando.

Quando igitur Pontifex concedit indulgentias viventibus, ipsemet immediatè tanquam minister DEI, ac Christi Vicarius remittit illis pœnam temporalem, quam pro suis peccatis debebant. Verum quando mortuis eas concedit, non remittit ipsis immediatè pœnam, sed DEO offert (ut dictum est) pretium æquivalens pro pœna temporali, quam pati debebant in Purgatorio, ad hoc ut DEUS ipse remittat immediatè pœnam istam dictis animabus. Et hoc est concedere indulgentias per *modum suffragij*, seu quod in idem recidit, per *modum solutionis*, sive *subsidij*, seu quasi eleemosynæ DEO oblatæ ex communi thesauro Ecclesiæ, pro liberandis dictis animabus ab igne purgatorij. Vide de his nostrum Gabrielem â S. Vincentio *Tom. 3. de Sacram. Pœnit. disp. 13.*

227. Indulgentiæ aliæ plenariæ, aliæ non plenariæ, & quę illę?

SCIENDUM est *tertiò*, indulgentias dividi in *totales* sive *plenarias*, seu *plenissimas*, & in *partiales*. *Plenariæ* dicuntur, quibus absolutè conceditur remissio omnium pœnarum, quæ restabant persolvendæ pro peccatis remissis. *Partiales* vero, quibus solum certa aliqua portio pœnarũ remittitur: v. g. decem annorum, &c. quod non est intelligendum, quasi remitteretur pœna decem annorum Purgatorij, sed quod remittatur pœna correspondens pœnitentiæ juxta antiquos Canones tot annorum: qualiter etiam *quadragena* seu 40. dierum indulgentia sumitur pro ea, qua remittitur pœna correspondens pœnitentiæ 40. dierum.

Aliæ reales, aliæ locales, aliæ personales.

DIVIDITUR etiam indulgentia in *Realem*, *Localem*, & *Personalem*. *Realis* est, quæ medalijs, crucibus, imaginibus, &c. conceditur: *Localis*, quæ Ecclesijs, Capellis, Oratorijs, &c. *Personalis*, quæ personis conceditur, ut quoties quis v. g. tale opus fecerit, &c. sed hæc *Cap. 3. num. 233.* amplius exponemus.

Aliæ temporariæ, aliæ perpetuæ: & quæ?

DIVIDITUR præterea indulgentia tam plenaria, quam non plenaria, &c. in *temporariam* & *perpetuam*. *Temporaria* dicitur, quæ datur pro tali die vel anno tantum: vel si datur etiam pro recurrentibus diebus vel annis, tum solum ad sex. v. g. annos & non ultra.

Perpetua vero dicitur, quæ conceditur pro futuris annis in perpetuum, vel pro quolibet subsequenti anno, absque ulla limitatione, aut restrictione explicita: dico *explicita*, quia licèt per quasdam Bullas pontificias videatur formaliter & explicitè in perpetuum concedi, attamen virtualiter & implicitè est solum ad tempus viginti annorum, propter *Regulam 57. Cancellariæ Romanæ*, in qua habetur indulgentiam absolutè concessam alicui Ecclesiæ pro tali die cujuslibet anni futuri, restringendam esse ad XX. annos, ut notat Navarrus *Tract.* de indulgentijs *Cap. 9. n.* 8. aut ad summum ad proximum jubilæum, quo scilicet omnes plenariæ remissiones suspenduntur.

Aliæ indulgentiæ divisiones.

Demum indulgentiæ tam plenariæ, quam non plenariæ, dequendo de indulgentijs viventibus concessis, dividuntur in eas, quæ conceduntur *in vita*, & eas, quæ *in mortis articulo, præsumpto vel vero*, secundum Bullæ concedentis tenorem. Quando enim in illa distinctè exprimitur articulus verus, nemo tunc indulgentiam consequitur intuitu mortis, nisi revera paulo post moriatur: secus est si generaliter ponatur, in articulo mortis; tunc quippe censebitur indulgentia applicari, quando quis fuerit probabiliter in tali periculo constitutus, etsi fortè postea convalescat.

228. Indulgentiæ requisita.

Observandum est *quartò*, ad lucrandam indulgentiam necesse esse ut integrè conditiones requisitæ seu præscriptæ impleantur. Ratio hujus sumitur ex S. Thoma, qui in *Addit. ad 3. p. q. 27. a. 3.* ita differit: *Remota causa removetur effectus, unde qui non facit hoc pro quo indulgentia datur, quod est indulgentiæ causa, indulgentiam non consequitur*, ex quocunque etiam capite, sivè culpabiliter, sivè inculpabiliter contigerit omissi opus præscriptum. Unde si quispiam morbo aut inopia impeditus injunctum opus non perficiat, non obtinebit indulgentiam. Si vero quispiam partem operis, sive conditionis requisitæ non perficiat: si illa notabilis sit, non lucrabitur indulgentiam, neque integram neque illius partem. Si vero adeò exigua illa pars sit, quæ omittitur, ut morali æstimatione non censeatur tollere opus præscriptum: v. g. præscribitur oratio unius horæ, & tantum deest octava pars unius quadrantis, tunc ille consequetur indulgentiam.

Si minimũ quid ex operibus præscriptis relinquatur non obest.

Opera debent esse bona ex

Debere autem fieri opus præscriptum benè moraliter, ait Silvius in *3. part. q. 27. art. 1. q. 1. concluſ. 2.* ita, quod si fiat cum peccato veniali, ut ob vanam gloriam non sufficiat. Faber verò in *4. d.*

quæst. unic. disp. 38. *cap.* 7. sufficere vult, si fiat sine mortali. Et Bellarm. *lib.* 1. *cap.* 13. *q.* 3. etiam factum cum mortali valere, inquit, si non præscribatur fieri ad placandum DEUM, sed in alium finem, puta subveniendi pauperi, aut similem. Dicendum existimo cum Granado in 3. *part. tract.* 5. *disp.* 4. *num.* 10. sufficere, quod opus sit bonum ex genere suo, licet ex circumstantijs, & in individuo malum sit; nam præcepta divina & humana implentur per opera ex suo genere bona, licet individualiter peccaminosa. Nec opus est, quod opus propter indulgentiam potissimum fiat, sed satis est, in eum finem executioni mandari, licet alius finis æquè, aut magis principaliter intendatur. ita Granado *loc. cit.* contra Cordubam. Imò volunt quidam sufficere, si fiat cum intentione habituali lucrandi indulgentiam. ita Sanctarell. *de jubil. cap.* 15. *dub.* 4. contra Cordubam de indulgentia *quæst.* 16. qui sicut ad merendum, ita etiam ad indulgentiam lucrandam requirit intentionem actualem: nec enim est verisimile, quod Papa requirere velit intentionem actualem, quàm nec natura indulgentiæ postulat, nec concessionis verba significant.

genere suo: quamvis ex circumstantijs vitientur.

Non est necesse, quod fiant principaliter ob indulgentiã. Imò probabiliter sufficit intentio habitualis.

Quando Pontifex ex justa causa indulgentiam concedens, opus aliquod requirit solum ut conditionem, tunc qui idem opus diverso conatu, devotione &c. perficiunt, æqualem nihilominus indulgentiam consequuntur, quia indulgentia habet effectum suum ex opere operato: unde cum præscribitur eleemosyna indefinita, tantum indulgentiæ acquirit qui dat unum aureum, quantum qui dat centum. Alias enim falsum esset, quod *indulgentia tantum valet, quantum sonat.* ita Bossius *sect.* 4. *cas.* 21. §. 1. *num* 38.

Nec majora opera facientes plus indulgentiæ acquirunt.

Adverte etiam, quod si duo Pontifices, facientibus certum opus tali die, concederent quilibet 40. dies v. g. indulgentiæ, tunc facientes semel illud opus eo die, lucrantur 80. dies indulgentiæ. Secus verò si uterq; opus exigeret nullo alligatum tempori, quia tunc unusquisq; exigeret opus independenter ab alio. ita Granadus *Tract.* 6. *disp.* 2. *num.* 8. quamvis sine ulla distinctione affirmet Naldus *num.* 5. & alij complures acquiri posse plures variasq; indulgentias per idem opus, & Coninch absolutè neget, *dub.* 9. *num.* 42.

Contingere potest per unum idemque opus plures indulgentias acquiri.

Advertendum est *quintò*, requiri ut lucraturus indulgentiam sit baptizatus, quia Ecclesiæ thesaurus non distribuitur, nisi inter Ecclesiæ membra: & in statu gratiæ, saltem pro illo tempore, in quo po-

229. Indulgentia requirit

gratiam in subjecto: at non in eo, qui opus facit pro defunctis.

ponitur ultima conditio ad illas requisita. Nisi quis velit confessi indulgentiam pro animabus Purgatorij, quia tunc non debet necessariò esse in gratia; sufficit enim status gratiæ in animabus, quibus indulgentiam applicat, & Ecclesiæ, cujus nomine opus facit, ex quod Papa satisfactiones Christi & Sanctorum dispensat. ita Præpos. in 3. *p. quæst.* 12. *dub.* 10. *num.* 93.

Quomodo & quando Confessio requiratur?

Quando in Bulla requiritur confessio per modum dispositionis ad gratiam, illa non est necessaria in gratia jam existenti; secus si confessio requiratur ut conditio: quicquid Mercerus dicat, nunquam confessionem requiri, ut conditionem: eò quod confessio nunquam soleat ab Ecclesia injungi, nisi in quantum est necessaria ad statum gratiæ. Regulariter verò, si aliud non exprimatur, confessio & communio censentur exigi ad ponendum hominem in gratia Dei, ait Turrianus in *select. part.* 2. *disp.* 31. *dub,* 64. Undè si sint duæ indulgentiæ, duobus immediatis diebus consequendæ, quæ utraq; confessionem & communionem requirant, satis esse, quod quis confiteatur & communicet in primo, dummodo in secundo reperiatur impotentia. vide Dianam 4. *Part. Tract.* 4. *Resol.* 166.

An ad acquirendam indulgentiam satisfit operari cum opinione probabili.

Cæterum conetur quisq; ex opinionibus prædictis, aliisque circa materiam indulgentiarum, semper eligere probabiliores, ac tutiores: nam si quis uteretur opinione probabili, quæ in re non esset vera, juxta aliquos non acquireret indulgentiam: quod enim in alijs materijs dicitur, sufficere quod quis operetur ex opinione probabili, in materia indulgentiarum deficere.

Hæc pauca de indulgentijs in communi dicta sufficiant. Si quis autem ulteriorem de his notitiam desideret, consulere poterit præter complures Exteros è nostris recentioribus Ven. P. Hieronymum Gratianum *Tract. de Iubilæo.* Joan. Bapt. de Lezana in *summa qq. Regul. Tom.* 3. *seu part.* 1. *Tom.* 2. verb. *indulg.* Dominicum à SS. Trinitate *Tract. de anno Iubil. controvers. nona,* Gabrielem à S. Vincentio *Tom.* 3 *de Sacrament. pœnit. disp.* 13. *de indulg.* Stephanum à S. Paulo in *Theologia morali Tract.* 3. *disp.* 5. *dub.* 12. Antonium à Spiritu sancto in *Directorio Regular.* 1. *part. disp.* 5. *sect.* 1.

CA

CAPUT II.

De indulgentijs Confraternitatis Carmelo-Parthenię.

CELEBRIS ille, plurieſq; in præcedentibus laudatus Societatis JESU Scriptor, Theophilus Raynaudus *Cap. 5. primæ Partis Operis ſui de Mariano Scapulari* &c. diſſerere volens de indulgentijs è publico Eccleſiæ theſauro Sodalibus Mariani Scapularis communicatis ſic exorditur. [Et hæc quoq; eſt inſignis prærogativa ſacri SCAPULARIS, ejuſque commendatio haud exigua. Pontifices enim ſacri cenſus erogatores, non profunderent ejuſmodi cæleſtem largitatem pro re nequaquam probanda, vel etiam, quæ tanti non eſſet. Itaque eo ipſo, quod ampliſſimas indulgentias de Eccleſiæ Gazophilacio, Chriſti & Sanctorum meritis divite, elargiti ſunt Sodalibus Scapularis Mariani, manifeſtum ſignum eſt, eos hoc inſtitutum maximè probare, quod eſt eidem inſtituto perhonorificum: cum Pontifex Romanus, juxta Patres in *Onomaſtico Pontificio* adductos, ſit *Os* & *Lingua Eccleſiæ*, quæ in rerum piarum æſtimatione hallucinari non poteſt, cum Spiritum ſanctum habeat ductorem & moderatorem. 230.

Indulgentiarum ampliſſimarũ conceſſio Sodalib9 Mariani Scapularis facta, eximia eſt ejuſdẽ prærogativa ac commendatio.

Nec honorifica duntaxat eſt hæc prærogativa, ſed etiam admodum fructuoſa. Eradit enim reatum, cujus rubigo hominem obæraret ad graves pœnas, in hac vel altera vita ſubeundas, niſi per indulgentias extergeretur. Itaque non fuit de hac prærogativa ſilendum. Commodè autem hanc prærogativam, præcedenti proximè expoſitæ ſubnectimus: quia prior illa ditat perſonam meritis totius Ordinis Carmelitarum: hæc autem ad quam aperiendam accingimur, confert Chriſti & Sanctorum merita, prout in Eccleſiæ Theſauro abdita, & per Eccleſiæ quæſtores diſpenſabilia, ad diſſolutionem nominum contractorum, conſequenter ad culpam, ea dimiſſa plerumque ſuperſtitum. Itaque hæc prærogativa affinis eſt præcedenti, & illi non incongruè ſubjungenda.] Hactenus ille, & ſatis appoſitè ad propoſitum noſtrum.

Non modo honorifica verum etiã fructuoſa admoduũ eſt hæc ſac. Scapularis prærogativa.

Quod autem permulti ſummi Pontifices, compluribus, varijſque indulgentijs hanc Partheno-Carmeliticam Confraternitatem decora-

corarint, ditarintque manifestum fiet ex his, quæ mox dicentur, producendo diversos Pontifices, qui primùm in Oriente florentem hanc Confraternitatem indulgentijs illustrarunt; tum verò in Occidente uberiùs multipliciùsque locupletarunt.

231. Quo tempore cæperit indulgentiarum usus in Ecclesia?

Martinus Kemnitius & alij nostri temporis Sectarij antiquitatem indulgentiarum explodunt, nec ampliùs quàm à quadringentis annis earum usum in Ecclesia cepisse atq; extitisse contendunt. Ex Catholicis verò Rossensis concedit cepisse post tempora SS. Hieronymi & Augustini, secutus in hoc Durandum, & alios nonnullos, qui volunt indulgentiarum concessiones sola authoritate Ecclesiæ & Pontificum fundari, & cepisse à quingentis, vel circiter annis. Verum illi melius ac verius indulgentiarum usum reducunt ad tempora Apostolorum, & ad nostra usque perpetuò durasse egregiè probant; ego autem ducto in præsenti argumento ab indulgentijs Ordini nostro, aut ejus Sodalitio, vel Ecclesijs concessis ostendam, indulgentiarum concessiones & usum, ab octingentis saltem annis in Ecclesia viguisse.

Quod ut melius, & sine offendiculo percipiatur, recolendum est, quod supra in *prima hujus Operis Parte* demonstravimus, scilicet in Oriente primitùs extitisse Marianam Ordinis nostri Confraternitatem, quo vero tempore ibidem inceperit incertum est. Hoc constat ADRIANUM II. uti mox dicam, anno 868. eam Apostolicis gratijs seu indulgentijs illustrasse, quæ proindè debuit præfati ADRIANI tempora antecessisse: cum non inchoata, sed illustrata sub ipso reperiatur. Quando verò inibi desierit non constat: certum est id contigisse verosimiliter eo tempore, quo funditus in Oriente desiit Ordo Carmeli, quod accidit anno 1291. Dico *funditùs*: nam ante hoc tempus jam ex parte in multis locis Palæstinæ desierat, occupantibus ea loca Barbaris ac Sarracenis. Hujus ultimi, totalis, deplorandique excidij Monasteriorum Carmelitarum Ordinis in terra sancta meminit Erardus, quem alij Wernerum nuncupant, Rolevinck Carthusiensis, in *Fasciculo temporum circa annum* 1291. his verbis. *Nobilissima civitas Aconensis à Sarracenis destruitur, ac Monasterium Desertæ Mariæ in* CARMELO *ad quatuor milliaria civitati vicinum ab eis igne crematum. Fratribus inventis in eo perfidorum gladijs trucidatis: & tunc, proh dolor, Mons Carmeliticus mellifluum locum ex toto perdidit, in quo à tempore* ELIÆ & ELISEI *Prophetarum, duobus millibus ducentis viginti & uno annis perstiterat.*

Quis Romanorum Pontificum primus Confrat. indulgentias concesserit, & quo anno? Quando Ordo Carmelit. à Saracenis è Palæstina & Carmelo expulsus sit, & quot annis in eo perstiterit?

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Idem atteſtantur præter extraneos Scriptores, omnes Ordinis noſtri Hiſtoriographi, tum antiquiores, tum recentiores, ut Guilielmus Samucus Author ſynchronus hujus excidij in *Lib. de multiplicat. hujus Religionis*, Joannes de Malinis in *Speculo hiſtoriali Ordinis Cap.* 8. Joan. Paleonydorus *lib.* 3. *Hiſtor. Carmelit. Cap.* 10. Arnoldus Boſtius in *Speculo hiſtoriali lib.* 7. *Cap.* 32. *&* 33. Thomas à JESU, *Lib. de antiquit. Ord. Carm. Cap.* 6. Lezana in ſuis *Annalibus Carmelit. Tom* 4. Ludovicus à S. THERESIA in opere inſcripto Gallicè, *la ſucceſſion du S. Prophete ELIE en l' Ordre des Carmes, & en la reforme de S. Tereſe &c. ſæculo Eccleſiæ* 13. *Ord. Carmelit.* 22. *Cap.* 231. alijq; complures: qui etiam affirmant ab anno Chriſti 636. uſque ad præfatum annum 1291. è Carmelitarum Ordine centum quadraginta millia utriuſq; ſexus martyrio fuiſſe coronatos, præter eos, quos præcedentia, quoſque ſubſequentia ſæcula ſuppeditarunt. Nec mirum cuiq; videri debet, tot millibus Martyrum intra ſeptem ſolum ſæculorum ſpatium Carmeli Ordinem claruiſſe, cum Joannes Azorius *lib.* 12. *inſtitut. mor. cap.* 21. ex Sabellico referat Ord. Carmelit. habuiſſe ſeptem millia ac quingenta Cœnobia, eaque adeò Monachis conferta, ut centum octoginta millia Sacerdotum, præter reliquos ſine numero Religioſos, in illis degerent. Alios Authores idem aſſerentes citavi in *Funiculo triplici* 24. *beneficiorum nodis &c. Nodo decimo.*

Nota magnam Martyrũ multitudinem in Ordine Carmelitarum. Et cœnobiorum ac Religioſorum, &c.

Ut nunc redeamus, undè nonnihil digreſſi ſumus, eo quo ſupra diximus anno, dubio procul deſijt ſimul cum Ordine Carmeli in Oriente ejuſdem Mariana Confraternitas, ſaltem quoad ritum cultumque publicum, qui ex illo tempore in iſtis Regionibus inhibitus fuit ab illis Barbaris populo Chriſtiano.

Quando & quomodo in Oriente deſierit Mariana Carmelit. Confraternitas?

232.

CÆTERUM ut ut ſit, primus è Romanis Pontificibus, qui legitur indulgentias Partheniæ Confraternitati noſtræ contuliſſe in Oriente fuit ADRIANUS II. qui ſucceſſit *Nicolao I.* & ſedit anno 868. juxta Baronium. Hic omnibus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus, contritis & confeſſis, qui Confratriam ſeu Confraternitatem Ordinis noſtri aſſumerent ac intrarent, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxavit. Ita teſtatur SIXTUS IV. in ſuo Diplomate: *Dum attenta meditatione.* ann. 1477. & GREGORIUS XIII. in ſuo, *Vt laudes.* ann. 1577. [Hi etiam Pontifices in eiſdem Bullis affirmant LEONEM IV. circa ann. 848. viginti ſcilicet annis ante tem-

Recenſentur Pontifices, qui eidem indulgentias largiti ſunt.

pora *Adriani II.* concessisse visitantibus Ecclesias Ordinis Carmelitarum in designatis ab illo Festivitatibus septem annos indulgentiarum & totidem quadragenas.] Præterea id tradunt Historiographi omnes Ordinis nostri, Paleonydorus, Thomas à JESU, Lezana, de Coria, &c. & ex exteris Emman. Rodriquez, Carthagena & alij. Idem post dictum ADRIANUM fecerunt STEPHANUS V. qui successit ADRIANO III. & sedit anno 885. SERGIUS III. anno 90[illegible] JOANNES X. anno 912. JOANNES XI. anno 931. SERGIUS IV. anno 1009. & alij. Jam vero in Occidente primus, qui indulgentias concessit, dictæ Partheno-Carmeliticæ Confraternitati, videtur fuisse INNOCENTIUS IV. qui sedit anno 1248. relatus à dictis Pontificibus SIXTO IV. & GREGORIO XIII. qui similiter tertiam partem peccatorum seu pœnarum in Domino relaxavit. Idem præstitêre JOANNES XXII. qui sedit anno 1316. ALEXANDER V. qui anno 1409. SIXTUS IV. qui anno 1477. CLEMENS VII. GREGORIUS XIII. PIUS V. SIXTUS V. CLEMENS VIII. PAULUS V. &c.

Quis primum in Occidente eidem indulgentias concesserit?

CAPUT III.

Utrum omnes Indulgentiæ Confraternitati nostræ olim per Romanos Pontifices concessæ, his temporibus sint tutæ & validæ?

233. VIDIMUS præcedenti Capite, complures Pontifices varias indulgentias liberalissimè concessisse Confratribus nostris; nunc restat, ut inquiramus, an illæ omnes omnino, hoc quoque tempore, adhuc maneant in suo robore ac vigore, valideque existant, vel potius aliquæ ex illis sint revocatæ? Quia vero Reverendiss. P. Theodorus Stratius, Prior Generalis Carmelitarum, in sua *Instructione pro Carmelit. &c.* de hoc argumento pie nè & benè scripsit: ideo lubet hic, & in sequentibus Capitibus nonnulla ex illo adducere.

Exponitur quid sit personalis.

In ipso limine observanda occurrit vulgata, quam supra innuimus, distinctio indulgentiarum in *personales*, & *locales*, licet enim, [illegible] soli homines viatores ac fideles, in gratia existentes capaces sint [illegible] dis-

dulgentiarum, omnes dici possint personales: nihilominus jam usus obtinuit, ut aliquæ dicantur *personales*, & aliæ *locales*. Per personales autem illas debemus intelligere, quæ ipsis hominibus ita immediatè conceduntur, ut quasi personis inhæreant, & sint affixæ, & ob id Fideles justi eas quocunque pergant secum videantur deferre, valeantque ubicunque luerari: at per locales illas, quæ ipsis quidem personis & hominibus conceduntur, sed mediante aliquo alio, puta visitantibus talem Ecclesiam, & in ea orantibus, vel aliud pium ibi opus exercentibus. Nostræ præcipuè intentionis est, tractare de indulgentijs personalibus Confratrum Sodalitij nostri Mariani SCAPULARIS, quæ illis ita sunt concessæ, ut eas ipsi quasi secum quocunque deferant, & consequi ubique possint. Nihilominus aliqua etiam dicemus de indulgentijs localibus: de illis nimirum, quæ â diversis summis Pontificibus concessæ fuerunt omnibus Christi Fidelibus nostras Ecclesias visitantibus.

& quid localis indulgentia.

De quibus indulgentijs hic potissimum agendum sit?

Sciendum est autem, quod licet PAULUS V. per quandam Bullam in initio sui Pontificatus revocaverit omnes indulgentias personales Religiosis cujusvis Ordinis â suis prædecessoribus concessas, aliasque novas elargitus fuerit, nihilominus nihil prorsus innovavit de indulgentijs localibus Ecclesias Regularium visitantibus concessis, quæ propterea in suo adhuc antiquo robore & vigore perseverant: sicut alias declaravit S. Congregatio indulgentiarum, cujus literas ad Archi-Episcopum Bononiensem directas hic subycere non erit abs re: quia in illis multa quoque continentur scitu necessaria pro canonica Confraternitatum institutione, atq; confirmatione, &c.

Paulus V. non revocavit indulgentias locales Regularium Ecclesijs concessas.

Dichiaratione è decreto fatto dalla S. Congregatione dell' indulgenze, approvato dalla Santita di N. Signor, sopra la Bolla della felic. memor. di Papa CLEMENTE VIII. *per lettere dell' Ill.mo è R.mo Sig. Cardinal Arigone scritte â Monsig. Ill.mo è R.mo Arciveſcovo di Bologna, publicato in Bologna alli 20. d' Ottobre del 1607.* 234.

Molto Illustre & R.mo Monsignore. Hauendo resoluto questi miei Ill.mi Signori della Congregatione dell indulgenze, con authorita & ordine particulare havuto, vivæ vocis oraculo, dalla Santita di N. S. di levare alcune difficolta, che si trovano nel essequire la Constitutione di CLEMENTE VIII. fatta gia sopra l' Aggregationi delle Confratie, dichiarando ancora alcune cose concernenti l' insti-

tutioni antiche, fatte da superiori delle Religioni, fanno sapere V. S. che si contentano, che i superiori Regolari, à quali è stata concessa nova facolta da sua Beatitudine d' instituire Confraternita secolari secondo la forma della sudetta Constitutione, possino confirmare, senza consenso dell'Ordinarij de luoghi, quelle Confraternita, quali si trovano canonicamente erette da medesimi superiori Regolari avanti se publicasse l' istessa Constitutione, nelle Chiese proprie loro Regolari Collegiate, dove siano almeno dodici Religiosi di famiglia ordinaria, non ostante, che nella patente della Confermatione, si dica expressamente, farsi cio con consenso dell' Ordinario, dichiarando pero, che nel fare nove institutioni nelle Chiese tanto secolari, quanto Regolari, di qualunque sorte, ò nel confermar etiandio l' antiche erette in Chiese secolari è Regolari ancora, nelle quali non stiano li Religiosi, si debba necessariamente havere il testimonio è consenso dell' Ordinario, è servare tutto il restante, che si prescrive nell istessa Constitutione.

An & quomodo prælati Regular. quibus concessa est facultas instituendi Confraternitates, possint jã ante constitut. *Clement. VIII.* Canonicè erectas, sine consensu Ordinarij confirmare?

Permettino similmente che i medesimi Regolari, à quali è stata concessa la nuova facoltà d' instituire, possono confermare le Confratrie antiche, & instituire ne de nuovo, ancorche non sia tutta quella distanza de luoghi, ove sono, o saranno tali Confratrie, che vene prescritta da Brevi Apostolici: mentre pero, oltre tutti li altri requisiti, concorra ancora à questo il consenso dell' Ordinario del luogho, che si dovera essibire in scritto, prima che si dispensi sopra tale distanza, è non altrimente.

Quid observandum in dispensatione super distantia locorum, &c.?

Permettono ancora, che ritrovandosi diverse Confratrie de secolari antiche, erette canonicamente, come sopra, in Chiese Regolari Collegiate di 12. Religiosi almeno, si possino confermare, servato pero in tutto il resto la forma data dalla medesima Constitutione: e parimente che essendo in una Citta, o Terra piu d' una Confraternita antica dell' istesso nome, & instituto, eretta canonicamente da superiori Regolari, si possino confermare, secondo la sudetta forma; ma nell instituire nuove Confraternita, vogliono le sue Signorie Illustriss. che una sola si possi fare in qualunque Citta, Terra, o luogho, eccettuando pero, la Compagnia del sacratiss. Sacramento, quale concedono, anzi desiderano in ogni chiesa Parochiale, non obstante, vi si trovi eretta prima qualsivoglia altra Confraternita.

Quid circa Confraternitates ejusdem nominis ac instituti?

E perche

E perche molti dubitano, se per la Constitutione di sua Beatitudine sopra l' indulgenze concesse ultimamente alle persone Religiose con rivocatione dell' antiche, venghino rivocate anco l' indulgenze concesse alle loro Chiese, & a quei, che le visitano, ancor che la Constitutione comprendi chiaramente solo le persone Regolari, senz' estendersi alle Chiese loro; tuttavia la Congregatione per levare ogni dubio dichiara, che l' indulgenze concesse a quelli, che visitano le Chiese de Regolari, stanno nelle loro forza e vigore, sin che la Santita sua fara altra deliberatione, e pero si possino lasciar publicare, quando non osti altra cosa.

Declaratur à Sac. Congregatione indulgentias concessas visitantib. Regulariū Ecclesias adhuc permanere in suo vigore.

Tutto questo è parso alla Congregatione di scriuere a V. S. acciò nell' occorenze di cotesta Chiesa sappia cio, che passa in questo particolare, e lo faccia sapere a i Vescovi della sua Provincia; e io prego a V. S. ogni vero bene. di Roma alli 7. de Settembre 1607.
Di V. S. per servirla *P. Cardinal Arrigone.*

Idem rescriptum fuit ad Episcopum Senensem eodem die & anno, referente Peyrinis *in Privileg. Minimor. in Ad ditionibus ad Constitut. CLEMENTIS VIII. Cap. 9. num.* 82.

235.

Utrum destructa Ecclesia indulgentia ei concessa extinguatur?

LICET autem indulgentiæ locales à PAULO V. revocatæ non fuerint, uti modo asseruimus, ambigere tamen quis poterit, utrum destructo loco, seu Ecclesia, cui sunt indulgentiæ concessæ, censendæ sint ipsæ etiam iudulgentiæ revocatæ, vel sublatæ?

RESPOND. Si Ecclesia per partes paulatim diruatur, & simul sensim reficiatur, certum esse illius indulgentias non extingui, quia semper censetur eadem numero durare Ecclesia. Hac ratione Ecclesia benedicta, si per partes diruatur, repareturque, remanet tota benedicta, quia reputatur eadem numero Ecclesia. At difficultas major est, si Ecclesia simul tota destruatur, atque alia de novo construatur, sub eodem titulo seu patrocinio; & profectò, si erigatur in alio loco, quia nullo modo remanet eadem, nec quoad ædificium, nec quoad solum, videtur dicendum indulgentias priori Ecclesiæ dirutæ concessas simul desinere & extingui: at si rursus in eodem loco reædificetur; præsertim si constructio secundæ inchoetur mox post dejectionem primæ, probabile valdè videtur, non extingui indulgentias; quia ratione ejusdem loci, ac tituli, moraliter quasi eadem censetur.

Quid in hoc dicendum sit dubio circa indulgentias Ecclesijs Ord. Carmelitarum concessas?

Sed quidquid sit de indulgentijs Ecclesiæ determinatæ concessis, difficultas hæc locum non habet in indulgentijs nostrarum Ecclesiarum, quia non limitantur ad hanc vel illam Ecclesiam, hujus vel illius loci, verum concessæ sunt universis nostri Ordinis Ecclesijs, seu potius Christi Fidelibus illas visitantibus: quare esto Ecclesiæ nostræ reficiantur, vel de novo erigantur, in eodem aut diverso loco, sub eodem seu diverso titulo, aut patrocinio, quia semper manent nostri Ordinis Ecclesiæ, semper quoque in eis manent, & perseverant eædem indulgentiæ.

236. Non sunt revocatæ à *Paulo V.* indulgentiæ pro defunctis ac mortis articulo.

Advertendum etiam, quod ab hac PAULI V. revocatione excludantur indulgentiæ Personales Confratrum pro articulo mortis, & defunctis. Ita tenet tanquam probabile (etsi cum formidine, cum ad aliorum tandem judicium remittat) P. Lezana *Tom.* 1. *qq. Reg. Cap.* 15. *num.* 42. & lib. *de Patronat. Mariano Cap.* 12. *num.* 5. eodem ductus argumento, quo *Tom.* 3. *num.* 19. dixerat similiter Regularium indulgentias non fuisse comprehensas in revocatione PAULI V. quod nimirum ea, quæ speciali digna sunt nota (quales enumerantur indulgentiæ pro mortis articulo, aut defunctis) non censentur sublata, nisi expresse nominentur, idq; declarasse PAULUM V. pro Regularibus testantur plures Authores apud eundem Lezanam. Quæ rationis identitas ad nostrorum Confratrum indulgentias etiam extendenda est. Idem docet sine ulla formidine Irenæus à S. Jacobo *Tract. de sing. Virg. protectione sect.* 3. *Cap.* 1. & Theodorus Stratius, refertq; ab URBANO VIII. responsum aliquando, indulgentias pro articulo mortis non retractari, virtute Jubilæi, esto revocentur aliæ. Idem URBANI VIII. responsum refert Peyrinis in *Privilegijs Mendicantium ad Constitutionem* 8. *Pauli V.* Romanus Pontifex. *num.* 10. affirmatque nomine URBANI VIII. Romæ publicatum à R. D. Coccino recesgerente Pœnitentiariæ, anno Jubilæi 1625. Idem docet cum Diana & alijs Antonius Cotonius. *lib.* 2. *de Sacram. Controversia* 11. *num.* 98.

CAPUT IV.

Indulgentiæ Personales, quibus nunc Confratres nostri Sodalitij sacri Scapularis frui possunt.

QUOD ad indulgentias nostrorum Confratrum, quæ inter personales connumerantur, licet aliàs magnæ, multæ, & variæ à diversis Romanis Pontificibus concessæ ijs fuerint; nihilominus PAULUS V. justissimas ob causas animum suum moventes, volens unicuique Confraternitati certas & peculiares indulgentias impertiri, omnes indulgentias & peccatorum remissiones, tam nostræ, quam alijs quibuscunque Confraternitatibus, per quoscunq; Romanos Pontifices, Prædecessores suos concessas revocavit, ac nullius roboris ac valoris amplius esse declaravit, aliasq; novas, peculiares & proprias liberalissimè concessit & indulsit. 273. *Paulus V.* revocavit indulgentias personal. quibuscunque Confratern. concessas, & alias denuo indulsit.

Sciendum autem, quod Sanctitas sua de hac re quoad Marianam nostram Confraternitatem, duas condiderit Constitutiones seu Bullas: quarum primam, quæ incipit, *Cœlestes Ecclesiæ thesauros.* apud S. Marcum die 3. Junij anno 1606. promulgavit: quia verò occasione cujusdam clausulæ in ea contentæ, quâ conceditur Confratribus nostris facultas eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum à quo possent absolvi semel in anno ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus & delictis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; exceptis contentis, tum in Bulla Cœnæ, tum in quadam Constitutione CLEMENTIS VIII. sui Prædecessoris, & à reservatis ab Ordinarijs locorum, excitatæ fuerunt nonnullæ difficultates: ideò secundam edidit Bullam, cujus initium, *Cum certas.* apud S. Petrum die 30. Octobris ejusdem anni 1606. absque dicta clausula: sed cum eadem prorsus antiquarum indulgentiarum revocatione, & novarum concessione, & istis tantummodo nunc Confratres nostri gaudere possunt.

Verum nonnulli existimant, quod cum PAULUS V. posteà omnes antiquas indulgentias Confraternitatis Rosarij, aliàs ab eo revocatas revalidaverit, etiam indulgentias antiquas nostræ Confraternitatis, via & virtute communicationis privilegiorum inter Regu-

gulares, præsertim Mendicantes vigentis revalidatas fuisse: quod tamen nobis non probatur; non quia de communicatione Privilegiorum inter Regulares Mendicantes dubitemus: sed quia confirmatio indulgentiarum antiquarum Confraternitatis Rosarij, non est privilegium Ordinis Prædicatorum, licet ab eo dicta Confraternitas pendeat, sed ipsius Confraternitatis; extare autem aliquod indultum Apostolicum, per quod Privilegia uni Confraternitati concessa, nostræ vel alijs communicentur hactenus me latet. Dum enim aliqui dicunt CLEMENTEM VII. in Bulla: Ex *clementi Sedis Apostolicæ*. de qua *infra*, concessisse Confratribus nostris indulgentias & gratias alijs Confraternitatibus concessas, vel concedendas, non considerant dictam concessionem non fuisse factam Confratribus nostris, sed Fratribus & Sororibus nostri Ordinis. Idem dicendum de alia simili concessione facta à CLEMENTE VIII. nostris Discalceatis &c.

238. ACCEDAMUS nunc ad recensendas omnes illas indulgentias, quas his temporibus nostri Confratres extra omnem dubitationem consequi possunt: tractabimusque solum de concessis à PAULO V. tum in dicta Bulla, *Cum certas &c.* tum in duabus alijs posterioribus; istæ enim tam multæ sunt & magnæ, ut illis nostri Confratres acquiescere, & plenè contenti esse possint; non erit autem absre dictas tres Bullas verbatim hic subjungere.

Tenor Bullæ primæ PAULI V.

PAULUS Quintus ad perpetuam rei memoriam.

Cum certas unicuiq; Confraternitati Indulgentias & gratias spirituales, quibus de cætero fruantur, duxerimus præscribendas, ideircò nos omnes & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitati B. MARIÆ de monte CARMELO in quibuscunq; civitatibus & locis canonicè institutæ, & illius Confratribus & Consororibus hactenus per quosvis Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessas revocantes, & nullius roboris & momenti esse declarantes, de Omnipotentis DEI misericordia, ac beatorum PETRI & PAULI Apostolorum ejus authoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus, qui dictam Confraternitatem ubivis locorum, tam hodie, ut præfertur, canonicè institutam, quàm deinceps, ut infrà, instituendam de cætero ingredientur & habitum receperint, die primo eorum ingressus, vere pœnitentes & confessi sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, [illegible] naviam.

Indulgentiæ plenariæ à *Paulo V.* Confrat. Mariani Scapular. concessæ.

Ac tam ipsis pro tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus, etiam verè pœnitentibus & confessis, qui in festo principali Commemorationis ejusdem beatiss. Virginis MARIÆ die 16. mensis Iulij, aut juxta ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediatè sequenti celebrari solito, sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint: ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEVM preces effuderint, etiam plenariam.

In mortis quoq; articulo eisdem cujuscunq; sexus Confratribus, qui pœnitentes & confessi, ac sacratissima Communione refecti, nomen IESV ore, si potuerint, sin autem corde devotè invocaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus: nec non ipsis Confratribus & Consororibus, qui similiter pœnitentes & confessi, ac sacra Communione refecti Processioni, in una Dominica cujuslibet mensis per dictam Confraternitatem de Ordinarij loci licentia faciendæ, devotè interfuerint, & ibi, ut præfertur, oraverint, septem annos & totidem quadragenas. Ipsis verò, qui ab esu carnium ijs diebus, quibus Confratres dictæ Confraternitatis, ex illius instituto, vesci non solent, abstinebunt, ter centum dies. Indulgentiæ non plenariæ.

Qui autem quolibet die septies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad honorem septem gaudiorum ejusdem B. MARIÆ Virginis recitaverint, quadraginta dies; nec non etiam, qui cum habitu ejusdem Confraternitatis pœnitentes & confessi semel in mense sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, &, ut præfertur, oraverint, quinq; annos & totidem quadragenas. Ijs verò Confratribus & Consororibus, qui pœnitentes & confessi in qualibet ex solemnitatibus aut festivitatibus ejusdem B. MARIÆ Virginis dictum SS. Eucharistiæ Sacramentum, in Ecclesia, vel Capella dictæ Confraternitatis sumpserint, &, ut supra dictum est, oraverint, tres annos & totidem quadragenas; Qui autem cum lumine dictum SS. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, & pro iisdem infirmis pias ad DEVM preces effuderint, quinq; annos, & totidem quadragenas.

Qui verò corpora defunctorum, tam Confratrum & Consororum, quàm aliorum ad sepulchrum associaverint, & pro eorum animabus DEVM oraverint centum dies. Quoties verò prædicti Confratres, & Consorores Officium B. MARIÆ Virginis devotè recitaverint centum dies. Qui verò missis & alijs divinis Officijs in Ecclesia vel Capella, aut Oratorio dictæ Confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio receperint,

perint, aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales, vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes DEI præcepta, & ea, quæ ad salutem sunt docuerint, aut quodcunq; aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum parvum operum, centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Confertur R. P. Generali Carmelit. potestas ubivis locorũ confratern. sacri Scapularis erigendi, & ei supra dictas indulgentias communicandi.

Ac dilecto Filio nunc, & pro tempore existenti, Priore Generali dicti Ordinis Carmelitarum, vel illo absente ejus Vicario Generali, ut hujusmodi Confraternitatem B. MARIÆ de monte CARMELO, ubivis locorum extra Urbem erigere & instituere, illisq; omnes supradictas indulgentias, & gratias spirituales (servata tamen forma præscripta in Constitutione fel. record. CLEMENTIS Prædecessoris nostri super prædictarum Confraternitatum aggregationibus, & constitutionibus edita) communicare similiter liberè & licitè possit, & valeat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem concedimus & impartimur. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunq;, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Octobris 1606. Pontificatus nostri anno secundo.

Tenor Bullæ secundæ PAULI V.

PAULUS Quintus ad perpetuam rei memoriam.

239. *PIORUM hominum Confraternitates, præsertim DEIPARÆ Virginis MARIÆ nomine ac Patrocinio conspicuas, spiritualium gratiarum muneribus libenter insignimus, ut gratijs hujusmodi Christi Fideles indies magis ad ejusdem Virginis cultum & venerationem invitentur. Proinde volentes Confraternitates canonicè institutas sub invocatione ejusdem B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO in quacunq; mundi parte existentes, ac dilectos filios, illius Confratres & Consorores, qui sicut accepimus, in una ex Dominicis mensis cujuslibet pro cujuslibet loci instituto, Christi Fidelium frequentia celebrem, ac solemnem processionem in eorum Ecclesijs, Capellis vel Oratorijs ad Virginis ejusdem commemorationem piè peragere solent, speciali aliquo munere decorare, omnes & Confratribus & Consororibus dictarum Confraternitatum verè pœnitentibus & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ processioni in una Dominicis cujuslibet mensis, in qualibet ex prædictis Ecclesijs, Capellis vel*

Concedit indulgentiam plenariam.

ratorijs peragendæ interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEVM preces effuderint, qualibet vice id peregerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias dictis Confratribus & Consororibus dictæ processioni interessentibus aliquas alias indulgentias perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturas concesserimus, illæ nullæ sint. Caterum quia difficilè foret, præsentes Literas ad singula quæq; loca deferri, volumus, quod eorundem Transumptis etiam impressis, manu Notarij publici, vel Secretarij Ordinis Carmelitarum subscriptis, & sigillo ejusdem Ordinis, seu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubiq; gentium adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 31. Augusti 1609. Pontificatus nostri anno quinto &c. Scipio Cobellutius.

Confratr. qui processioni menstruæ interfuerint, & præscripta observaverint.

Quoniam autem Sanctissimus in ista secunda Bulla expresè loquitur de Confraternitatibus institutis, & ideò quis poterat dubitare, aut asserere eam esse intelligendam, de Confraternitatibus tantum ante & non post eam institutis: ideò ad tollendam omnem ambiguitatem obtenta fuit alia Bulla pro Confraternitatibus etiam instituendis: quæ est tenoris sequentis.

Tenor Bullæ tertiæ PAULI V.

PAULUS Quintus ad perpetuam rei memoriam.

ALIAS volentes nos Confraternitates canonicè institutas sub invocatione B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO, in quacunq; mundi parte existentes, ac dilectos filios illarum Confratres & Consorores, qui sicut tunc accepimus, in una ex Dominicis cujuslibet mensis, pro cujuslibet loci instituto Christi Fidelium frequentia celebrem, ac solemnem processionem in eorum Ecclesiis, Capellis vel Oratorijs ad Virginis ejusdem commemorationem piè peragere solebant, speciali aliquo munere decorare: omnibus Confratribus & Consororibus dictarum Confraternitatum verè pœnitentibus & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ processioni una ex Dominicis cujuslibet mensis, in qualibet ex prædictis Ecclesijs, Capellis seu Oratorijs peragendæ interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEVM preces effudissent, qualibet vice id peregissent plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem in Domino misericorditer con- 240.

cessimus. Volumus tamen, quod si aliàs dictis Confratribus & Consororibus dictæ processioni interessentibus aliquas alias indulgentias perpetuò vel ad tempus tandum elapsum duraturas concessissemus, illæ nullæ essent, & aliàs prout in nostris in simili forma Brevis sub die 3. Augusti 1609. desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Nunc autem Confraternitates, sub invocatione ejusdem B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO, in quacunq; mundi parte, de cætero canonicè, ut præfertur, erigendas, spiritualium similiter gratiarum muneribus insignire volentes, quo exinde Christi Fideles indies magis ad ejusdem sanctiss. Virginis cultum & venerationem peramplius invitentur, supplicationibus etiam dilecti Filij Theodori Stratij *Fratrum Ordinis Carmelitarum Procuratoris Generalis, nobis humiliter porrectis, inclinati, indulgentiæ concessionem, & literas prædictas ad Confraternitates hujusmodi in posterum perpetuis futuris temporibus (ut præfertur) erigendas authoritate prædicta extendimus, non obstante Regula nostra de concedendis indulgentijs ad instar, cæteriq; contrarijs quibuscunq;. Volumus autem, quod eorundem præsentium Transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici, aut Secretarij Ordinis Carmelitarum hujusmodi subscriptis, & sigillo ejusdem Ordinis, seu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubiq; gentium adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem sub annulo Piscatoris, die 19. Julij 1614. Pontificatus nostri anno decimo, &c.* Scipio Cobellutius.

CAPUT V.

Compendium Indulgentiarum à PAVLO V. pro superiores Bullas Confraternitati Mariani Scapularis concessarum.

241. I. SANCTITAS sua concessit omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus, qui Confraternitatem sacri SCAPULARIS ubivis locorum, tam hactenus canonicè institutam, quàm deinceps instituendam de cætero ingredientur, & habitum acceperint, die primo eorum ingressus, verè pœnitentes & confessi, sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum susceperint indulgentiam plenariam.

2. Descrip-

2. Descriptis, & describendis in dicta Confraternitate verè pœnitentibus & confessis, qui in festo principali Commemorationis ejusdem B. Virginis MARIÆ die 16. mensis Julij, aut, juxta ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediatè sequenti celebrari solito, sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias adDEUM preces effuderint, plenariam.

3. Qui in articulo mortis pœnitentes & confessi, ac sanctiss. Communione refecti nomen JESU ore, si potuerint, sin autem, corde devotè invocaverint, plenariam.

4. Qui pœnitentes & confessi, ac sacraCommunione refecti processioni, in una Dominica cujuslibet mensis, per dictam Confraternitatem deOrdinarij loci licentia faciendæ, devotè interfuerint, & ibi, ut præfertur, oraverint, plenariam.

5. Qui ab esu carnium ijs diebus, quibus Confratres dictæ Confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, ter centum dies.

6. Qui qualibet die septies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, ad honorem septem gaudiorum ejusdem Virginis MARIÆ recitaverint, quadraginta dies.

7. Qui cum habitu ejusdemConfraternitatis pœnitentes & confessi semel in mense sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & (ut præfertur) oraverint, quinq; annos, & totidem quadragenas.

8. Qui pœnitentes & confessi in qualibet ex Festivitatibus ejusdem B. MARIÆ Virginis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia vel Capella dictæ Confraternitatis devotè sumpserint, &, ut supradictum est, oraverint, tres annos & totidem quadragenas.

9. Qui cum lumine sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, & pro ijsdem infirmis pias ad DEUM preces effuderint, quinque annos & totidem quadragenas.

10. Qui corpora defunctorum quorumcunque ad sepulturam associaverint, & pro eorum animabus ad DEUM oraverint centum dies.

11. Qui Officium B. MARIÆ Virginis devotè recitaverint centum dies.

12. Qui missis & alijs divinis officijs in Ecclesia vel Capella aut Oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis & recitandis, sive Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis, ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio ceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint: aut eleemosynas temporales vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis proprijs vel alienis composuerint, seu componi fecerint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes DEI præcepta, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum centum dies de injunctis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentijs forma Ecclesiæ consueta, concessit & relaxavit.

CAPUT VI.

Declarantur præfatæ Indulgentiæ.

242. PRO pleniori intelligentia indulgentiarum, quas *praemisso Capite* retulimus, observandum est PRIMO, quod centum nonnullæ ex eis, scilicet *prima*, *secunda*, *tertia*, *quarta*, *septima* & *octava*, concessæ fuerint cum hac clausula, *vere pœnitentibus & confessis*; multorum est Theologorum & Canonistarum sententia, quod vi hujus clausulæ non sit semper pro consecutione indulgentiæ præmittenda actualis confessio, sed solum quando pœnitentia interior ita est imperfecta, ut non attingat perfectionem contritionis, nec ad obtinendam justificationem sufficiat. Si autem sit perfecta contritio ad justificationem disponens, volunt isti sat esse, si pœnitens habeat confessionem in voto. Et fundamentum eorum est, quia per dictam clausulam non injungitur actualis confessio, nec quam speciale opus pium, sicut jejunium, eleemosyna, oratio &c. necessarium ad consequendam indulgentiam, sed solum, ut pœnitens justificetur, capaxque reddatur indulgentiæ; cum igitur per perfectam contritionem cum confessione in voto pœnitens justificetur, capaxque reddatur indulgentiæ, non erit secundum istos necessaria actualis confessio. Quare ista verba *pœnitentibus & confessis* accipiunt

Utrum ad consequendas præfatas indulgentias necessaria sit actualis confessio, vel sufficiat sola contritio?

esse volunt divisim & distributivè, id est, *tam pœnitentibus, quàm confessis*: & hanc opinionem authoritas multorum Doctorum, qui illam sequuntur probabilem reddit.

Probabilis est sententia negativa, sed probabilior videtur affirmativa. Vide Suarez *Tom. 4. in 3. p disp. 52. sect. 3. n. 13* Bonacinam *de indulg. disp. 6. q. 1. punct. 5.* & alios ab his citatos.

Nihilominùs probabilior semper mihi visa fuit sententia opposita, quod scilicet vi prædictæ clausulæ, habens conscientiam culpæ lethalis, semper teneatur actu & reipsa confiteri; & ratio me movens est; quia certum est Pontificem confessionem actualem, tanquam opus pium necessariò præmittendum ad consequendam indulgentiam exigere posse: verba autem dictæ clausulæ satis superque denotant Pontificem exigere confessionem actualem, tanquam opus pium.

Præterea certum est, quod in habente conscientiam peccati mortalis, pro consecutione cujuscunque indulgentiæ necessaria sit confessio saltem in voto, etiamsi non exprimatur, sine qua expressione multas indulgentias concessit PAULUS V. in compendio relatas; igitur quando in concessione alicujus indulgentiæ injungit expresse confessionem, illam non in voto tantùm, sed in re exigit.

Ex quo colligendum sit requiri actualem confessionem?

Addo, quod quando Pontifex vi hujus clausulæ, *pœnitentibus & confessis* non exigit actualem confessionẽ, subjungere solet ista verba: *vel proposítum confitendi habentibus*; quando igitur ista verba non subjungit, argumentum est, quod actualem confessionem exigat, eo quod confitendi propositum non sufficiat. Et hanc sententiam sine dubio in praxi Fideles sequi debent, ne se periculo exponant non lucrandi indulgentiam; cum ad hunc effectum non sufficiat sequi probabilem opinionem, quæ re ipsa vera non sit, ut *supra Cap. 1.* innuimus.

Culpæ lethali obnoxius nequit dignè communicare, nisi præmittat confessionem.

Quamvis autem opposita sententia sua non careat probabilitate, si post clausulam, *verè pœnitentibus & confessis*, non sequatur ista: *& sacra Communione refectis*, vel alia similis: nihilominus si ista subjungatur, ut fit in indulgentijs nostri Compendij, sine dubio tenetur confessionem actualiter præmittere, qui vult dignè sacra Communione refici: de jure enim divino quis non potest, ut ex Concilio Tridentino patet, dignè communicare, nisi præmittat actualem confessionem, si conscientiam habeat culpæ lethalis. Confratres igitur nostri post commissum mortale peccatum, esto præcisè vi clausulæ, *pœnitentes & confessi*, non tenerentur actu confiteri, sed sufficeret contritio cum confessione in voto, tenentur tamen vi juris divini actualem confessionem præmittere, quo dignè Sacramentum Eucharistiæ suscipiant.

SED

243. An habens solum peccata venialia teneatur actualem præmittere confessionem.

SED majus dubium est, an qui post ultimam confessionem venialiter tantum peccavit, nulliusq; culpæ lethalis non expiatæ memoriam habet, teneatur vi prædictæ clausulæ, *contritis & confessis*, actualem illorum confessionem præmittere? Et negativè respondent Doctores communiter: tum, quia sola peccata venialia, cum gratia & amicitiam DEI non destruant, indulgentiæ fructum non impedunt, nec dignam Eucharistiæ susceptionem: tum, quia, quando Bulla exigit confessionem, est intelligenda de confessione peccati mortalis. Nihilominus mihi adhuc probabilior videtur opposita sententia; quia arbitror, quod confessio vi præfatæ clausulæ, non præcise exigitur, ut pœnitens justificetur, & gratiam divinam recuperet, sed ut isto sanctissimo opere disponatur ad fructum indulgentiæ; sicut disponitur jejunio, oratione, visitatione Ecclesiæ, & alijs operibus pijs injunctis. Quare sicut cætera opera pia injuncta, etiam ab eo qui non habet conscientiam peccati mortalis, sunt executioni mandanda: similiter & confessio, idq; praxis Fidelium satis declarare videtur; cum nemo sit, qui tempore Jubilæi confessionem exigentis non confiteatur: cum tamen multi non habeant conscientiam peccati mortalis. Non tamen est necesse omnia venialia confiteri, sed sufficit unum vel alterum, quo materia absolutionis Sacramentalis administretur.

In quo sensu verum sit, peccata venialia non impedire consecutionem indulgentiæ?

Dum autem dicimus, peccata venialia consecutionem indulgentiæ non impedire, debet hoc intelligi solum quoad effectum tollendi pœnam peccatis mortalibus deletis debitam, peccata namq; venialia impediunt effectum indulgentiæ, quoad delendam pœnam illis debitam, nisi ea sublata jam sint quoad culpam, vel virtute alicujus Sacramenti dignè susceptì, vel extra Sacramentum per aliquem actum supernaturalem, qui cum illis sit incompatibilis. Pœna namq; cujusvis peccati ipso durante nunquam tollitur, & hæc est causa, ob quam sæpè pauci indulgentiam perfectè & absolutè plenariam lucrantur, quia pauci sunt, qui omnibus peccatis venialibus carent. Cum pauci sint, qui ad aliquod veniale non habeant affectum. Vide circa hæc R. P. Dominicum à *SS.* Trinitate *loco supra citato Controv.* 12. [illegible]

244. In quibus casibus non

OBSERVANDUM *secundò*, quod si loquamur de alijs indulgentijs nostri Compendij, quibus non est apposita clausula, *pœnitentibus & confessis*, Confrates nostri, esto post ultimam confessionem [illegible]

thaliter peccassent, modo sint verè pœnitentes & contriti, illas possunt lucrari absque actuali confessione; pro eis enim consequendis ea non exigitur, nec tanquam opus pium injunctum: quia non injungitur in Bulla, nec de eo fit ulla mentio: nec etiam, ut Confratres justificentur, fructusque indulgentiæ capaces reddantur, ad hoc enim sufficit perfecta contritio, quæ includit confessionem in voto.

exigatur actualis confessio?

245. quid ad cõsequendam indulgent. plenariam festi Commem. solemn. B. V. præstandũ sit? & ubi illa obtineri queat?

OBSERVANDUM *tertiò* circa secundam indulgentiam plenariam, concessam pro festo principali Commemorationis B. MARIÆ Virginis die 16. Julij, vel Dominica immediatè sequenti celebrari solito, quod pro illa lucranda Confratres nostri non teneantur aliquam Ecclesiam Confraternitatis, vel Ordinis nostri visitare, cum talis visitatio illis à Pontifice non fuerit injuncta, sed solum debent contriti & confessi Eucharistiam sumere, & pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, & sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione ad DEUM preces effundere. Quare in quocunq; loco ista pia opera fecerint, præfatam indulgentiam plenariam obtinere poterunt; si tamen tunc temporis reperiantur in loco, in quo sit Capella Confraternitatis, vel Ecclesia Ordinis, consultum, conveniensq; erit, ut illam visitent, in illaque sacram Communionem recipiant, & præscriptas orationes fundant. Advertendum autem quod si dies XVI. cadat in Dominicam non esse transferendum hoc festum.

Quando hoc festum non sit transferendum?

Quid verò dicendum de illo, qui abest à loco cujuslibet Confraternitatis Carmeliticæ? *Respond.* Videri probabilius, quod lucrari possit die decima sexta, aut Dominica sequenti, prout libuerit: cum enim nulla sit ibidem loci consuetudo, regi potest proprio arbitrio. *Si quæras*, quanta debeat esse distantia à loco Confraternitatis, ut non teneatur sequi consuetudinem illius loci in celebrando festo, lucrandaq; indulgentia? *Respond.* Pendere id à privatis circumstantijs, quas vir prudens ponderet, atque ab opportunitate frequentandi sæpius locum Confraternitatis. Ita Henæus à S. Jacobo *lib. sæpius citato sect.* 3. *Cap.* 1.

Quid de absentibus à loco Confraternitatis dicendum sit?

246. Duplex datur mortis articulus,

OBSERVANDUM *quarto* circa indulgentiam tertiam plenariam Confratribus nostris concessam pro articulo mortis, quod cum articulus mortis sit ille, in quo moraliter imminet mors, duo esse possunt articuli mortis: unus *præsumptus* & alter *verus*. *Præsumptus* dicitur

videlicet *Verus* & *præsumptus* & quisnam hic & ille sit?

citur ille, in quo quis positus, secundum humanam existimationem judicium Medicorum, moriturus est, non tamen moritur. *Verus* autem est ille, in quo quis verè moritur. Modo dubium est: utrum indulgentia nostra solùm intelligenda sit de vero mortis articulo. Existimant nonnulli, quod quando indulgentia simpliciter concedi tur pro articulo mortis, intelligatur non de præsumpto, sed de vero; licet in ea nec de præsumpto, nec de vero articulo expressa fiat mentio. Et hac ducuntur ratione: quia finis & intentio Pontificis illam concedentis est, ut infirmus ex hac vita decedat absq; onere luendi in purgatorio pœnas suis culpis debitas: hic autem finis non obtinetur, nisi in vero mortis articulo. Quare si quis Confrater in mortis articulo constitutus, secundum humanam existimationem, confiteatur, Eucharistiam sumat, sanctissimumq; JESU nomen ore vel corde invocet, & posteà convalescat, indulgentiam non incurrat, sed illa ei pro vero mortis articulo reservatur.

De quonam ex illis intelligenda sit indulgentia plenaria à *Paulo V.* pro mortis articulo concessa?

Probabile est pro quovis mortis articulo concessam esse: quod probatur.

Nihilominus ego cum alijs non paucis existimo etiam valdè probabile, quod indulgentia nostra sit intelligenda de quovis mortis articulo, sive *vero* sive *præsumpto*. Ita ut Confratres nostri, quando constituti sunt in aliquo mortis articulo, secundum humanam existimationem, & Medicorum judicium, si servanda servaverint, totam indulgentiam plenariam consequantur, ita ut illis non fuerit concessa pro uno tantum, sed pro quovis mortis articulo. Ducor hac ratione; quia non limitat Pontifex hanc indulgentiam *ad unum tantum* articulum, ut aliquando facere solet: puta in Bulla Cruciatæ, in qua Confessori electo ab habente ipsam Bullam conceditur, ut ipse possit impertiri indulgentiam plenariam semel in vita, & semel in morte; sed loquitur indefinitè de articulo mortis. Dispositio autem indefinita in jure æquivalet universali. Ita ut idem sit dicere in mortis articulo, ac dicere in quovis mortis articulo; idq; præsertim procedit in dispositione favorabili, quæ nemini præjudicat. Ista enim est amplianda ad omnes casus, ad quos ejus verba secundum propriam significationem extendi possunt. Privilegium autem indulgentiæ pro articulo mortis est animæ valdè favorabile, nulli præjudicat, quare ampliandum est ad omnes casus, ad quos ejus verba, secundum propriam significationem, extendi possunt; cum autem sint indefinitè prolata absq; ulla limitatione ad unum tantum arti-

Dispositio indefinita æquivalet universali.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lum, intra limites propriæ significationis ad quemcunque articulum extendi possunt. Videatur N. Dominicus à SS. Trinitate, *Tract. de anno Iubilæi Controvers. 9. Cap. 1.* qui idem sentit & docet.

Confirmatur: quia multi Doctores loquentes de facultate, quàm interdum Pontifex concedit Confessario, impendendi plenariam indulgentiam in articulo mortis, dicunt, quod si talem facultatem non restringat ad unam solùm vicem; sed simpliciter & indefinitè illam concedat pro articulo mortis, potest Confessarius, virtute talis concessionis, illam impertiri infirmo toties, quoties judicat eum esse in tali statu, quod moraliter mors immineat: Ergò pari ratione, cum indulgentia plenaria à PAULO V. sine ulla restrictione, & indefinitè pro articulo mortis concessa fuerit nostris Confratribus, dicere p e mus illam fuisse concessam pro quovis articulo.

Quæret hic quispiam, quid conferat privilegium Bullæ Sabbatinæ, si in mortis articulo plenaria indulgentia habeatur, cum ejus beneficio reatus omnis abstergatur, ac proindè purgatorij flammis Confrater planè eximatur? *Respond.* Conferre plurimum. Potest quippè contingere, ut moriens non consequatur plenariam sibi indultam indulgentiam, eo quod requisita pro illa non præstet, aut præstare queat, v. g. confiteri, communicare &c. vel aliam ob causam. Item indulgentiam quis tunc obtinet, cum ultimum opus præscriptum perficitur: at inter illud momentum & animæ è corpore emigrationem, potest fieri, ut quis iterum peccet venialiter, ideoque plectendus sit in purgatorio. Præterea ad valorem & effectum indulgentiæ plura concurrere debent, non modo ex parte Pontificis eam concedentis, verum etiam ex parte lucrantis: adeò, ut possit coram DEO desiderata destitui remissione, etsi ad oculum & coram hominibus visus sit cuncta præstitisse, quæ ad lucrum indulgentiæ erant præscripta. Quo in casu plurimum prodest & succurrit privilegium Sabbatinum, cujus valor & effectus, melius feliciusque in uno aut altero erit supervacaneus, quàm in alijs innumeris, qui sine plenaria decedunt, deficiens aut desiderandus.

Satisfit cuidam objectioni, & demonstratur privilegij Sabb. utilitas.

Animadvertendum quoque hic est Lectori, plenariam indulgentiam ac Sabbatinum Privilegium multum inter se discrepare: illa enim in hoc consistit, quod omnem temporalem pro peccatis debitam pœnam remittat, sicque à purgatorio immunem reddat, solven-

do ex communi Ecclesiæ Thesauro : hoc verò laborantes in pu-
cularibus flammis Confratres solatur, ac liberat (modo suprà jam ex-
posito) suffragijs atque intercessionibus sanctiss. Virginis. Hinc
detur nuncupandum potius *Sabbatinum Privilegium*, quàm *Sabbatina*
Indulgentiam.

247. OBSERVANDUM *quintò* circa indulgentiam plenariam con-
cessam Confratribus nostris, qui processioni, fieri solitæ in una Do-
nica cujuslibet mensis, interfuerint, quod PAULUS V. in prima
Constitutione, cujus initium, *Cum certas &c.* non concesserit, ni
indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum : sed po-
stea ad augendum magis B. MARIÆ Virginis de monte CARMEL
cultum, in secunda Constitutione incipiente, *Piorum hominum* &c. d
ctam indulgentiam ampliaverit, & plenariam concesserit. At quia
secunda Constitutio loquebatur tantum de Confraternitatibus inst
tis, & dubitare quis poterat, an etiam deberet, aut posset intelligi
instituendis, ideo idem Pontifex ad supplicationem supradicti R.
Theodori Stratij, dum fungeretur officio Generalis Procuratoris O
dinis in tertia Constitutione, *Alias volentes* &c. ad tollendum omn
scrupulum, dictam indulgentiam plenariam ad Confraternitates er
gendas pro sua benignitate extendit.

AT quia Confraternitas Parthenij nostri SCAPULARIS,
præter ordinariam processionem, quam in una ex Dominicis cujus-
libet mensis facere solet, aliam magis solemnem habet *in festo Com-*
memorationis B. MARIÆ Virginis die 16. Julij, vel Dominicâ im-
mediatè sequenti, cum magno Fidelium concursu, advertendum est
PAULUM V. huic tam solemni processioni interessentibus nullam
concessisse indulgentiam : imò nec de illa ullam fecisse mentionem.
Quare admonendi sunt Confratres, inquit præfatus Stratius, ut pro-
cessionem ordinariam non faciant in dicto mense Julij, in determina-
ta Dominica, in qua illam facere solent alijs mensibus, sed reserva-
faciendam in die Commemorationis, vel in Dominica immediatè se-
quenti, quo sic, confessi & sacrâ Communione refecti, processione
devotè comitantes, indulgentiam plenariam assequi possint. Q
absque hac processione possunt Confratr. illo die, præstando qua
pra diximus, plen. consequi indulgentiam.

Quamdiu censendum sit durare

QUÆRET fortè hîc aliquis, quamdiu duret tempus proces-
nis, cujus assistentiæ alligata est plenaria indulgentia? RESPON-
dur

Durare ab inchoato cantu ad procedendum, usque ad eundem absolutum: ita ut toto illo tempore possint Confratres procedere, seu processum inchoare. Quòd si tanta sit multitudo populi, ut nequeant absolvere suum progressum, unà cum cantu Sacerdotum, sufficit, quod absolvant eà proportione, qua patet spatium, etiamsi cantus jam à longo tempore sit finitus; dummodò ante ejusdem finem procedere inceperint, quantum licuit: si verò multitudo populi impediat, quin procedere incipias ante finitum cantum, sufficiet animus ad procedendum paratus, statim atque patebit aditus. Procedere autem oportet modestè, DEUM, DEIPARAMq; orando, *&c.* non confabulando, non cursu præcipiti, aut nimiùm lento, ut curiosiùs lustrentur loca, per quæ fit processio: pium tamen est servare stationes aliquas, vel genuflectere & orare coram sacris imaginibus, si quæ sint in ijs locis, dummodò breviter & solius devotionis causâ id fiat: dixi *pium esse servare stationes*, nam id non est absolutè necessarium, sive pro Cantoribus, sive pro populo. Nihil pariter refert, quòd aliqui Crucem præcedant propter angustias loci, aut propter consuetudinem, tamen ex natura rei Crux & Cantores debent præcedere. In processione cantari solent Litaniæ in honorem B. MARIÆ Virginis, aut Hymni, *&c.* Populus verò potest privatim easdem preces, aut alias pro devotione recitare. Ita Irenæus *loc. cit.* qui etiã putat non lucrari indulgentiam, qui solùm orat in Ecclesia, nec cum alijs procedit: quia ex communi loquendi modo, is non censetur interesse processioni.

tempus processionis, cujus assistentiæ conceditur indulg. plenaria?

Quis modus in procedendo ſit obſervandus?

Observandum *sextò*, circa sextam indulgentiam quadraginta dierum, concessam recitantibus quâlibet die septies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ad honorem septem gaudiorum Beatiss. Virginis: quòd cùm illa simpliciter & indefinitè, absque ulla temporis limitatione concessa fuerit, cùmq; non sit plenaria, & præterea nullum sit inconveniens, quod pluries eâdem die obtineatur, toties Confratres nostri in una eademq; die illam lucrari poterunt, quoties devotè in honorem septem gaudiorum Beatiss. Virginis septies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitaverint. Et idem dicendum de alijs indulgentijs nostri Compendij, dierum, quadragenarum, & annorum: quod scilicet possint eas Confratres nostri, si in gratia extiterint, pluries uno eodemq; die assequi, si pluries opera pia pro eis injuncta, repetierint.

248.

Potest quis pluries in die recitando 7. *Pater* & *Ave.* Indulg. 40. dierum lucrari: & idem dicendum de alijs similibus indulg.

Et confirmari possunt supradicta. Non pauci Doctores existimant, quòd si Pontifex concedat indulgentias stationum visitanti tali die talem Ecclesiam, posse Fideles pluries repetendo eodem die visitationem ejusdem Ecclesiæ, debita cum devotione, pluries stationum indulgentias obtinere.

249. Observandum *septimò*, quòd cùm Pontifex indulgentiam quadraginta dierum, concessam Confratribus septies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam debita cum devotione recitantibus, non limitaverit ad certas & determinatas personas: puta ad illas, quæ nesciunt Officium recitare; sed illam indefinitè Confratribus concesserit: sine dubio dicendum erit Confratres, qui recitando Officium Beatiss. Virginis indulgentiam centum dierum ex concessione ejusdem Pontificis lucrantur, posse etiam consequi indulgentiam quadraginta dierum, recitando septies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam.

Circa octavam indulgentiam advertendum est, quòd pro illa consequenda necessarium sit, ut in Ecclesia vel Capella Confraternitatis SS. Eucharistiam sumant: neque sufficeret, si peractâ alibi sacrâ Synaxi, Ecclesia Confraternitatis duntaxat visitaretur. Secùs verò videtur quoad Confessionem, adeò ut possint alibi confiteri, dummodò ad Ecclesiam, vel Capellam Confraternitatis accedant communicaturi. Dixi *Ecclesiam aut Capellam*, non autem altare, nam Pontifex id non præcipit. Quapropter si plura sint altaria in ea Capella, seu Ecclesia, poterunt Confratres illud pro arbitrio eligere, in quo communicent. Nec dicas Pontificem loqui de Confessione æquè ac de Communione, nam *Respond.* quòd, cùm sit onus quoddam, extendi non debeat ad ulteriores terminos, sed proximos solùm, id est, ad Communionem, non ad Confessionem.

250. Pœnitentiæ injungi solitæ pro peccatis sunt in duplici differentia.

Observandum *nonò* pro intelligentia hujus clausulæ, *de injunctis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus*, positæ in fine omnium indulgentiarum, dierum & annorum, quòd pœnitentiæ injunctæ pro peccatis esse possunt in duplici genere. Unum est earum, quæ in Sacramento Pœnitentiæ à Confessoribus imponi solent. Alterum est illarum, quæ olim pro variis criminibus publicè injungi solebant, ut constat ex Canonibus Pœnitentialibus, qui in Jure Canonico referuntur. Licet autem Pontifex ex communi Theo-

ni Theologorum sententia per indulgentias relaxare possit pœnitentias à Confessarijs injunctas; nihilominus meo judicio PAULUS V. loquitur hîc tantùm de Pœnitentijs secundi generis, quia expressè loquitur de Pœnitentijs dierum, & annorum injunctis, vel debitis in forma Ecclesiæ consueta: istæ enim non sunt pœnitentiæ à Confessario injunctæ, sed quæ olim pro varijs criminibus publicè imponebantur. Quare Pontifex concedendo Confratribus nostris indulgentiam quadraginta dierum, unius anni, *&c.* illis relaxavit tantam pœnam, quantam in foro DEI eisdem relaxaretur, si adimplerent pœnitentiam, quam spatio quadraginta dierum, vel unius anni agere deberent, si illis pro peccatis commissis secundùm usum antiquum injungeretur, quæ pœna licet nobis ignota sit; tamen in foro DEI est nota.

Quomodo intelligendum sit per indulgentias relaxari pœnitentias à Confessario injunctas &c.

Quoniam autem diximus, posse Pontificem per indulgentiam relaxare etiam pœnitentias à Confessore injunctas, advertendum est, id esse intelligendum de injunctis tantùm ad satisfaciendum, non de injunctis ad præservandum & medendum pro futuro; licet enim indulgentia possit compensare effectum pœnitentiæ Sacramentalis, ut satisfactoria est, relaxando, per applicationem satisfactionum ex Thesauro Ecclesiæ, tantam pœnam purgatorij, quantam relaxaret pœnitentia Sacramentalis, si adimpleretur, non tamen potest supplere effectum ejusdem pœnitentiæ, ut præservativa, & medicinalis est; quia effectus indulgentiæ ut sic, non est præservare & mederi pro futuro, sed tantùm relaxare pœnam pro præteritis.

Quid sit à Confessario animadvertendum in injungendis pœnitentijs &

Non est autem pœnitentia præservativa, & medicinalis ita accipienda, quasi quod quomodolibet sit medicina & præservans, teneatur pœnitens, etiamsi indulgentiam consequatur, illam adimplere: sic enim semper quamlibet pœnitentiam Sacramentalem implere teneretur, & nullam posset Pontifex relaxare contra communem Theologorum sententiam: tum, quia secundùm Concil. Tridentinum Confessarius in injungenda pœnitentia semper præ oculis habere debet, ut illa sit ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum: tum, quia nulla pœnitentia seu satisfactio est, quæ aliquomodo non præservet in futurum, quatenus reddit difficiliùs iterùm peccare; ne cogatur homo iterùm acceptare & adimplere satisfactionem: per pœnitentiam igitur præservativam & medicinalem illam debemus intellige-

telligere, quæ speciali aliquo titulo est præservativa; ut si exempli causa, Petro, cui fuit occasio sæpè peccandi ingredi talem domum, injungat Confessarius, ne deinceps illam ingrediatur.

251. Utrum Confratrũ nomina debeant describi in lib Sodal. ut dictas lucrentur indulgentias?

RELIQUÆ difficultatem vix patiuntur, præter communem illam superioribus omnibus, utrum videlicet debeant Confratrum nomina in libro describi, ut indulgentias possint lucrari? R. P. Theodorus Stratius existimat debere describi, eo quod PAULUS V. in Bulla *Cum certas* dicat, *descriptis* vel *describendis*. Nihilominus opposita tam probabiliorem reputat Irenæus à S. Jacobo suprà citatus: nec enim PAULI V. ea non fuit, ut formam præscriberet recipiendi Confratres per descriptionem &c. sed quia frequenter solent describi, *receptos* appellavit *descriptos*: sic dicuntur *Beati* Sanctorum albo adscripti, esto nulla ad id scriptura interveniat.

Utrum ipsi Religiosi Ord. frui possint indulgentijs Confratr. concessis?

Idem Reverendiss. P. Stratius censet Fratres Ordinis Professi lucrari non posse indulgentias Confratribus concessas, nisi ipsi Confratrum libro sint adscripti.

Ratio ejus est. Quod licet CLEMENS VII. in Bulla, Pastoralis *menti*. omnes Confraternitatum indulgentias Fratribus communicaverit: attamen PAULUS V. eas omnes revocavit, novasque concessit Regularibus universim cujuslibet Ordinis, ab ijs distinctas quas singulis Confraternitatibus assignavit. Ut ut sit, inde deferendis conditionis nequaquam erunt dicendi nostri Ordinis Professi, cum easdem fermè, ac plures alias, majorique in numero quàm Confratres à PAULO V. obtinuerint. Cæterum licet de indulgentijs PAULI V. id senserit Stratius, nemo tamen unquam id affirmavit de primo & secundo sacri SCAPULARIS effectu, seu beneficio, in prima ac secunda hujus Operis Parte jam expositis, cum directè & primariò Parthenium SCAPULARE datum fuerit Fratribus Ordinis, cæteris verò tantum secundariò.

CAPU

CAPUT VII.

Recensentur Indulgentiæ locales à diversis Romanis Pontificibus concessæ, visitantibus Ecclesias Ordinis Carmelitarum.

DISSERUIMUS hactenus de Indulgentijs personalibus concessis Confratribus nostris Sodalitatis Mariani SCAPULARIS, supereſt modo, ut nonnulla dicamus de indulgentijs localibus, quas diversi summi Pontifices omnibus Christi Fidelibus Ecclesias nostras visitantibus elargiti sunt, quasque refert, approbat & confirmat GREGORIUS XIII. in Bulla, *Vt laudes* die 13. Septembris an. 1577. quarum Summariũ tenoris est sequentis. 252.

Referuntur festa, quibus Christi Fideles visitando Ecclesias Carmelitarum varias indulgentias lucrari queunt.

LEO Papa IV. omnibus Christi Fidelibus, qui Ecclesias B. MARIÆ de monte CARMELO hujusmodi in festis, Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Pentecostes, Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis DEI Genitricis MARIÆ, S. Michaëlis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis S. Crucis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Martyrum Fabiani & Sebastiani, & in die Parasceves, & per octavas prædictarum festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis, devotè visitaverint, septem annos & totidem quadragenas.

2. ADRIANUS II. STEPHANUS V. SERGIUS III. JOANNES X. JOANNES XI. SERGIUS IV. & INNOCENTIUS IV. omnibus Christi Fidelibus, verè pœnitentibus, contritis & confessis, qui prædictas Ecclesias piè visitaverint in prædictis Festivitatibus, & earum Octavis, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.

3. CLEMENS III. ALEXANDER II. GREGORIUS V. & VII. in prædictis festis, & in quolibet eorundem similem gratiam largiti sunt.

4. CLEMENS IV. ijsdem Christi Fidelibus, qui prædictas Ecclesias quater in anno visitaverint, videlicet in quatuor Festivitatibus

ejusdem DEI Genitricis MARIÆ, trig in a annos, & toti lem. quadragenas piè concessit.

5. INNOCENTIUS IV. & GREGORIUS VIII. concess runt qualibet die, cuilibet dicenti *Pater noster*, & *Ave Maria* in dictis l ecclesijs semel pro vivis & defunctis, quadraginta dies indulgentiarum

6. HONORIUS III. & NICOLAUS IV. verè pœnitentib omnium suorum peccatorum veniam pollitici sunt.

7. HONORIUS IV. omnibus verè pœnitentibus & confess dicti Ordinis Ecclesias visitantibus, quadraginta annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentijs; videlicet in festo vocabu lorum ipsarum Ecclesiarum, & in die sancto Paraseeves, nec non die S. Crucis, ac in Festivitatibus Nativitatis, Annuntiationis, Pu rificationis & Assumptionis DEI Genitricis MARIÆ misericordi in Domino relaxavit, & concessit.

8. BENEDICTUS XI. omnibus verè pœnitentibus & confes sis, qui ter in hebdomada, videlicet Quadragesimali tempore, secund quarta & sexta ferijs, atq; etiam in festis vocabulorum Ecclesiarum dicti Ordinis, nec non in diebus Sabbatinis ob B. DEI Genitric reverentiam, & in diebus Dominicis eadem Ecclesias pié visitaverint, quadraginta annos & totidem quadragenas, & omnium peccatorum septimæ partis remissionem in Domino relaxavit: omnesq; indulgentias, & peccatorum remissiones à suis Prædecessoribus Romanis Pontificibus dicto Ordini concessas, in diebus & festis prædictis duplicando.

253. 9. JOANNES XXII. omnes indulgentias & peccatorum re missiones à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis dicto Ordini concessas, confirmavit, ac quadraginta annos, & totidem quadra genas, de injunctis pœnitentijs universis Christi Fidelibus, dicti Or dinis Ecclesias in qualibet solemnitate quatuor Festivitatum B. DEI Genitricis MARIÆ, videlicet Nativitatis, Annuntiationis, Pu rificationis & Assumptionis visitantibus, contritis & confessis, in Do mino pie concessit.

Quas indulgentias consequantur Fideles appellan-

10. URBANUS VI. perpetuò concessit his, qui Ordinem Carmelitarum, & Fratres ejusdem Ordinis, *Ordinem seu Fratres O nis gloriosissimæ DEI Genitricis, semperq; Virginis MARIÆ de monte Carm* vocaverint, nominaverint & appellaverint, si in gratia extiterint tres annos & totidem quadragenas indulgentiarum. 11. Si

11. NICOLAUS V. omnes indulgentias & peccatorum remissiones, ac omnia Privilegia dicto Ordini concessa à supradictis Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis, in præfatis diebus, & festis, motu proprio duplicando confirmavit, atq; annos septem, & totidem quadragenas in Domino relaxavit. testes Carmelitas, Fratres B. MARIÆ semper Virginis!

12. SIXTUS IV. omnes indulgentias Ordini prædicto, illius domibus, Ecclesijs, ac personis utriusq; sexus in genere, vel in specie quomodolibet concessas, in suo robore, in suaq; firmitate confirmavit, approbavit, & de novo concessit; & in Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis & Assumptionis B. DEI Genitricis MARIÆ Festivitatibus, & per septem dies sequentes, & in diebus vocabulorum Ecclesiarum, visitantibus Ecclesias, triginta annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxavit.

13. Tandem CLEMENS VII. visitantibus prædictas Ecclesias, indulgentias stationum Ecclesiarum almæ Urbis, tam intus quàm foris, temporibus quibus eædem indictæ sunt, indulsit & concessit. Quas etiam PIUS V. approbavit, & confirmavit.

Supradictus verò GREGORIUS XIII. voluit & decrevit, ut exemplis supradictarum indulgentiarum, etiam impressis, manu publici Notarij subscriptis, ac dicti Ordinis Generalis Magistri, vel Ordinis Sigillo obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ Originali ipsi adhiberetur. Et summus Pontifex PAULUS V. permisit, post supradictam indulgentiarum revocationem, ut omnes modo dictæ indulgentiæ possint publicari: uti testatur præter alios P. Cyprianus à S. MARIA in suo *Thesauro Carmelit.* 1. *part. cap.* 22.

CAPUT VIII.

Methodus traditur, ac conditiones proponuntur in prædictarum Indulgentiarum lucro necessariò observandæ.

VT tradamus modum, quo Fideles suprà memoratas indulgentias assequi valeant, diligenter animadvertendum est, quòd aliquæ ex illis, ut videre est in Bulla SIXTI IV. *Dum attentâ meditatione pensamus.* sub dat. Romæ anno 1477. 254.

1477. Kalend. Aprilis, in qua *motu proprio*, & *ex certa scientia* confirmat indulgentias à suis Prædecessoribus nostro Ordini, & illius Domibus, Ecclesijs, & personis quomodolibet concessas, ac innovat, ut habetur etiam in relato *Summario*, quæ concessæ fuerunt à diversis summis Pontificibus, cum clausula (ut tunc moris erat) porrigentibus *manus adjutrices, & elargiendæ eleemosynas nostris Fratribus, Monialibus, Ecclesijs, & Domibus.* Attamen quia PIUS V. in Constitutione, *Etsi Dominici gregis.* 6. Idus Febr. 1567. revocaverat omnes indulgentias, quibusvis ante concessas cum dicta clausula, GREGORIUS XIII. in supracitata Bulla, *Vt laudes*, in speciali indulgentias concessas porrigentibus manus adjutrices nostris Fratribus, Monialibusque, & nostris Ecclesijs in pristinum, & in eum, in quo erant ante dictam revocationem, statum restituit, & revalidavit, demptâ clausulâ *porrigentes eleemosynas*, quas in alia opera pia commutavit.

255. Quænam in visitatione nostrarum Ecclesiarum facienda sint, ut supra recensitæ obtineantur indulgentiæ?

His positis dico: quòd Fideles, ut colligi potest ex citata Bulla, *Vt laudes* quo valeant lucrari indulgentias, de quibus in præcedenti *Summario*, debent *primò* visitando aliquam nostram Ecclesiam esse contriti, & confessi. *secundò*, vel septies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, vel Vesperas pro Defunctis recitare, ut ante sanctiss. D. N. Corpus terram osculari: aut, si fuerint Confratres, habitum nostri Ordinis gestare. *Tertiò*, debent pias ad DEUM effundere preces pro hæresum extirpatione, sanctæ Matris Ecclesiæ tranquillitate, & Principum Christianorum pace & unione. *Quartò*, omnia alia peragere, si quæ in litteris Pontificum, qui illas concesserunt præscripta reperiantur. Et profectò si recurramus ad citatam Bullam, *Dum attentâ meditatione. Sixti* IV. ex qua desumptæ fuerunt omnes indulgentiæ, quas refert & confirmat GREGORIUS XIII. concessas ab ipso SIXTO IV. & à Pontificibus ejus prædecessoribus, inveniemus in illis nullum aliud pium opus injunctum, quàm contritos, pœnitentes, & confessos nostras Ecclesias visitare, vel nostri aut nostris Ecclesijs manus adjutrices porrigere, quas GREGORIUS XIII. in supràdicta opera pia commutavit.

Quid in lucro harum indulgentiarum præstandum.

Cùm autem inter alia opera pia, in quæ GREGORIUS XIII. *manus adjutrices* commutavit, sit delatio nostri SCAPULARIS; propterea existimandum est, id revocasse PAULUM V. quando revocavit indulgentias Confratribus Scapularis à suis Prædecessoribus con-

concessas, modò namque non loquimur de Indulgentijs personalibus nostris Confratribus concessis, sed de localibus, quas consequi possunt omnes Christi Fideles visitando nostras Ecclesias, si fecerint illa opera pia (quorum unum est delatio nostri Scapularis) in quæ GREGORIUS XIII. *manus adjutrices* commutavit: & propterea Confratres nostri, si cum habitu, seu sacro SCAPULARI aliquam nostrã Ecclesiam visitaverint, quamvis non septies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, nec Vesperas Defunctorum recitaverint, nec ante sanctissimum D. N. Corpus terram deosculati fuerint, modò contriti & confessi, pro hæresum extirpatione, & Christianorum Principum pace, ac sanctæ Matris Ecclesiæ tranquillitate pias ad DEUM preces effuderint, præfatas Indulgentias consequi poterunt. Ita Reverendiss. *Theodorus Stratius.*

sit illis, qui sac. gerunt Scapulare?

CAPUT IX.

Declarantur indulgentiæ Stationum, quas consequi possunt omnes Christi Fideles, visitando Ecclesias Ordinis Carmelitar. & modus in hac visitatione usurpandus.

CUM CLEMENS VII. in suprà citata Bulla indulgentias Stationum Ecclesiarum Urbis, tam intùs, quàm foris, concessisset, primo Confratribus nostri sacri SCAPULARIS, cum obligatione visitandi unam, duas, vel plures Ecclesias; unum, duo, vel plura altaria, easdem indulgentias posteà concessit omnibus utriusq; sexus Fidelibus, non cum obligatione visitandi aliquam Ecclesiam, sed *porrigendi manus adjutrices* nostris domibus & Fratribus, per hæc verba: *Insuper etiam omnibus utriusq; sexus Christi Fidelibus, qui pro Monasteriorum & Domorum reparatione, ac Fratrum hujusmodi sustentatione, manus porrexerint adjutrices supradictas indulgentias consequi possint, & consequantur.* Quare stante hac concessione, utique Confratres nostri pro lucrandis indulgentijs Stationum tenebantur unam, duas, vel plures Ecclesias, unum, duo, vel plura altaria visitare: nihilominus Fideles pro consequendis ijsdem indulgentijs ad nullam Ecclesiæ, vel altaris visitationem, sed tantum ad porrigendas

256. Quid faciendum sit Confratribus, ac Christi Fidelibus, ut visitando nostras Ecclesias consequãtur indulgentias Stationum Romanarum?

gendas manus adjutrices nostris locis & Fratribus adstricti erant. Cæterum cum GREGORIUS XIII. in Bulla, *Vt laudes*, confirmans indulgentias Stationum à CLEMENTE VII. nedum Confratribus verum etiam alijs concessas, &, ut pluries diximus, commutans *manus adjutrices* in alia pia opera, imposuitq;, ut Fideles contriti & confessi visitarent aliquam nostri Ordinis Ecclesiam, in eaque nonnullas funderent preces, qui modo consequi volunt indulgentias Stationum obligati sunt, contriti ac confessi aliquam nostri Ordinis Ecclesiam visitare, in eaque certas ad DEUM preces fundere.

257. Quis modus in Ecclesiarum visitatione observandus ex mente SIXTI V.?

Quo autem Fideles melius noscant, quanta cum devotione debeant nostras, & aliorum Regularium Ecclesias, in diebus Stationum visitare: juvat hic referre piam admonitionem, quàm SIXTUS V. paterno sanè affectu, Romanas Ecclesias stationales visitantibus, facit in Constitutione, *Egregia populi Romani.* idibus Febr. 1586. per hæc verba: *Illud quoq; vehementiùs admonemus, ut omnes & singuli stationales Ecclesias cum omni timore & tremore, ut verè pœnitentes, castè & piè adeant, nemini dantes ullam offensionem, ne illis in locis, ijsq; diebus, quibus dominorum temporum culpæ pijs operibus, & castis jejunijs redimendæ sunt, inter ipsa sanctorum sepulchra DEVS ad iracundiam magis provocetur, sed contra peccata totius Civitatis pœnitentia, eleemosynis, Sanctorumq; intercessionibus placatus misericordiarum DEVS, nobis, & cunctis populis curæ nostræ commendatis, (omnes enim unum sunt in Christo) propitiùs & placabilis efficiatur; ut eorum fides Apostolico ore laudata est, & in universo mundo annuntiata, eorum etiam modestia & disciplina ad pietatis & sanctitatis exemplum omnibus Nationibus proponatur.* Et cum tali quoq; modestia, pietate & sanctitate Fideles extra Vrbem, nostras & aliorum Regularium Ecclesias, in quibus indulgentiæ Stationum concessæ sunt visitare convenit. Quamvis enim indulgentiæ Stationum, quatenus concessæ erant Confratribus nostris, comprehendantur in generali revocatione indulgentiarum eorundem Confratrum facta à PAULO V. in alias citata Bulla, *Onerosas*, remanent tamen in suo robore, quatenus concessæ fuerunt Christi Fidelibus, mutatis manibus adjutricibus in visitationem ecclesiæ cujus nostræ Ecclesiæ, & in alia quædam pia opera: siquidem PAULUS V. in dicta Bulla revocavit solum indulgentias à suis Prædecessoribus nostris Confratribus, non autem omnibus Christi Fidelibus concessas, uti supra dictum est.

Paulus V. non revocavit indulgentias omnibus Christi Fidelibus concessas.

Nec ex eo, quod PAULUS V. revocavit indulgentias Stationum, quas primo loco concesserat CLEMENS Confratribus nostris, censendum est, eum illas revocasse, ut concessas secundo loco ab eodem Pontifice Christi Fidelibus, quia licet CLEMENS VII. prius stationes concesserit Confratribus nostris, quàm Christi Fidelibus, non tamen istis cum dependentia ab illis, sed omnibus tum Confratribus, tum Christi Fidelibus æque immediatè, & sine ulla dependentia unius concessionis ab alia; quare ex revocatione Stationum quoad Confratres, non resultat earum revocatio quoad Christi Fideles.

Hic obiter animadvertimus, corrigendos esse nonnullos libellos typis mandatos, à quibusdam in privilegijs nostræ Religionis parum versatis, in quibus legitur, quod indulgentiæ Stationum Fidelibus nostras Ecclesias visitantibus concessæ fuerint, non solum à CLEMENTE VII. sed etiam â PIO V. & GREGORIO XIII. nam solum concessæ fuerunt à CLEMENTE VII. modo, quo supra, à PIO V. autem & à GREGORIO XIII. approbatæ & confirmatæ fuêre.

258. Nota discrimen inter indulgentias Ecclesiarum Urbis & indulgentias stationum &c.

UNUM verò est hic diligenter observandum; aliud scilicet esse privilegium lucrandi indulgentias pro stationibus concessas visitantibus Ecclesias Urbis, intus & extra muros in diebus stationum; & aliud esse privilegium lucrandi indulgentias Ecclesiarum Vrbis intus & extra, quas consequuntur Fideles ipsas Ecclesias visitando in diebus stationum, id est, in quibus indictæ sunt stationes; longè enim majus est privilegium lucrandi indulgentias Ecclesiarum Vrbis; quam privilegium lucrandi indulgentias stationum, seu pro stationibus concessas; non solum quia sunt multæ Ecclesiæ intus & extra Vrbem, quæ non sunt deputatæ pro stationibus, & tamen illas visitantibus multæ & magnæ indulgentiæ concessæ sunt: sed etiam, quia in ipsismet Ecclesijs deputatis pro stationibus extra dies stationum sunt multæ indulgentiæ illas visitantibus concessæ: & in particulari Fidelibus visitantibus Ecclesiam Lateranensem, quæ est omnium prima, sanctus SILVESTER ad instantiam *Constantini* Imperatoris concessit, si sine peccato extiterint, remissionem omnium peccatorum, quocunque anni tempore, quod perindè est, ac quotidiè; quàm indulgentiam confirmavit postea S. GREGORIUS. In quadam enim magna tabula pendente ex columna secunda à latere dextro navis dictæ Basilicæ leguntur hæc verba: [*CONSTANTINS Imperator postquam mundatus*

datus fuit à lepra per sacri Baptismatis susceptionem, dixit beato SILVESTRO: Sancte Pater domum meam in Ecclesiam ordinavi, infunde in eam tuam largam benedictionem venientibus ad eam. *Et dixit ad eum beatus* SILVESTER: Dominus meus Christus, qui te mundavit à lepra, purificavit te fonte Baptismi, per suam misericordiam mundet purificet omnes huc venientes sine peccato mortali, & authoritate Apostolorum PETRI & PAULI, atq; nostra sit eis remissio omnium peccatorum quocunq; tempore anni. *Item S.* GREGORIUS, *qui hanc Ecclesiam consecravit post destructionem ejusdem factam per hæreticos, confirmavit indulgentiam positam per B.* SILVESTRUM *Papam antedictum.*]

ADDO, & id magis facit ad intentum nostrum, quòd in Ecclesijs pro Stationibus deputatis, in ipsismet diebus Stationum sunt quæ Indulgentiæ, quæ nequaquam sunt Stationum, seu pro Stationibus concessæ: nam indulgentia plenaria Ecclesiæ Lateranensis, qua suprà, non potest dici concessa pro Stationibus; tum quia concessa visitantibus Basilicam Lateranensem quocunq; tempore, qualibet die; indulgentiæ autem pro Stationibus concessæ, restrictæ sunt ad quosdam certos & determinatos dies; tum quia dictam Indulgentiam concesserat B. SILVESTER antequam concessæ essent aliquæ indulgentiæ pro Stationibus. Quamvis enim SIXTUS V. in dicta Constitutione, *Egregia populi Romani*, &c. testetur, *veterem esse & Apostolicis usq; temporibus sacrarum Stationum consuetudinem, in quibus Fidelium multitudo ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum Martyrum memoriam ac conveniens, hymnis & canticis spiritualibus DEUM in SANCTIS suis laudabat & salutaribus immaculatæ hostiæ sacrificijs placabat, & adversus nequissimi antiqui hostis impugnationes, tanquam in castris DEI statione tutissimâ asserebat*, S. GREGORIUS tamen primus fuit, qui Stationes ordinavit, determinando illarum dies, & Ecclesias, & in quolibet die septem annos Indulgentiæ concessit.

Quis Pontifex primùm stationes ordinaverit, & indulgent. pro illis concesserit?

259. VIDENDUM modò est, an Fideles visitando, servatis servandis, aliquam nostram Ecclesiam in diebus Stationum, lucrentur tùm Indulgentias Stationum, seu pro Stationibus concessas? an Indulgentias Ecclesiarum, in quibus indictæ sunt Stationes? Et profectò, si attendamus *Summarium*, de quo suprà, desumptum ex Bulla GREGORII XIII. *Ut laudes.* videtur dicendum, quòd lucrentur tùm Indulgentias Stationum, seu pro Stationibus concessas:

Fideles visitando, servatis servandis aliquam nostram Ecclesiam

men attendamus Bullam originariã concessionis CLEMENTIS VII. dicendum est, quòd consequantur Indulgentias Ecclesiarum, & cæt. Concessio enim dicti Pontificis facta fuit per hæc verba: *Quodq; singulis Quadragesimalibus, & alijs cujuslibet anni temporibus, & diebus Stationum Basilicarum & Ecclesiarum almæ Vrbis Romæ, & extra illius muros, unam vel duas Ecclesias, aut unum, du, vel plura altaria in partibus illis, ubi eos, seu eorum aliquem residere, seu quò declinare contigerit: quas vel quæ ipsi, vel quilibet eorum duxerint eligendas, vel eligenda, devotè visitando, tot & singulas, ac similes Indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si singulis diebus, easdem singulas dictæ Vrbis, & extra eam, Ecclesias pro Stationibus hujusmodi deputatas personaliter visitarent.* Quibus verbis apertè Pontifex Confratribus nostris visitantibus in diebus Stationum aliquam Ecclesiam, non concessit Indulgentias Stationum, seu pro Stationibus indultas, sed Indulgentias Ecclesiarum Urbis intùs & extra, quas consequerentur, si dictas Ecclesias in diebus Stationum visitarent personaliter. Quare cùm debeamus *Summarium* cum suo Originali concordare, vel dicendum est, quòd concedere Indulgentias Ecclesiarum Urbis in diebus Stationum, idem sit ac concedere Indulgentias Stationum, seu pro Stationibus concessas, visitantibus Ecclesias Urbis in diebus Stationum: quæ expositio videtur aliquantulùm violenta, cùm certum sit ex supradictis, aliud esse lucrari Indulgentias Stationum Ecclesiarum Urbis, & aliud lucrari Indulgentias Ecclesiarum in diebus Stationum. Est etiam minùs consona Bullæ originali, in qua Pontifex expressè concessit Indulgentias non Stationum, sed Ecclesiarum Urbis in diebus Stationum, quam concessionem dicta expositio non parum restringit, coarctando illam ad Indulgentias Stationum Ecclesiarum Urbis intùs & extra, in diebus Stationum; vel dicendum, idem esse concedere Indulgentias Stationum Ecclesiarum Vrbis intùs & extra in diebus Stationum, ac concedere Indulgentias Ecclesiarum, quæ pro Stationibus sunt deputatæ, in diebus, in quibus Stationes sunt indictæ: ita ut coincidant, concedere Indulgentias Stationum Ecclesiarum Urbis, ac concedere Indulgentias Ecclesiarum, quæ pro Stationibus sunt deputatæ: & hanc expositionem censeo nos debere amplecti, quia conformis est Bullæ originali CLEMENTIS VII. & non lædit, nec in aliquo restringit dicti Pontificis concessionem, quam certum est GRE-

consequuntur non tantum indulg. station. verũ etiam Ecclesiarum Urbis &c.

GORIUM XIII. in sua Bulla, *Vt laudes*. noluisse in ullo lædere, vel restringere, sed solùm confirmare, illiq; Apostolicæ confirmationis robur adijcere.

Cùm igitur in eadem Bulla CLEMENS VII. indulgentias Ecclesiarum Urbis, in diebus Stationum Confratribus nostris concessas extenderit ad omnes Fideles, cum conditione porrigendi manus adjutrices, quas GREGORIUS XIII. commutavit in visitationem nostrarum Ecclesiarum, & in alia opera pia, concludendum est, quòd Fideles visitando, servatis servandis, aliquam nostram Ecclesiam in diebus Stationum, lucrari possint tot & singulas, ac similes Indulgentias, & peccatorum remissiones Ecclesiarum Urbis, intùs & extra, quas consequerentur, si singulis diebus Stationum ipsasmet Ecclesias pro Stationibus deputatas personaliter visitarent. Dicuntur autem istæ indulgentiæ, indulgentiæ Stationum, non quia fuerunt concessæ solùm pro Stationibus, sed quia non possunt obtineri, nisi in diebus Stationum, & à visitantibus Ecclesias Urbis pro Stationibus deputatas.

260. Utrum sub concessione indulgent. stationum etiam comprehendantur plenariæ? Opinio affirmans.

QUONIAM autem inter indulgentias, quas consequi possunt Fideles personaliter visitando, in diebus Stationum, Ecclesias Urbis, intùs & extra, pro Stationibus deputatas, aliquæ sunt partiales, decorum, quadragenarum, & annorum: & aliæ totales & plenariæ, tum pro vivis, tum pro defunctis, certum est, quòd Fideles nostras Ecclesias, servatis servandis, visitantes, lucrari possint indulgentias partiales, an autem possint etiam totales & plenarias, non est ita certum.

Complures affirmativam tuentur sententiam, quia CLEMENS VII. suam concessionem non limitavit ad Indulgentias partiales, sed universaliter elargitus est, omnes & *singulas, ac similes Indulgentias, quas consequerentur, si personaliter dictæ Vrbis Ecclesias &c. visitarent*. Cùm autem simus in dispositione favorabili animæ, quæ nemini ullum infert præjudicium, ampliandæ est ad omnes indulgentias, ad quas verba secundùm propriam significationem extendi possunt. Constat autem ea extendi posse ad omnes Indulgentias non solùm partiales sed & totales. Et hæc sententia videtur communiter acceptata, & praxi posita. Nam in Tabellis, quæ publicè exponuntur pro indulgentijs Stationum in Ecclesijs, nedum Ordinis nostri, sed aliorum etiam Ordinum, descriptæ quoque leguntur indulgentiæ totales, seu plenariæ, tum pro vivis, tum pro defunctis. Nota-

Nonnulli nihilominus negant posse Fideles visitando nostras, vel aliorum Ordinum Ecclesias, obtinere indulgentias Ecclesiarum Urbis plenarias; ducti, quia in concessione generali à Principe facta, non veniunt ea, quæ Princeps, si in specie fuisset interrogatus, non concessisset. Dicunt autem non esse credibile, quod Pontifex, quando generaliter concessit Fidelibus indulgentias Ecclesiarum Urbis, si in specie de plenarijs interrogatus fuisset, illas concessisset. Pontifices enim non nisi magna cum difficultate, & raro, etiam Congregationibus pijs, & Religionibus indulgentias plenarias concedunt: dicuntque sic poni in quadam Regula Cancellariæ Apostolicæ, & sic habere etiam stylum Curiæ. Verum præferenda videtur sententia affirmativa, quàm, differendo de indulgentijs stationū, tuentur Villalobos, Trullench, Lopez, & Garnica, quos refert & sequitur Diana *P. 5. Tr. 12. resolut. 2.* Peyrin. *Tom. 2. Privil. ad Constit. 8. Pauli V. §. 11. num. 4.* Rodriq. in *sum. Ital. §. 8. d. 1.* Pellizarius *Tom. 2. Tr. 8. cap. 5. num. 195.* Quintanadueñas *Tr. de sing. ad Sacrament. in Appen. Tr. 6. dub. ult.* & alij recentiores. Et ad rationes oppositæ sententiæ respondetur; exprimenda in specie sufficienter exprimi in generali clausula, quando continentur in generali verborum significatione, restricta ad rem, de qua fit sermo (ut notat Sanchez *lib. 3. de matr. d. 35. num. 4. & 7.*) quod maximè verum est, si consuetudo hanc expressionem admittat, quæ videntur verificari in casu nostro, ut perpenti facile constabit. Prætereà constat de potestate concedentis, & solùm dubitatur de ejus voluntate; cum tamen voluntas concedentis indulgentias, juxta superius dicta latè interpretanda sit. At illud de stylo Curiæ respond. illum fundari in probabilitate oppositæ sententiæ, qui non tollit probabilitatem nostræ sententiæ: præterquam quod stylus Curiæ variat pro varietate Pontificum, sicut docet ipsa experientia, & notat ex Fagundez Pellizarius *loc. supr. cit.* qui hæc subjungit in *fin. illius num.* quæ rationes non minus probant in generali concessione indulgentiarum venire liberationes animarum è purgatorio, quàm probent in ea venire indulgentias, quantumvis plenarias.

Opinio negans.

Præfertur sententia affirmativa.

Sub concessione indulg. Stat. comprehenduntur etiam liberationes animarum è purgatorio.

Quæres, an Fideles nostras Ecclesias visitando lucrari possint indulgentias Terræ sanctæ, & sancti Jacobi in Compostella? **261.**

Respond. Certum videri quod non, inspecta concessione

supradicta CLEMENTIS VII. cum ipse solùm indulgentias Ecclesiarum Urbis indulserit. Ita Reverendissimus Stratius: qui etiam addit sibi non constare tale privilegium concessum fuisse visitantibus Ecclesias aliorum Regularium, quo per communicationem privilegiorum gaudere possint etiam visitantes nostras Ecclesias, nec hactenus devenire potuisse hujusmodi privilegium alicui Religioni concessum esse. Et quia exponere populo indulgentias omninò incertas, res multis expositas periculis, tales nulla ratione exponendæ sunt: licet quoad indulgentias plenarias, & liberationes animarũ Purgatorij, cum non desint graves Theologi, qui censent illas comprehendi in generali concessione indulgentiarum Stationum, ut modo diximus, sine tali periculo & incommodo exponi, & publicari valent, juxta morem, usumq; aliarum Religionum, idem aut simile privilegium habentium.

262. TANDEM advertendum, nonnullos explicando, quibusnam diebus fruentes indulgentijs Stationum lucrari possint indulgentiam pro animabus Purgatorij, affirmare, quod illas assequi possint quilibet quarta Feria anni totius, seu quolibet die Mercurij; quia sic habetur in *summario indulgentiarum stationum Ecclesiarum Vrbis.* Hic tamen est error manifestus. Quia esto concedamus, quod visitantes Ecclesias Urbis Ferijs quartis in quibus indictæ sunt Stationes, possint consequi indulgentiam pro defunctis, in multis tamen Ferijs quartis totius anni nullæ sunt indictæ Stationes, & propterea fruentes indulgentijs Stationum pro diebus Stationũ, nequeunt in illis Ferijs quartis, vi talis privilegij ullam lucrari indulgentiam, nec pro vivis, nec pro defunctis. Ita Reverendiss. Stratius.

CAPUT X.

Recensentur Indulgentiæ, quæ in diebus Stationum Romæ habentur.

CUM constet ex superiori Capite, posse cunctos Christi Fideles, ex indulto CLEMENTIS VII. Indulgentias Stationum Romanarum, visitando, uti dictum est, servatis servandis, Carmelit. Ordinis Ecclesias, adipisci, operæ pretium videtur illas hîc adducere: in quibus enumerandis servabimus tenorem, quo à Ven. P. Thom. à JESU, & Emman. Roderico, aliisq; Authoribus passim referri solent. Advertendum verò, quòd ubi in marg. ✠ appositа reperietur, esse liberationem animæ è purgatorio; ac per priores numeros annos millenarios, per medios centenarios & inferiores, per postremos intelligendos esse dies. 263. *Lib. 2. de Confratr. Cap. 5. §. 2. Tom. 2. quæst. 91.*

	Dies mens.
JANUARIUS.	
In Circumcisione Domini Indulgen. plenariæ ad S. Joannem in Laterano: similiter in Ara Cæli: & 154. mill. ac 983. ann. dies 285.	1.
In die Epiphaniæ Indulg. plenar. ad S. Petrum: similiter ad S. MARIAM Majorem.	6.
In Octava Epiphaniæ Indulg. plenar. ad S. Petrum.	
S. Felicis in Pincis mille anni ad S. Sebastianum.	13.
S. Marcelli Papæ & Mart. remissio omnium peccatorum, & ad S. Sebastianum mille anni.	14. 16.
S. Antonij Abbatis Indulg. plenar. & remissio tertiæ partis peccatorum ad S. MARIAM Majorem.	17.
SS. Fabiani & Sebastiani Indulg. plenar. ad S. Sebastianum: item 158. mill. & 968. ann. dies 265.	20.
S. Agnetis Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem. & ducenti an. Dominicâ I. post festũ S. Antonij Abb. ostenditur Sudarium Veronicæ, qua die est Indulg. plen. ad S. Petrum: itẽ Romani habent 7000. annor. Vltramontani verò 14000. & totidem quadragenas, & remissionem tertiæ partis peccatorum.	21.
SS. Vincentij & Anastasij ad S. Joannem in Laterano 40. millia an.	22.
Conversio S. Pauli Indulg. plenar. ad S. Paulum, & decem mill. an.	25.
S. Polycarpi Episc. & Mart. Indulg. plenar. ad S. Crucem.	26.
In die S. Agnetis secundò, remissio omnium peccatorum, ut in primo festo ad S. Joannem Lateran.	28.
In die SS. Cyri & Joannis remissio tertiæ partis peccat. ad S. Sebastianum.	31.

Dies mens.

Præter enumeratos suprà dies Indulg. plenar. asserunt nonnulli haberi etiam indulg. plenar. Romæ ad diem 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 11. 12. 14. 15. 18. 23. & 24. hujus mensis. item Dominicâ II. festum Epiphaniæ, ac quâlibet Dominicâ mens. Januarij. ita inter alios R. P. Antonius Maria de Rheita, *libell. de indulg. Station.* ex Catalog. indulg. Ord. SS. Trinitatis.

Referunt ijdem Authores ad diem 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 16. 17. & Dominicam II. post Epiph. præter Indulg. plenar. liberationem animæ.

FEBRVARIVS.

2. In festo Purificationis Beatiss. V. Indulg. plenar. ad S. MARIAM de Populo: item 155. mill. & 293. an. dies 285.
5. S. Agathæ Indulg. plenar. ad S. Crucem in Jerusalem.
22. Cathedra S. Petri Indulg. plenar. ad S. Petrũ: ité 159. mill. & 968. an. d. &
24. S. Matthiæ Apost. Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem: ité 159. mill. & 290. an. dies 285.

Referunt etiam quidam ad diem 1. hujus mens. Indulg. plenar. & ad diem 1. 2. 5. 22. & 24. liberationem animæ è purgatorio.

MARTIVS.

7. S. Thomæ de Aquin. Indulg. plenar. ad S. MARIAM in Minerva: ité 158. mill. & 958. an. dies 285.
12. S. Gregorij Indulg. plenar. & quotidie 40. an. indulg. & totidem quadragenæ: & remissio tertiæ partis peccator. item ad S. Petrum mille an.
19. S. Josephi Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem.
20. Vigilia S. Benedicti Indulg. plenar. ad S. Crucem in Capella, quæ dicitur Jerusalem, cujus est illâ die dedicatio.
21. S. Benedicti ad S. Petrum 159. mill. & 154. an. dies 40.
25. Annuntiatio B. M. V. Indulg. plenar. ac remissio tertiæ partis peccatorum: item 1000. an. & totid. quadragenæ. Et iterũ 158. m. & 958. an. d.

Præter relatas hujus mens. Indulg. plenar. adjungit suprà citat. P. Rheita, & alij ad diem 1. 2. 3. 4. 5. 6. & singulas ferias 6. mens. Martij Indulg. plenar. Et ad diem 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 25. liberationem animæ ex purgatorio.

APRILIS.

23. S. Georgij Mart. 151. mill. & 913. an. dies 260.
25. S. Marci Euang. Indulg. plenar. ad S. Petrum, & 154. mill. ac 990. an. d.
29. S. Petri Mart. Indulg. plenar. ad S. MARIAM in Minerva.

Quidam referunt ad diem 1. April. quæ est octava Annunt. B. Indulg. plenar. & ad 1. 18. & 25. liberationem anim. ex purgat.

MAJUS

MAIUS.

SS. Philippi & Jacobi Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem: item 158. mill. & 978. an. dies 285. 1.

NB. In omnibus diebus Dominicis hujus mensis est Indulg. plenar. ad S. Sebastianum: & 186. mill. ac 39. an. dies 100.

In festo Inventionis S. Crucis Indulg. plenar. ad S. Crucem: itē an. 186. mill. & 39. an. & 100. dies. item tertiá die hujus mensis Indulg. plenar. apud S. MARIAM Rotundam, eò quòd sit consecratio ejus. 3.

S. Joannis ante portam Latin. Indulg. plenar. & liberatio animæ è purgat. ad S. MARIAM Majorem. 6.

Apparitio S. Michaëlis Archang. Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem. 8.

NB. Ab hac die usq; ad Kalendas Augusti sunt quotidie tres Indulg. plenar. ad S. Joannem Lateranen.

SS. Nerei, Achillei, & Pancratij ad S. Paulum centum anni. 12.

S. Bernardini Indulg. plenar. ad S. MARIAM in Ara Cæli. 20.

S. Petronillæ mille quadragenæ, & ad S. Petrum mille. anni Indulg. 31.

P. Rheita suprà cit. assignat ad diem 2. Maij Indulg. plenar. & ad diem 1. 2. 3. 6. 8. & 17. liberationem animæ è purgatorio.

JUNIUS.

SS. Marcellini, Petri, &c. ad S. Petrum mille anni.

S. Barnabæ Apost. ad S. Petrum anni sexcenti. 2.

S. Antonij de Padua Indulg. plenar. ad S. MARIAM in Ara Cæli. 11.

SS. Viti, Modesti, & Crescent. ad S. Paulum centum quadragenæ, & centum anni Indulgent. 13. 15.

S. Paulini Confessoris & Pont. ad S. Joann. Lateran. septem millia an.

Nativitas S. Joannis Bapt. Indulg. plenar. ad S. Joannem Lateranen. itē 154. mill. & 989. an. dies 45. 22. 24.

SS. Joannis & Pauli ad S. Joannem Lateran. mille anni.

S. Leonis ad S. Petrum mille anni, & totidem quadragenæ. 26.

SS. Apostolor. Petri & Pauli, Indulg. plenar. in amborum Ecclesia: itē 159. mill. & 963. ann. dies 45. 28. 29.

Commemoratio S. Pauli, Indulg. plenar. ad S. Paulum, & anni mille.

Præter relatas hujus mens. Indulg. plenar. assignant quidam, inter quos cit. P. Rheita, ad diem 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Indulgent. plenar. & à die 1. usq; ad 11. inclusivè liberat. animæ è purgat. 30.

JULIUS.

Octava S. Joannis Bapt. Indulg. plenar. ad S. Joannem Lateran.

Visitatio B. V. M. Indulg. plenar. ad S. MARIAM de Populo: & 158. mill. ac 958. an. dies 285. 1. 2.

S. Bonaventuræ, Indulg. plenar. ad S. Petrū: & 158. mill. ac 967. an. d. 285. 14.

Divisio Apostol. ad S. Petrum duo mill. annorum. 15.

S. Alexij, Indulg. plenar. ad S. Joannem Lateran. & duo millia annor. 17.

S. Mar-

20. S. Margaritæ, ad S. Crucem in Jerusalem mille anni.
21. S. Praxedis, ad S. Petrum duo millia ann.
22. S. Mariæ Magdalenæ, Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem: & anni
23. S. Apollinaris, ad S. Joannem Lateran. centũ anni: item eodem die S. C
stinæ ad S. MARIAM Majorem anni quadraginta.
25. S. Jacobi Apost. Indulg. plenar. in sua Ecclesia, & ad S. MARIAM Majo
26. S. ANNÆ Matris B. M. V. Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem.
27. S. Pantaleonis ad S. MARIAM Majorem anni quadraginta.
28. SS. Nazarij, Celsi, &c. ad S. Crucem in Jerusalem an. trecenti.
29. SS. Simplicij & Faustini ad S. Sebastianum quinq; mill. ann.

Assignant aliqui ad diem 1. 2. & 25. liberat. animæ è purga

AUGUSTUS.

1. S. Petri ad vincula, & per octo dies sequentes, Indulg. plenar. in Eccles
jusdem: item 158. mill. & 968. an. dies 285.
2. Festum Portiunculæ Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem.
3. Inventio S. Stephani Indulg. plenar. ad S. Laurentium.
4. S. Dominici Indulg. plenar. ad S. MARIAM in Minerva: itẽ 158. mil
958. an. dies 285.
5. S. MARIÆ ad Nives, Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem: itẽ 15 mil
& 790. an. dies 285.
6. Transfiguratio Domini plures Indulg. ad S. Crucem.
8. SS. Cyriaci, Largi, &c. ad S. Sebastianum mille anni.
10. S. Laurentij Indulg. plenar. per totam octavam: & omni die mille ann
totidem quadragenis, & remissio tertiæ partis peccatorum, in Eccles
S. Laurent. item 158. mill. & 958. an. dies 285.
12. S. Claræ Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem: & ad S. Crucem 100.
14. S. Eusebij ad S. MARIAM Majorem mille anni.
Vigilia Assumptionis ad Vesperas apud S. MARIAM de Popul Indulg. plen
15. Assumptio B. M. V. Indulg. plenar. per totam octavam, & remissio omnium
peccatorum, & 40. anni, & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ pa
tis peccatorum ad S. MARIAM Majorem: & ad S. Petrum 158. mil
ac 162. an. & dies 100.
Dominicâ infra octavam remissio omnium peccatorum in Ara Cæli.
19. S. Ludovici Ord. Minorum Indulg. plenar. in Ara Cæli.
22. Octava Assumpt. Indulg. plenar. ad S. MARIAM trans Tyberim.
24. S. Bartholomæi Indulg. plenar. ad S. Joannem Lateran. & septem mill. a
28. S. Augustini in ejus Ecclesia Indulg. plenar. & ad S. MARIAM Ma
mille anni.
29. Decollatio S. Joannis Bapt. Indulg. plenar. ad S. MARIAM de Pop
remissio omnium peccatorum: item centũ anni, & totidem quadrag
& remissio tertiæ partis peccat. ad S. Joannem Lateran.

Nonnulli referunt ad diem 1. 5. 16. & 24. Aug. liberat. a
è purgatorio.

SEPTI

SEPTEMBER.

	Dies menſis.
In Vigilia Nativitatis B. M. V. Indulg. plenar. ad S. MARIAM de Populo.	7.
Nativitas B. M. V. Indulg. plenar. ad S. MARIAM Rotundam: & 159. mill. ac 790. an. dies 185. item eodem die S. Adriani ad S. MARIAM Majorem ducenti anni.	8.
Exaltatio S. Crucis Indulg. plenar. ad S. Crucem, ac remiſſio tertiæ partis peccatorum: & 159. mill. ac 64. an. dies 45.	14.
S. Euphemiæ ad S. Joannem Lateran. mille anni.	16.
S. Euſtachij ad S. Sebaſtianum 140. an.	20.
S. Matthæi Apoſt. Indulg. plenar. ad S. Laurent. & 130. anni.	21.
SS. Coſmæ & Damiani ad S. Sebaſtianum ſeptem millia annor.	27.
S. Michaëlis Archang. Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem: & 154. m. ac 992. an. dies 200.	29.
S. Hieronymi Indulg. plen. ad S. MARIAM Majorem, ubi requieſcit corpus ejus: item 160. m. & 790. an. dies 285.	30.

Præterea quidam aſſignant ad diem 20. Sept. Indulg. plenar. & ad diem 1. 8. 10. 14. 16. & 21. liberat. animæ è purgatorio.

OCTOBER.

Seraphici P. Franciſci, & per totam octavam Indulg. plenar. in ejus Eccleſia trans Tyberim: & ad S. Paulum 158. mille, & 968. anni. dies 285.	4.
S. Lucæ Euang. Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem, & mille anni.	18.
SS. Simonis & Judæ Apoſt. Indulg. plenar. ad S. Petrum: & 40. quadragenæ, & totidem anni, & remiſſio tertiæ partis peccatorum: item 158. mille, & 998. anni, dies 285.	28.

Aſſignant etiam aliqui ad 1. & 4. Octob. liberat. animæ è purg.

NOVEMBER.

Omnium Sanctorum Indulg. plenar. ad S. MARIAM Rotundam: item 158. mill. & 662. anni, dies 100.	1.
Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, Indulg. plenar. per totam octavam ad S. MARIAM Majorem, & in Eccleſia S. Gregorij: ité 154. mill. & 991. anni, dies 200. & applicari poſſunt, ut refertur, &c.	2.
Octava omnium Sanctorum, Indulg. plenar. ad S. Petrum, & eodem die ad SS. IV. Coronatos multæ Indulg. ad S. Joannem Lateranenſem.	8.
Dedicatio Baſilicæ Salvatoris Indulg. plenar. ad S. Joannem Lateranenſ. item 154. mille, & 983. anni, dies 285.	9.
SS. Tryphonis, Reſpicij, &c. plures Indulg. ad S. Sebaſtianum.	10.
S. Martini 300. anni, & totidem quadragenæ ad S. Sebaſtianum.	11.
Dedicatio Baſilicæ SS. Apoſtol. Petri & Pauli Indulg. plenar. & 11. millia annorum, & totidem quadragenæ, & remiſſio tertiæ partis peccatorum ad S. Petrum: item 159. mill. & 964. dies 285.	18.
S. Eliſabethæ viduæ ad S. Crucem centum anni Indulg.	19.

21. Præsentatio B. M. V. Indulg. plenar. ad S. MARIAM Majorem.
22. S. Cæciliæ Indulg. plenar. in ejus Ecclesia, & ad S. MARIAM in Ara Cœli item 159. mill. & 790. an. dies 285.
23. S. Clementis Indulg. plenar. in ejus Ecclesia, & ad S. Petrum: item 161. mill. & 966. ann. ac 150. dies. Et eadem die S. Felicitatis ad S. Crucem 40. anni.
24. S. Chrysogoni ad S. MARIAM Majorem mille anni.
25. S. Catharinæ ad S. MARIAM Majorem mille anni.
29. S. Saturnini ad S. Sebastianum centum anni.
30. S. Andreæ Apost. Indulg. plenar. ad S. Petrum, & remissio tertiæ partis peccatorum: item 160. mill. & 974. ann. ac dies 45.

Præterea P. Rheita loc. cit. ex aliis assignat Indulg. plenar. pro die 25. & liberat. animæ ad diem 2. 8. 9. 11. 12. & 30. Novemb.

DECEMBER.

2. S. Bibianæ ad S. MARIAM Majorem 8. millia ann.
4. S. Barbaræ ad S. Crucem mille anni.
5. S. Sabbæ Abbat. ad S. Petrum centum anni.
6. S. Nicolai in ejus Ecclesia Indulg. plenar. ac 300. anni, & totid. quadragenæ eadem die ad S. Crucem 154. mill. & 991. ann. & dies 200.
7. S. Ambrosij Indulg. plenar. ad S. Petrum, & mille anni: & eadem die in Vigilia Concept. B. M. V. ad Vesperas Indulg. plenar. ad S. MARIAM de Populo.
8. Conceptio B. M. V. Indulg. plenar. ad S. MARIAM de Populo: item 161. mill. & 968. ann. & dies 285.
21. S. Thomæ Apost. Indulg. plenar. ad S. Paulum, & remissio tertiæ partis peccatorum, ac 300. anni.
24. Vigilia Nativit. D. N. JESU Christi Statio ad S. MARIAM Majorem 28. millia ann. & remissio tertiæ partis peccatorum.
25. Nativitas Domini nostri JESU Christi Indulg. plenar. in qualibet trium Missarum: & ad S. MARIAM Majorem mille anni.
Eodem die in festo S. Anastasiæ mille anni.
26. S. Stephani Indulg. plenar. ad S. Laurentium, ubi ejus corpus requiescit, item 2. mill. ann. & centum ann. & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis peccatorum in ejus Ecclesia in monte Cælio.
27. S. Joan. Euang. Indulg. plenar. ad S. Joann. Lateranens. & liberatio animæ
✠ purgatorio: & ad S. Paulum centum anni: item 158. mill. & 790. an.
28. SS. Innocentium Indulg. plenar. & 40. ann. & totidem quadragenæ ad S. Paulum.
31. S. Sylvestri Indulg. plenar. & decem millia ann. ad S. Joann. Lateran. & ejus Ecclesia plenaria remissio omnium peccatorum.

Assignant quidam etiam ad diem 8. Decemb. liberation. animæ è purgatorio.

Indul-

Indulgentiæ Stationum pro Adventu, Quadragesima, & Festis mobilibus. 264.

Dominicâ I. Adventûs ad S. MARIAM Majorem 158. mill. & 790. ann. ac 285. dies Indulg.
Dominicâ II. Adventûs ad S. Crucem 158. mill. & 64. an. ac dies 45.
Dominicâ III. Adv. ad S. Petrum 158. mill. & 168. ann. ac dies 285.
Feriâ 4. Quatuor Temporum ad S. MARIAM Majorem 158. mill. & 790. an. ac dies 285.
Feriâ 6. ad SS. Apostol. 158. mill. & 968. an. dies 285.
Sabbatho ad S. Petrum. 158. mill. & 968. an. dies 285.
✠ Dominicâ IV. Adv. ad SS. Apostol. 158. mill. & 790. an. dies 285.

R. P. Gregorius Nazianzenus in *Adoptione Parthenia Part. 3. cap. 12.* refert in Dominica 1. 2. 3. & 4. Adventûs, ac Fer. 4. 6. & Sabbato Quatuor Temporum esse Indulgentiam plenar. Idem affirmat de Dominicis *Septuagesimæ, Sexagesimæ,* ac *Quinquagesimæ.* Idipsum attestantur complures alij.

✠ Dominicâ Septuagesimæ ad S. Laurentium liberatio animæ, & 158. mille, ac 968. anni, & 285. dies
Dominicâ Sexagesimæ ad S. Paulum 155. mille, ac 190. anni, & dies 200.
Dominicâ Quinquagesimæ ad S. Petrum 158. mille, ac 96. an. & 96. dies 286.

Indulgentiæ Stationum Quadragesimæ. 265.

✠ Die Cinerum ad S. Sabinam Indulg. plenar. & 155. mill. ac 293. an. d. 285.
Fer. 5. ad S. Georgium 154. m. & 913. an. dies 285.
Fer. 6. ad SS. Joannem & Paulum 155. m. & 291. an. dies 200.
Sabb. ad S. Tryphonem 158. m. & 983. an. dies 285.
Dominicâ I. ad S. Joannem Lateranen. 154. m. & 994. an. dies 285.
Fer. 2. ad S. Petrum ad vincula 158. m. & 969. an. dies 285.
✠ Fer. 3. ad S. Anastasiam liberatio animæ è purgatorio: item 158. mill. & 968. anni, dies 285.
✠ Fer. 4. ad S. MARIAM Majorem 159. m. & 290. an. dies 285.
Fer. 5. ad S. Laurentium in Palisperna 158. m. & 968. an. dies 285.
Fer. 6. ad SS. Apost. 158. m. & 968. an. dies 285.
Sabb. ad S. Petrum 158. m. & 968. an. dies 45.
Dominicâ II. ad S. MARIAM in Dominica 158. m. & 968. an. dies 285.
Fer. 2. ad S. Clementem 158. m. & 956. an. dies 250.
Fer. 3. ad S. Balbinam 155. m. & 193. an. dies 285.
✠ Fer. 4. ad S. Cæciliam 159. m. & 790. an. dies 283.
Fer. 5. ad S. MARIAM trans Tyberim 158. m. & 858. an. dies 285.
Fer. 6. ad S. Vitalem 158. m. & 958. an. dies 285.
Sabb. ad S. Marcellum, & S. Petrum 154. m. & 965. an. dies 200.

✠ Dominicâ III. ad S. Laurent. liberatio animæ: item 159. m. & 54. an. dies 30.
Fer. 2. ad S. Marcum 154. m. & 909. an. dies 200.
Fer. 3. ad S. Potentianam 154. m. & 991. an. dies 200.
✠ Fer. 4. ad S. Sixtum 155. m. & 790. an. dies 100.
Fer. 5. ad SS. Cosmam & Damianum 154. m. & 991. an. dies 200.
Fer. 6. ad S. Laurent. in Lucina 154. m. & 991. an. dies 200.
Sabb. ad S. Susannam 154. mill. & 911. an. dies 200.
✠ Dominicâ IV. ad S. Crucem liberatio animæ, & 159. mill. & 60. an. dies 30.
✠ Fer. 2. ad SS. 4. Coronatos 159. mill & 990. an. dies 200.
Fer. 3. ad S. Laurentium in Damaso 154. m. & 991. an. dies 200.
✠ Fer. 4. ad S. Paulum 155. m. & 291. an. dies 200.
Fer. 5. ad S. Sylvestrum 154. m. & 991. an. dies 200.
Fer. 6. ad S. Eusebium 154. m. & 991. an. dies 200.
Sabb. ad S. Nicolaum in carcere 154. m. & 991. an. dies 200.
Dominicâ Passionis ad S. Petrum 159. m. & 964. an. dies 35.
Fer. 2. ad S. Chrysogonum 154. m. & 991. an. dies 200.
Fer. 3. ad S. Cyriacum 154. m. & 911. an. dies 200.
✠ Fer. 4. ad S. Marcellum 155. m. & 291. an. dies 200.
✠ Fer. 5. ad S. Apollinarem 154. m. & 991. an. dies 200.
✠ Fer. 6. ad S. Stephanum in monte Cælio liberatio animæ: item 154. mill. & 991. an. dies 200.
✠ Sabb. ad S. Joannem ante portâ Latinam liberat. animæ: item 158. m. & 859. an. dies an. 45.
Dominicâ Palmarum adS. Joann. Lateran. Indulg. plenar. & 156. m. & 859. an. dies an. 301.
Fer. 2. ad S. Praxedem 155. m. & 65. an. dies 200.
Fer. 3. ad S. Priscam 161. m. & 551. an. dies 100.
✠ Fer. 4. ad S. MARIAM Majorem 185. m. & 662. an. dies 100.
✠ Fer. 5. ad S. Joannem in Lateran. 185. m. & 639. an. dies 100.
Fer. 6. Parasceve ad S. Crucem Indulg. plenar. & 186. m. & 639. an. dies 100.
Sabb. ad S. Joannem Lateran. Indulg. plenar. & 186. m. & 639. an. dies 100.

266. *Indulgentiæ tempore Paschali.*

Dominicâ Resurrectionis ad S. MARIAM Majorem Indulg. plenar. & 186. m. ac 162. an. dies 100.
Fer. 2. ad S. Petrum 158. m. & 968. an. dies 285.
Fer. 3. ad S. Paulum 155. m. & 291. an. dies 200.
✠ Fer. 4. ad S. Laurentium extra muros liberat. ité animæ, 159. m. & 191. an. dies 30.
Fer. 5. ad SS. Apost. 568. m. & 968. an. dies 285.
Fer. 6. ad S. MARIAM Rotundam 168. m & 968. an. dies 285.
Sabb. ad S. Joannem Lateran. 156. m. & 859. an. dies 30.
Dominicâ in Albis ad S. Pancratium 161. m. & 555. an. dies 100.
Fer. 2. 3. & 4. Rogationum indulg. plen. item fer. 4. liberat. animæ.

In feſto Aſcenſionis Indulg. plenar.
In Vigilia Pentecoſtes Indulg. plenar.
Dominicâ Pentecoſtes ad S. Petrum indulg. plen. ac 158. m. & 968. an. d. 285.
Fer. 2. ad S. Petrum ad vincula Indulg. plenar. & 158. m. & 968. dies 285.
Fer. 3. ad S. Anaſtaſiam Indulg. plenar. & 158. m. & 968. an. dies 285.
✠ Fer. 4. ad S. MARIAM Majorem Indulg. plen. & 158. mill. & 790. an. d. 285.
✠ Fer. 5. ad S. Laurentium Indulg. plenar. & liberat. animæ: item 158. mill. & 968. an. dies 285.
✠ Fer. 6. ad SS. Apoſt. Indulg. plenar. & 158. mill. ac 968. an. dies 285.
✠ Sabb. ad S. Petrum Indulg. plen. & liberat. animæ: itē 159. m. 964. an. d. 285.
✠ Dominicâ SS. Trinitatis Indulg. plenar. & liberat. animæ ex purgat.
In feſto Corporis Chriſti, ac per ejus octavam Indulg. plenar.
✠ Fer. 4. 6. & Sabb. Quatuor Temporum Septembris Indulg. plen. & liberatiõ animæ ex purgatorio.

Non pauci affirmant, à die cinerum incluſivè, omnibus diebus Dominicis, ac Feriis totius Quadrageſimæ, & hebdomadæ Reſurrectionis, uſq; ad Dominicam in Albis, præter deſignatas ſupra indulgentias, eſſe etiam in prædictis Stationibus indulgentiam plenariam; quod impensè obſervandum eſt.

Advertendum etiam, quod aſſerunt complures, in tribus ad minus Eccleſijs Romæ eſſe quotidie indulgentiam plenariam, ſeu remiſſionem omnium peccatorum. Quod verò in permultis diebus, ut ſuprà vidimus, præter plenariam, etiam partialis tot annorum, vel dierum &c. indulgentia concedatur, referendum eſt ad diverſa tempora, diverſosq; Pontifices ac conceſſiones: fieri quippè potuit, ut prius conceſſa fuerit indulgentia plenaria, & poſtmodum addita fuerit tot annorum, dierum, vel quadragenarum &c. quod ideò factum credit Corduba: ut ſi forſan cauſa indulgentiæ non fuerit ſufficiens ad plenariam indulgentiam, ſaltem valeat ad illos annos, dies vel quadragenas &c. obtinendas. Quia, juxta communem Theologorum ac Canoniſtarum ſententiam, ad valorem indulgentiæ inter cætera requiritur cauſa æquivalens, & illi proportionata, adeò ut ſi improportionata ſit, atque inſufficiens pro indulgentia plenaria, valeat quidem indulgentia, non ad remiſſionem tamen totius pœnæ, ſed partis tantùm, juxta proportionem cauſæ. Licet autem nobis perſuadere debeamus, quod cauſa, ob quam Pontifex indulgentiam plenariam concedit, ſemper ſit illi proportionata, & adæquata, de hoc tamen omnimodam & phyſicam habere nequimus certitudinem:

Ad Indulgentiæ valorem requiritur cauſa proportionata ac ſufficiens.

Quid ſi omninò talis nõ ſit?

evenireque potest, ut quoad DEUM non sit adæquata, ac sufficiens.

Tom. 4. in 3. P. disp. 50. sect. 4. n. 9.

Videtur etiam verisimile P. Suarez, in tali casu, maximè [illegible] eodem tempore, & ab eodem Pontifice, plenaria, & partialis illa indulgentia concessa sit, quod ultra indulgentiam plenariam quam quis sibi lucratur, concedi alios dies & annos indulgentiæ, ut per modum suffragij offerre illos possit, etsi in rescripto hoc expressè non declaretur: quia (quod credendum est) illud non frustra concedetur, verum aliquo modo utili; non occurrit autem alius modus, quo possit talis indulgentia integrum habere effectum, aut addita alicujus esse utilitatis.

CAPUT XI.

Quæ sit ista indulgentia & peccatorum omnium venia, quàm verè pœnitentibus (uti supra Capite VII. dictum est) *pollitici sunt* HONORIUS III. & NICOLAUS IV. *& quæ pro illius consecutione præstanda sint?*

267. DIXIMUS supra *Capite VII.* HONORIUM III. & NICOLAUM IV. verè pœnitentibus omnium peccatorum [illegible] rum veniam polliticos fuisse. Certum est autem in hac indulgentia non esse sermonem de venia peccatorum quoad culpam, hanc enim Pontifex non relaxat per ullam indulgentiam, ut quæ semper supponit culpam esse remissam, intelligere quod tur debemus de venia omnium peccatorum, quoad pœnam, quæ [illegible] incidit cum indulgentia plenaria, ita quod idem sit polliceri veniam omnium peccatorum, ac polliceri indulgentiam plenariam.

Idem est concedere omnium peccatorũ veniam, ac indulgentiam plenariam.

Pro declaratione verò hujus indulgentiæ advertendum est quod Pontifices præfati illam non limitarunt ad aliquod determinatum tempus, nec ad aliquas determinatas vices, puta ad semel in anno, vel in mense, vel in hebdomada, sed illam indefinitè concesserunt: indefinita autem dispositio in jure, præsertim in materia indulgentiarum, æquipollet universali, ideò ista concessio intelligenda est pro quolibet tempore, & pro qualibet die, maximè cum non [illegible]

Indefinita dispositio in jure æquipollet universali, maximè in materia indulgentiarum.

sit major ratio, cur ad unum tempus, vel ad unam diem, quam ad alteram limitetur; vel igitur pro nullo tempore intelligenda est, quod dici nequit, vel intelligenda pro quovis tempore, & pro qualibet die, ita ut Fideles quotidie visitando aliquam nostram Ecclesiam, servatis servandis, plenariam indulgentiam consequi possint.

Possunt Fideles quotidie visitando Eccles. aliquã nostr. hanc Indulg. obtinere.

Sed dices, ex dictis sequi, quod Fideles nedum semel, sed etiam pluries possint eodem die lucrari dictam indulgentiam plenariam; quia illa nec limitata est ad determinatum tempus, nec ad determinatas vices, ita ut semel tantum in uno die possit obtineri. Huic rationi dant manus nonnulli, dum censent, quod virtute similis indulti, possit quis uno, eodemque die devotè visitationem Ecclesiæ repetendo, aliaque injuncta opera pia præstando, nisi indulgentia plenaria sit limitata ad unam vicem pluries illam assequi: dummodo post eam semel obtentam peccatum aliquod mortale, vel veniale committat, cujus remissionem eodem quoque die per pœnitentiam obtineat; & hæc sententia probabilis est; præsertim, si sermo sit, de indulgentia brevi tempore duratura, uti est indulgentia Jubilæi: at si loquamur de perpetua, ut est nostra, mihi probabilior videtur sententia illorum, qui existimant plenariam indulgentiam per similia indulta indefinitè concessam, non posse quidem limitari ad semel in anno, vel in mense, vel in hebdomada, quia omnis hujusmodi limitatio voluntaria videtur, limitandam tamen esse ad semel in uno, eodemq; die; quia alioquin videretur tanta indulgentia imprudenter, modoq; minus rationabili concessa.

At nõ pluries uno eodemq; die, & quare hoc?

268.

Utrũ hæc Indulg. sit concessa intuitu Religiõ. Carmelit. & annumerãda Indulg. visitant. Ecclesias illius?

Sed dubitare quis poterit, qua ratione indulgentia hæc, de qua loquimur, connumeretur inter indulgentias nostras Ecclesias visitantibus concessas, cum in illa nulla fiat mentio de onere nostras visitandi Ecclesias; imò nec constat, quod intuitu Religionis Carmelitanæ concessa fuerit, atque propterea non videtur connumeranda inter indulgentias nostri Ordinis, vel ejus intuitu concessas; & augetur difficultas, si consideremus quod licet secundum Theologos possit interdum, absque injunctione alicujus pij operis faciendi, indulgentia concedi; puta, si concedatur ratione gratitudinis alicui Principi, propter obsequia Ecclesiæ exhibita, in quo fine impositione novi operis sit sufficiens ratio ad talem indulgentiam impertiendam, consequendamque: regulariter tamen Pontifices indulgentias

concede-

concedere non solent, absque injunctione pij alicujus operis, puta visitandi Ecclesiam, fundendi preces, elargiendi eleemosynas &c. In nostra autem indulgentia nullum apparet opus pium injungi aut requiri: nec valet dicere, in Bulla à Pontifice exigi pœnitentiam, quia non videtur pœnitentia exigi, tanquam opus injunctum pro consecutione talis indulgentiæ, sed ut conditio necessariò præstita, ut Fideles capaces sint fructus indulgentiæ.

Ad dissolvendas istas difficultates necesse erit recurrere ad supra citatam SIXTI IV. Bullam, *Dum attenta meditatione*, ex qua fons sumpta indulgentia, de qua loquimur, in qua SIXTUS hæc habet: *Honorius III. & Nicolaus IV. verè pœnitentibus, & porrigentibus manus adjutrices domibus nostris, & Fratribus, veniam omnium peccatorum polliciti sunt:* ex quo evidenter apparet hanc indulgentiam fuisse concessam intuitu Ordinis nostri, cum injunctione operis pij, erogandi scilicet eleemosynas nostris domibus & Fratribus.

Quænam præstanda sint ad cōsequendā hanc plen. Indulgentiam?

Cæterùm, quia necdum satis constare videtur, quænam opera pia facienda sint Fidelibus pro lucranda dicta indulgentia, cum ista sublatæ sint *manus adjutrices*, recurrendum quoque erit ad GREGORII XIII. Bullam. *Ut laudes*. in qua, ut *supra Cap. 8.* observavimus, Sanctitas sua revalidando nostras indulgentias, clausulam habentes, porrigendi *manus adjutrices*, eas commutavit in alia opera pia, inter quæ unum est, visitare Ecclesias nostri Ordinis, quare ex his sufficienter constat, quænam opera pia præstanda sint à Fidelibus pro dicta indulgentia adipiscenda; videlicet, ut contriti & confessi aliquam Ecclesiam nostram visitent, in eaque, ut supra dictum, orent &c. nec minus ex his liquet, quàm jure meritò ista indulgentia inter illas recenseatur, quæ nostras Ecclesias visitantibus concessæ sunt. Ita Reverendissimus P. Stratius.

CAP

CAPUT XII.

Vtrum Christi Fideles, visitando Ordinis Carmelitarum Ecclesias, aliquando consequi valeant indulgentiam plenariam, præter illas, de quibus tribus proximis egimus Capitibus?

QUOD Fideles visitando, servatis servandis, Ecclesias nostri Ordinis, obtinere possint multas, variasque indulgentias partiales, tot scilicet annorum, quadragenarum, & dierum evidenter colligitur ex *Summario* illarum, in Bulla GREGORII XIII. contento, & suprà *Capite septimo* producto; minus evidenter tamen apparet, an etiam possint aliquando aliquam totalem seu plenariam indulgentiam, præter indulgentias Stationum, & eam, de qua proximè egimus, lucrari, quia non videtur, aliquis Pontifex ex relatis in illo *Summario* expressè concessisse indulgentiam plenariam. 269.

Satisfaciendo huic dubitationi Reverendiss. Theodorus Stratius, dicit *primò*, quod Fideles piè visitando Ecclesias nostras in multis anni diebus assequi possint indulgentiam plenariam: videlicet in festis Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis DEI Genitricis MARIÆ, SS. Apostolorum Petri & Pauli, omniũ Sanctorum, in duobus festis S. Crucis, Nativitatis S. Ioannis Baptistæ, sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani, & in die Parasceves, & per octavas præfatarum Festivitatum, & in vocabulis omnium Ecclesiarum nostri Ordinis. Quandoquidem ADRIANUS II. STEPHANUS V. SERGIUS III. JOANNES X. JOANNES XI. SERGIUS IV. & INNOCENTIUS IV. omnibus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, contritis & confessis, qui præfatas Ecclesias piè visitaverint, in præfatis festivitatibus, & earum Octavis, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt; ut patet ex dicto *Summario*, *num.* 2.

Capite 18. *Instructionis pro Carm. Romæ edito an.* 1640. Possunt Fideles visitando Eccles. Carmelit. in pluribus anni diebus plenar. indulgent. adipisci.

Posteà CLEMENS III. ALEXANDER II. GREGORIUS V. & GREGORIUS VII. in præfatis festivitatibus, & in qualibet earum, eandem gratiam largiti sunt; ut videre est in eodem *Summario*, *num.* 3. Et sic habemus jam piè visitantibus nostras Ecclesias fuisse

concessas in diebus supradictis, duas indulgentias tertiæ partis omnium peccatorum. Deindè NICOLAUS V. ut patet ex eodem *Summario, num.* 11. omnes indulgentias & peccatorum remissiones à Romanis Pontificibus, Prædecessoribus suis in præfatis diebus, & sibi concessas, *motu proprio* duplicando, confirmavit: duplicando autem NICOLAUS V. omnes indulgentias suorum Prædecessorum, duplicavit etiam duas indulgentias tertiæ partis omnium peccatorum, per quam duplicationem efficitur sine dubio una indulgentia totalis, seu plenaria; quam propterea Fideles aliquam nostram Ecclesiam piè visitando, in uno ex præfatis festis, sive diebus, si contriti & confessi fuerint, lucrari poterunt.

270. *Loc. cit.* Dicit *secundò* idem Reverendissimus P. Stratius, esse valdè probabile quod etiamsi NICOLAUS V. *motu proprio* non duplicasset indulgentias suorum Prædecessorum, possent nihilominus Fideles visitando nostras Ecclesias, in præfatis diebus ac festivitatibus, indulgentiam plenariam consequi. Perpendendum quippè est, quod licèt Romani Pontifices relati in *Summario, num.* 2. concesserint omnibus Christi Fidelibus, qui in præfatis festis nostras Ecclesias visitarent, remissionem tertiæ partis omnium peccatorum; cum autem certum sit, quod non omnes in uno, eodemque tempore, sed in diversis a Pontificatum assumpti fuerint, & certum etiam sit, quod non omnes simul & conjunctim eandem tertiam peccatorum partem relaxarint, sed unus post alium, non possumus dicere, quod omnes eandem tertiam partem relaxaverint, sed quod unusquisque eorum unam; non enim dicitur in *Summario*, quod unus Pontifex remissionem tertiæ partis peccatorum ab alio concessam confirmaverit, sed de omnibus dicitur, quod tertiam partem relaxarunt; cum igitur tres tertiæ partes omnium peccatorum remissæ, constituant unam indulgentiam plenariam, consequens est, ut tot remissiones tertiæ partis omnium peccatorum, à tot Pontificibus concessæ, unam plenariam indulgentiam constituant.

Quùm autem præfati Pontifices concesserint remissionem tertiæ partis omnium peccatorum, non solum in festis supra relatis, verùm etiam in eorum octavis, & cum nonnulla festa ex recensitis in *Summario*, secundum usum Ecclesiæ, Octavas non habeant, ut sunt utrumque festum S. Crucis, nec non sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani

stiani, & diei Paraſceves, per feſtivitates, in quarum octavis præfati Pontifices remiſſionem tertiæ partis peccatorum relaxarunt, intelligere debemus, meo judicio, eas feſtivitates tantum, quæ ſecundum uſum Eccleſiæ Octavas habent.

271. Utrum pro his indulgentijs ſufficiat unica Eccleſiæ viſitatio?

SED quæret aliquis, an pro aſſequendis in uno die tribus remiſſionibus tertiæ partis peccatorum, à diverſis Pontificibus noſtras Eccleſias viſitantibus conceſſis, ſufficiat ſemel tantum aliquam Eccleſiam noſtram viſitare, vel ter repetenda ſit viſitatio eodem die? Videtur probabile, quod ſufficiat unica viſitatio, juxta ſententiam illorum, qui cenſent (ut ſupra *Cap.* 1. diximus) nos uno, eodēq; actu poſſe conſequi plures indulgentias diverſis vijs conceſſas: ut ſi exempli cauſa, quis habeat plures imagines, aut numiſmata diverſis benedictionibus affecta, & per ſingulas benedictiones ſit conceſſa indulgentia decem dierum, ſemel recitanti orationem Dominicam, quod poſſit quis per unicam recitationem orationis Dominicæ, lucrari tot decem dies indulgentiarum, quod imagines benedictas habuerit, ſive juxta numerum Imaginum benedictarum; & ſi duo Pontifices conceſſerint facienti tale opus, puta viſitanti Eccleſiam aliquam, indulgentiam viginti annorum, qui ſemel illud opus fecerit, ſeu Eccleſiam viſitaverit indulgentiam quadraginta annorum conſequetur. Horum fundamentum eſt, quia uno, eodemque actu poſſunt impleri plures obligationes, puta uno eodemq; jejunio, obligatio præcepti Eccleſiaſtici, & voti emiſſi: pari igitur ratione poterunt Fideles unico actu, puta unica viſitatione Eccleſiæ, pluribus ſatisfacere obligationibus pro indulgentiarum adeptione: ac proindè plures indulgentias acquirere. Multi nihilominus oppoſitum ſentiunt, hac ratione ducti: quia unaquæq; indulgentia illum, per quem adipiſcenda eſt, poſtulat actum, qui ſit cauſa partialis talis conceſſionis, cum autem actus ſit finitus, quo ad plures, vel pro pluribus indulgentijs applicatur, minor erit in ſingulis, & per conſequens, licet ſit proportionata cauſa ad unam, non tamen ad multas; & hæc ſententia ſolidiori videtur niti fundamento, & ſine dubio tanquam tutior conſulenda eſt.

Videtur tamen mihi, juxta dicta ſupra *num* 228. diſtinguendum; aut enim opus, quod injungitur pro lucranda indulgentia, non eſt adſtrictum alicui determinato tempori, ſed ſimpliciter impoſitum, puta ſemel jejunare, vel viſitare Eccleſiam &c. non determinando tem-

pus & diem, & tunc non sufficit pro obtinendis pluribus indulgentiis semel jejunare, vel visitare, quia unaquæq; indulgentia, illud opus independenter ab alia exigit: vel est alicui tempori adstrictum, & in isto casu, si semel tantum in tali tempore determinato fieri potest puta Sacramentum Eucharistiæ recipere in tali festo, vel jejunare in tali vigilia, tunc per unum & idem opus possunt obtineri plures indulgentiæ, dummodo aliundè sit causa sufficiens talis concessionis quia opus præscriptum in tali die non potest multiplicari, nec in alium differri; at si opus eodem possit die repeti, ut visitatio Ecclesiæ, quæ pluries eodem die fieri potest, pro pluribus indulgentijs, ob eandem modo assignatam, necessariæ erunt plures visitationes; & sine dubio hæc sententia, tanquam tutior, & solidiori nixa fundamento, licet contraria non desit probabilitas, præferenda videtur. Vt igitur Fideles magis certi sint, ac securi de consecutione præfatæ indulgentiæ jubilariæ, visitando in una ex prædictis festivitatibus, & in earū Octavis aliquam nostram Ecclesiam, ter visitatio repetenda erit.

Idem censet Antonius à Spiritu sancto in *Directorio Regular. disp. 5. sect. 4. num. 68.*

272. Visitatio Ecclesiæ, ut sit congrua, debet esse pia & quid adhoc requiratur?

Et quoniam pluries supra diximus, indulgentias fuisse annexas Fidelibus piè nostras Ecclesias visitantibus, ad denotandum non sufficere quamlibet visitationem; advertendum est, visitationem Ecclesiæ, ut piè fiat in præsenti casu, debere fieri in honorem DEI, aut DEIPARÆ Virginis, vel Sanctorum ejus, animo etiam consequendi indulgentias, & regulariter preces aliquæ fundendæ sunt; quibus autem precatio magis erit proportionata, quàm DEUM orare pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione.

Licet autem *Capite VIII.* dixerimus GREGORIUM XIII. commutasse *manus adjutrices* porrigendi eleemosynas nostris Religiosis domibus in alia opera pia, & quod Fideles non possint, visitando nostras Ecclesias, indulgentias consequi, nisi exerceant præfata pia opera, id intelligendum venit tantum de indulgentijs, quæ concessæ fuerant, *ob manus adjutrices*, & quæ, cum fuissent revocatæ à PIO V. revalidavit easdem GREGORIUS XIII. commutando manus adjutrices in alia pia opera, non vero de illis, quæ concessæ fuerant sub clausula porrigendi manus adjutrices; cum igitur Pontifices, qui concesserunt veniam tertiæ partis peccatorum, nullam injunxerint obligationem porrigendi manus adjutrices, sed eam concessere

quam

omnibus, qui contriti & confeſſi piè noſtras Eccleſias viſitaverint, ad nullum aliud opus ſunt adſtringendi, quàm ad piam viſitationem Eccleſiarum, modo ſuprà declarato.

Eſto autem etiam ſupra dixerimus, valdè probabile eſſe, per hanc clauſulam *contriti & confeſſi*, injungi Confeſſionem actualem, nihilominus ſua non caret probabilitate, ſufficere perfectam contritionem cum Confeſſione in voto, dummodo ſimul non præſcribatur ſuſceptio Euchariſtiæ, uti non præſcribitur pro indulgentijs, de quibus loquimur, Fideles, licet actu non fuerint confeſſi, modo probabiliter perfectam habeant contritionem, ſimulq; propoſitum confitendi ſuo tempore, non debent, ſervatis alijs ſervandis, noſtrarum Eccleſiarum viſitationem intermittere, cum probabile ſit, eos nihilominus præfatas indulgentias lucrari poſſe.

CAPUT XIII.

De Indulgentijs ab URBANO VI. cunctis Fidelibus, intuitu Ordinis Carmelitarum, conceſsis.

QUIA ſanctiſſimi Vatis ELIÆ Succeſſores, primi omnium Fidelium (ut manifeſtè tradunt Lectiones ſecundi Nocturni officij Divini feſti Commemorationis ſolemnis B. MARIÆ V. de monte Carmelo à ſacra Rituũ Congregatione non ſemel appobatæ) in monte CARMELO, Sacellum eidem beatiſſimæ Virgini MARIÆ conſtruxerunt, & ad illud quotidiè ſæpiùs convenientes, ritibus pijs, precationibus ac laudibus illam veluti ſingularem Ordinis tutelam, in principio Evangelicæ prædicationis coluerunt, paſſim ab omnibus, *Fratres B. MARIÆ de monte Carmelo*, appellari cœperunt. Hoc ipſum, præter alios complures, Joannes Trithemius *Lib. 1. de ortu & progreſſu Ord. Carm. Capite VII.* confirmat his verbis: *Sicut ex veterum lectione didicimus titulum hunc Carmelitis maximè convenire ſcimus; quos ab exordio ſuæ inſtitutionis DEI Genitricem ſemper in maximo honore & reverentia habuiſſe non dubitamus. Enimverò non diu poſt Domini Paſſionem, creſcente per Judæam fide Chriſtiana, Fratres montis CARMELI, Capellam in ejuſdem montis latere, in DEI Genitricis honorem conſtruxe-*

273. Quinam primi omnium Templum aut Sacellum in honorem SS. Virgin. erexerint?

Cur, & quando Carmelitæ *Fratres B. MARIÆ V.* appellari cœperint?

struxerunt: eamq; in Ordinis sui Advocatam & Patronam elegerunt, & Fratres ejus deinceps appellati sunt. Sicut ergò à CARMELO Carmelitæ, ita à CAPELLA quàm ædificarunt, usq; in hodiernum diem, FRATRES BEATISSIMÆ DEI GENITRICIS appellantur. Et digna quidem denominatio, ut qui Deiparam Matrem speciali semper amore venerantur, etiam illius sint titulo clarius. Hactenus ille. Speciosissimum hunc titulum, licet non pauci Romani Pontifices confirmaverint, nonnulli, maximè in Anglia, spiritu livoris & invidiæ concitati, vehementer impugnarunt, asserentes Carmelitas non *Fratres B. MARIÆ DEI Genitricis*, sed cujusdam Mariæ Eremiticæ, inhabitantis montem Carmeli, per Angelum conversæ, nuncupandos.

Impugnatores Ord. Carmeli divinitùs morte subitanea plectuntur.

Ad malevolos hos æmulos comprimendos, ac Carmeli Ordinis titulum tuendum ac propugnandum celeberrima Universitas Cantabrigiensis anno 1374. die 23. Februarij solemne decretum promulgavit: & plures ex impugnatoribus (Cœli Regina Clientum suorum causæ patrocinante) subitanea morte mox divinitùs sublati sunt. Id cum Cestriæ in Anglia, solemnis eo tempore processio institueretur, in qua cum, juxta suum ordinē procedentes Carmelitæ, transirent ante quandam ligneam DEIPARÆ Virginis imaginem, quæ in maxima illic erat veneratione, dicerentq;, ei sese inclinantes: *AVE MARIA.* Lignea imago eos capite inclinato resalutat, digitoq; ad eosdem extenso, ter elatiori voce dicit: *ECCE HI SVNT FRATRES MEI.* Hoc tam raro prodigio, DEIPARA Virgo divinitùs manifestare voluit, quàm sibi probetur, & complaceat præfatus Ordinis sui titulus ac nuncupatio. Vide sis hæc fusiùs conscripta apud Lezanam in *Mariano Patronatu Cap. 5. num. 3.* Franciscum Potelium *Lib. de antiquit. Ord. Carm. Tract. de Miracul. B. M. V. de monte Carmelo*, Danielem à Virg. MARIA & alios.

Nota admirandum prodigium circa statuam beatiss. Virg. MARIÆ in favorem Carmelitarum.

274. *Urbanus VI.* singulares confert indulgent. omnibus Carmelitarum Ordinem

TANDEM causa hæc, per Illustriss. D. Bartholomæum tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem defertur ad URBANUM VI. Pontificem Maximum; qui ut detrahentium ac contradicentium ora obstrueret ac confunderet, titulumq; ab aliquot jam Sæculis latum, & à suis Prædecessoribus multoties confirmatum, magis commendaret, omnibus Christi Fidelibus, qui Ordinem ipsum, seu Fratres ejusdem Ordinis, *Ordinem*, seu *Fratres beatissimæ MARIÆ Genitricis DEI de monte Carmelo* vocaverint, nominaverint, seu appellaverint,

ſi in gratia extiterint, indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum perpetuis temporibus duraturam conceſſit, anno 1380. Pontificatus ſui anno ſecundo. Hanc indulgentiam poſtmodum confirmarunt SIXTUS IV. JULIUS II. ac GREGORIUS XIII.

vel ejus Religioſos nuncupantes, *Ordinem* vel *Fratres B. MARIÆ V.* de monte Carmelo.

Quanquam verò hæc indulgentia primum ab URBANO V I. non per Bullam, ſed vivæ vocis oraculo conceſſa fuerit, non tamen ideò cenſendum eſt, fuiſſe revocatam ab URBANO VIII. per Conſtitutionem incipientem, *Aliàs felic. recordat. Gregorius Papa XV.* ſub die 20. Septemb. ann. 1631. in qua revocantur omnes conceſſiones, & gratiæ vivæ vocis oraculo, etiam ad inſtantiam Cardinalium conceſſæ, & ipſorum manu firmatæ.

275.

Probatur, hanc indulgentiã nunquam fuiſſe revocatam.

PRIMÒ, quia complures viri doctiſſimi exiſtimant, in præfata revocatione minimè comprehendi conceſſiones indulgentiarum, ſiquidem Pontifex eas ſolùm conceſſiones, gratiaſq; vivæ vocis oraculorum, quæ à nonnullis minus canonica interpretatione extendebantur, ac perperam in Eccleſiaſticæ diſciplinæ jacturam executioni demandabantur, qui adæquatus fuit hujus revocationis finis, ut colligere eſt ex his ipſius Conſtitutionis verbis: *Sapè ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum exequutioni demandari: idcircò, quantum cum Domino poſſumus, his & alijs malis occurrere volentes, motu proprio* &c. Conſtat autem indulgentias, ac præſertim hanc, de qua diſſerimus, haud extendi minus canonicè, nec in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentũ executioni demandari, nec ex illa ullum ſequi malum, aut cuipiam aliquod inferri præjudicium, ex quo fit, ut quoad eam ceſſet adæquatus Conſtitutionis, diſpoſitionisq; ejus finis; ceſſante autem fine adæquato Apoſtolicæ alicujus Conſtitutionis, ceſſat juxta unanimem Doctorum ſenſum & ipſa Conſtitutio, ejuſq; diſpoſitio.

Quænam vivæ vocis oracula ab *Vrbano VIII.* revocata fuerint?

Secundò, quia Pontifex in dicta Conſtitutione non revocat abſolutè, & univerſaliter omnes conceſſiones, gratiaſq; vivæ vocis oraculo quibuſvis perſonis conceſſas, ſed illas duntaxat, quæ conceſſæ fuerant Superioribus, ac perſonis cujuscunq; Ordinis, Congregationis, inſtituti, ac Societatis, vel ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis ac Societatibus, uti ex his patet verbis: *omnia & ſingula privilegia, facultates, licentias, ac gratias quascunq; per ſummos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac per nos, vivæ vocis oraculo, & S. Rom. Eccleſiæ*

Card.

Cardinalium quorumcunq; manu firmata, quibuscunq; Generalibus, Provincialibus, cæteriſq; Superioribus, & perſonis cujuſvis Ordinis, Congregationis, inſtituti & Societatis, ſive Sæcularibus ſive Regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus Congregationibus, inſtitutis & Societatibus, etiam Societati IESV, aut quo Clericis ſeu presbyteris, aliiſq; perſonis prædictis, quacunq; de cauſa &c. tenore præſentium revocamus. Quare ſub hac revocatione minimè continentur concessiones ac gratiæ vivæ vocis oraculo conceſſæ alicui perſonæ particulari, quæ non ſit de aliquo Ordine, Congregatione, inſtituto vel Societate: nec etiam conceſſæ omnibus Chriſti Fidelibus: Indulgentia verò, de qua modo diſſerimus, non fuit conceſſa Ordini noſtro, nec noſtris Fratribus, ſed omnibus Chriſti Fidelibus recantibus, nominantibus & appellantibus &c. ergò in præfata revocatione non continetur.

276. Privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & ab alijs Pontificibus ex certa ſcieniia innovata, ac de novo conceſſa, non fuêre per *Vrbani VIII.* conſtitutioné revocata.

TERTIÒ valdè probabilis, & mihi certa videtur ſententia Doctorum aſſerentium, illa privilegia, quæ primum vivæ vocis oraculo conceſſa fuêre, at poſtmodum ab alio Pontificè ex certa ſcientia innovata, & de novo conceſſa, non fuiſſe revocata per prædictam URBANI VIII. Conſtitutionem. Quia cum confirmatio ex certa ſcientia, & innovatio vim habeant novæ conceſſionis, privilegia quæ prius tantum vivæ vocis oraculo conceſſa fuerant, ſed poſtea à Sede Apoſtolica ex certa ſcientia confirmata, & innovata, poſt hanc confirmationem & innovationem cenſentur conceſſa, nedum vivæ vocis oraculo, verum etiam per Bullam: Conſtitutio verò URBANI gratias vivæ vocis oraculo ſolum conceſſas revocat; quare noſtra hæc URBANI VI. indulgentia non eſt: licet enim ab ipſo anno 1380. primum vivæ vocis oraculo conceſſa fuerit, poſtmodum per Bullam à SIXTO IV. per Bullam incipientem, *Dum attenta meditatione* ſub dat. Romæ ann. 1477. Kalendis Aprilis, Pontificatus ſui anno ſexto, fuit ex certa ſcientia approbata, innovata, & de novo conceſſa; cum Sanctitas ſua in dicta Bulla, *ex certa ſcientia, & motu proprio* approbaverit, innovaverit, ac de novo conceſſerit ſingulas indulgentias, ac alias ſpirituales, & temporales gratias Ordini B. Mariæ de monte CARMELO, & illius domibus, Eccleſijs & perſonis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſas &c. cum autem dictio *quomodolibet* ſecundum Doctores complectatur omnia, omnesque modos, nullamq; patiatur exceptionem, dicendum erit,

TUM IV. confirmaſſe, innovaſſe ac de novo conceſſiſſe indulgentias à ſuis Prædeceſſoribus quovis modo, ſive per Bullam, ſive per Oraculum conceſſas, ac proinde etiam indulgentiam, de qua agimus: quæ propterea, cum non modo ſit conceſſa per Oraculum URBANI VI. verum etiam per Diploma SIXTI IV. nullatenus comprehendetur, ſub revocatoria vivæ vocis Oraculorum Conſtitutione URBANI VIII. Nec ſolus SIXTUS IV. verum etiam GREGORIUS XIII. in ſua Bulla incipiente, *Vt laudes.* Dat. Romæ Pontificij ſui anno ſexto, Chriſti 1577. die 18. Septemb. prædictam URBANI VI. indulgentiam approbavit, confirmavit, innovavit &c.

Quinam Pontifices hanc confirmaverint indulgentiam?

277.

Nova prorſus, omniq; admiratione digniſſ. viſa eſt R. P. Theophilo Raynaudo *Part.* 1. *Cap.* 3. Operis ſæpiùs citati, hæc URBANI VI. indulgentiarum elargitio, & mirificè benevolus in Marianum Ordinem affectus, quod abundè produnt ſubjecta ejuſdem verba, & diſcurſus. [Et quidem (inquit) hæc URBANI largitas, plurimorum ſubſequentium Pontificum confirmatione ſtabilita adeò honorifica huic ſacro Cœtui eſt; ut ſtuporem injiciat attentiùs eam conſideranti. Conceſſas ſanè indulgentias legi, certas pro aliquo orationes fundentibus, v. g. INNOCENTIUS IV. decem dies indulgentiarum elargitus eſt, precantibus pro Rege Francorum, ut refertur in Gloſſa Pragmaticæ ſanctionis, & à Selva in Opere de Beneficijs. Adjecit ad eam ſummam CLEMENS Papa 100. dies, Joanne Feraldo teſte. Cumulavit inſuper eam largitatem LEO X. anni integri erogatione, ut eſt apud Benedictum ad caput *Raynutius*, & apud Heliam Turonenſem in Concordatorum defenſione. Celebratur hæc è cenſu Theſauri Eccleſiaſtici deprompta largitas. Et tamen agitur de Rege, nec qualicunq;, ſed de Eccleſia DEI jam olim benemeritiſſimo. Nec confertur indulgentia, niſi fundentibus orationem. Et eſt indulgentia aliquot dierum, & tandem nonniſi anni unius. Res hic eſt prorſus alia. Nam agitur de pauperculo aliquo Religioſo, in quem quis incurrat, caſu factum ſibi obvium: nec mandatur precatio ulla, vel genuflexio, aut demiſſionis ſignum quodpiam: ſed preciſè depoſcitur, ut quis dicat de obvio ſibi Carmelita: *Ecce Frater gloriosiſſimæ Virginis* MARIÆ. Stipendium verò indultum eſt multò auctius; triennij ſcilicet, & totidem Quadragenarum. Me ſanè (ut præmittebam) hæc exornatio ſtupore defigit. Eſt enim ornamenti genus,

Notanda P. Raynaudi hujus gratiæ Pontificiæ ponderatio. In præm. 3. verb. *meretur* quæſt. 23. privil. 3.

quod nunquam legi, nunquã audivi, in alio quocunq; eventu esse collatum, ut ad nudam appellationem, aut demonstrationem certæ superstitis personæ, haud tenue stipendium promatur è Thesauro Ecclesiastico. Sed nimirum perspexêre Pontifices, tenerrimum DEIPARÆ affectum erga hunc Ordinem, velut abs se editum, & mammis pietatis lactatum, & in Filiorum ac Fratrum sortem ad optatum. Ideoq; meritò censuerunt, tantæ Matris affectum ea gratitudinis significatione esse recolendum; & Fideles ad id præstandum, indulgentiarum illecebra esse pelliciendos. Et hæc quidem filiatio ac fratria, prærogativa est Ordinis Carmelitani jam ab ejus cunabulis, auspice DEIPARA.]

CAPUT XIV.

Referuntur aliæ eximiæ indulgentiæ à diversis Pontificibus in perpetuum concessæ.

278. Indulg. ad instantiam PP. Carm. Discalceatorum Fidelibus concessæ.

SIXTUS V. ad instantiam, & intuitu PP. Carmelitarum Discalceatorum benignissimè concessit, anno 1587. die 11. Julij, per Constitutionem incipientem, *Reddaturi* &c. omnibus Christi Fidelibus subjectas hic indulgentias, nunquã hactenus revocatas, quibus etiam Confratres nostri frui valent. *De omnipotentis DEI misericordia* (verba sunt Pontificis) *ac beatorũ Petri & Pauli Apostolorum ejus Authoritate confisi, FF. Discalceatis, & Christi Fidelibus, qui in illorum Ecclesijs Ferijs quintis Missæ, centum: qui verò prædicationi, aut Lectioni Verbi DEI interfuerint, alios centum: nec non qui ad orandum interim accesserint, quinquaginta dies; qui deniq; confessi eo die ibi communicaverint, tres annos, & totidem quadragenas, de eis injunctis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs, misericorditer in Domino relaxamus.*

Indulgentiæ SS. nomina IESU aut MARIÆ reverenter nominantium. Nota pro hac indulg. plen. in articulo mor-

Et quia non est aliud nomen sub Cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi nomen IESV, idcircò omnibus & singulis Christi Fidelibus, qui hoc modo salutaverint alios, nempè suo vulgari aut latino sermone Laudetur Jesus Christus: *& his, qui responderint:* in secula, *vel* amen, *aut* semper: *utriq; tam salutantibus, quã respondentibus, quinquaginta, ubicunq; id factũ fuerit: qui autẽ nomen IESV ore nominaverint reverenter, vel nomen MARIÆ viginti quinq; dies; qui verò in mortis articulo ore, vel corde (si ore non potuerint) idem nomen invoca-*

vocaverint, dummodò ante habuerint conſuetudinem ſic ſalutandi, vel nominandi idem nomen IESV, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem.

Quiq; Litanias ejuſdem ſanctiſſ. nominis recitaverint, trecentos: qui Litanias ejuſdem beatiſſ. Virg. MARIÆ, ducentos: nec non Prædicatoribus Verbi DEI, qui inter prædicandum ad hunc modum ſalutandi, invocandi, vel recitandi ſeu nominandi nomen IESV & MARIÆ Auditores monuerint, & quicunque hanc ſalutationis formam uſui eſſe curaverint, eaſdem indulgentias ac peccatorum remiſſiones conſequantur, authoritate & tenore præmiſſis concedimus & elargimur. Volumus autem, ut prædictæ Litaniæ nominis IESV, & B. MARIÆ, juxta morem & conſuetudinem in Romana Curia, & domo B. MARIÆ Virg. uſitatum recitentur. Quod indultum extendatur etiam ad Indos &c.

Decernentes præſentes Literas nullo unquam tempore, per quaſcunq; alias Literas Apoſtolicas revocari, ſuſpendi, aut limitari, ſeu illis derogari poſſe; & ſi illis aliquando derogari, aut ſuſpendi, vel revocari, aut limitari contigerit, in genere vel in ſpecie ſtatim in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa erant ſtatum, reſtitutas, repoſitas & plenariè remtegratas eſſe, & cenſeri debere, revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs in contrarium facientibus, quibuſcunq; non obſtantibus. Cæterum, quia &c.

tis non exigi confeſſionem ac communionem, ut in illa *Pauli V.* de qua ſup. *Cap. 5. & 6.* Indulg. pro recitantibus Litanias de nomine JESU, aut de B. Virg. Decernitur præſentes Literas nullo tempore poſſe revocari.

JOANNES XXII. conceſſit quoq; omnibus ſanctiſſimum MARIÆ nomen invocantibus ſexaginta dies indulgentiæ.

279. Indulg. SS. nomen MARIÆ invocantium.

CLEMENS IV. teſte Adriano Lyræo, in *Triſagio Mariano*, conceſſit ad petitionem S. Ludovici Regis Franciæ, trium annorum indulgentiam omnibus pronuntiantibus toties quoties ſubjecta verba: *Benedictum ſit dulciſſimum nomen Domini noſtri IESV Chriſti, & glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ Matris ejus, in æternum & ultra, amen. Nos cum Prole pia benedicat Virgo MARIA.*

LEO X. conceſſit omnibus ac ſingulis, qui qualibet hora diei naturalis ad ſonum horologij, ſalutando atq; invocando SS. Virginem, ſemel recitaverint *Ave MARIA &c.* pro qualibet vice mille dies indulgentiarum. Confirmavit PAULUS V. anno 1611.

Indulg. pro recitantibus ad ſingulas diei horas *Ave MARIA.*

Item recitantes ſemel Salutationem Angelicam, quando audiunt pulſum ad Horas Canonicas, qui ſit ſepties in die, lucrantur ſeptem millia dierum indulgentiæ. Caſarubius in *Compend. privileg. verb indulg. quoad ſæcul.*

Itē ad pulſum pro horis Canonicis.

ADRIANUS VI. conceſſit omnibus Chriſti Fidelibus indulgen-

Indulgent. plen. pro recitantibus 3. *Ave Maria* cum adjunctis ℣. & Orat. ad sign. dari solitum post post solis occasum, &c.

tiam plenariam, recitantibus ad tria signa campanæ, quæ post Solis occasum fieri solent, sequentes tres vers. singulis subjungendo Salutationem Angelicam.

Angelus Domini annuntiavit MARIÆ, *& concepit de Spiritu sancto,* Ave MARIA.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Ave MARIA.

Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ave MARIA. Subjungatur in fine Oratio: *Gratiam tuam quæsumus Domine &c.* Lezana *Tom. 3. qq. Reg. verb.* indulgentia *num.* 20. Eman. Rodriq. *Tom. 2. q. 88. art.* 12. Diana 4. *Part. Tract.* 4. *resol.* 24. & alij.

280.

Indulg. pro recitantibus decies *Ave Maria* &c. Item pro recitantibus 5. *Pater* & *Ave*, &c. Item quindecies orationem Dominic. & Salutationē Angelicam, &c. Indulg. pro venerantibus Conceptionem immaculatam B. V.

LEO X. concessit anno 1514. decem millia annor. indulgent. omnibus recitantibus decies Salutationem Angelicam in memoriā & honorem decem Evangelicarum Virtutum SS. Virg. MARIÆ: confirmavit *Paulus V.* an. 1606.

Idem concessit cunctis recitantibus quinquies Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica in memoriam, ac honorem quinque Vulnerum Christi D. N. & quinque præcipuorum Dolorum SS. Virginis MARIÆ decies mille dies indulgent. illis verò, qui quindecies Orationem Dominicam, Salutationemq; Angelicam in honorem omnium plagarum Redemptoris N. JESU Christi, pro existentibus in peccato mortali recitaverint, pro qualibet vice veniam tertiæ partis peccatorum suorum indulsit. Casarubius *loc. cit.* & alij.

PAULUS V. concessit centum dierum indulgent. cuicunque semel dicenti sequent. Antiph. vers. & Orationem.

Ant. *Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.*

℣. *In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti.*

℟. *Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.* Orat. DEVS, *qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filij tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum* JESVM *Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti* DEVS, *per omnia sæcula sæculorum, Amen.*

Sequentem orationem persolvens toties quoties obtinet indulg. plen. ex concessione INNOCENTII VIII. ad instantiam Elisabe-

liſabethæ Hiſpaniarum Reginæ, teſte P. Antonio Maria de Rheita, in *Faſciculo ſacrarum deliciarum.*

Ave Virgo glorioſa, ſtella ſole clarior : Mater DEI gratioſa, favo mellis dulcior : Rubicunda pluſquam roſa, Lilio candidior : Omnis Virtus Te decorat, omnis Sanctus Te honorat, in cœlo ſublimior, Amen.

281. Indulg. oſculantium Scapulare Carmelit.

OSCULANTES habitum ſacrum, ſeu Scapulare Ordinis noſtri lucrantur quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis ſibi pœnitentijs, ex indulto JOANNIS XXIII. Magnæ quoque indulgentiæ conceſſæ ſunt decedentibus in hoc ſacro habitu, & eligentibus in eo ſepeliri, quas refert P. Lezana *Tom. 3. qq. Reg.* Verb. *Habitus Regularis.* & audientibus Conciones Carmelit. aut aliorum Regularium Mendicantium, quas vide apud eundem Lezanam *Tom. cit.* Verb. *Concionator.* ac Dianam 4. *Part. Tract. 4. reſol. 22.*

Audientiũ Miſſam &c.

Audientes Miſſas Regularium quocunque tempore, pro qualibet vice lucrantur centum dierum indulg. ita cum Rodriq. Pellizarius *Tom. 2. Tract. 8. cap. 2. ſect. 2. num. 136.*

Indulg. plenar. pro Feſto S. *Joſeph, S. Tereſiæ*, & *SS. Angeli & Alberti.*

GREGORIUS XV. per Diploma incipiens, *Splendor Paternæ Gloriæ.* conceſſit an. 1622. die 19. Septemb. in perpetuum, omnibus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis ac ſac. Communione refectis, qui Eccleſias Carmelitarum Diſcalceatorum in die feſto S. TERESIÆ 15. Octobr. à primis veſperis uſque ad occaſum Solis hujuſmodi feſti devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matr. Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem. Similes indulgent. ſeu Jubilæum perpetuum conceſſit idem Pontifex an. 1623. omnibus Fidelibus, verè pœnitentibus, confeſſis ac ſac. Communione refectis, devotè viſitantibus prædictas Carm. Diſcalceat. Eccleſias, & in eis, ut præfertur, orantibus. in feſto S. JOSEPH 19. Martij. Conceſſas ab eodẽ Pontifice an. 1621. indulgentias plenarias omnibus Chriſti Fidelibus Eccleſias, Ord. Carmelit. viſitantibus, & in eis, ut præfertur, orantibus, in die Feſto S. ANGELI Martyris 5. Maij, & S. ALBERTI Confeſſoris 7. Auguſti, & ab URBANO VIII. confirmatas an. 1628. teſtatur P. Thomas Saracenus *lib. ſupra cit. 4. part. informat. 9.*

CAPUT XV.

Dissolvuntur nonnullæ circa præfatam indulgentiarum materiam dubitationes.

282. Curioso satisht quæsito.

QVÆRITUR *primò*, utrùm si quis ab alio impediatur per metum, qui cadat in constantem virum, aut alia via, nec perficiat, quæ præscripta fuerunt pro lucro indulgentiæ, vel bi causa, ne confiteatur peccata, aut Ecclesias visitet, &c. indulgentias nihilominus lucretur?

RESP. Secundùm rigorem speculationis, non lucrari, quia indulgentia alligata est tali operi, nec aliter fuit concessa. Sic videtur sentire Suarez, dum ait, eum qui per vim, aut multitudinem arcetur ab ingressu templi, non satisfacere pro indulgentia. Nolter tamen pluries in superioribus laudatus Irenæus à S. Jacobo, *loc. cit.* sentiendo de DEO in bonitate, qui præparationem cordis, voluntatemque respicit, cum ad ampliora vires non suppetunt, existimat lucrari, maximè si impedimentum alius apponat animo frustrandi tali indulgentia.

Tom. 4. in 3. Part. Tract. de indulg. disp. 52. sect. 1. num. 7.

Hinc pariter infert, si quis alteri mortis in articulo sacrum Scapulare eriperet, ne Sabbatinam lucraretur, aut æternum evaderet incendium, eum propterea à DEIPARÆ Virginis protectione atq; suffragijs non forè privandum.

283. Confrater deceptus à Confessario circà præstanda necessaria ò pro lucranda indulg. an illam obtineat?

QVÆRITUR *secundò*, quid si Confessarius, aut alius, qui conscientiæ consilia edere soleat, pœnitentem in consultatione decipiat, sive ex ignorantia, sive ex malitia: verbi causa, respondendo necessariam non esse confessionem, cum absolutè sit necessaria? RESPONDET ad hoc præfatus P. Irenæus, tutum esse pœnitentem, & lucrari indulgentiam. Ratio est, quod intuitu illius, qui petit consilium, voluntas Principis censeatur esse talis, qualis dicitur ab interprete ejusmodi, sive authenticè, & cum authoritate Principis, sive ut Doctor, legisque, de qua agitur, peritus respondeat. Nam utroque in casu unicam cum Principe facit personam, legisque alicujus interpretatio censetur eadem esse cum lege.

Duo advertenda in

Duo tamen animadvertenda hic sunt. *Primùm*, quod pœnitens alia via non possit errorem detegere, quantum est necesse ad ignorantiam

rantiam moraliter inculpabilem. *Secundùm*, hominem non affectaverit in Confiliarium, cujus doctrinam, aut conscientiam sciret suspectam. Tunc enim utrobique ignorantia affectata, vel crassa reum magis faceret, quam excusaret. Nec refert, quod peccet Confiliarius hujusmodi, nam illius peccatum pœnitenti non nocet: cum sola Confiliarij ratione exterius manifestata regatur, non autem ejusdem voluntate interiùs depravata. Quæ doctrina videtur vera non modo de indulgentijs, sed de quolibet alio morali negotio, etiã in materia justitiæ, ut quis excusetur à restitutione &c. EXCIPIO materiam Sacramentorum, quæque ad ea spectant, quorum examen remitto ad Theologos *Tertia parte summæ S. Thomæ.* Ex dictis sequitur Confratrem Sabbatino beneficio minimè spoliandum, etsi de consilio boni & litterati Confessarij Horas omiserit. Ita Irenæus.

hoc casu monentur.

QUÆRES *tertiò*, utrum unus Confrater possit consequi pro alio Confratre indulgentias? RESPOND. negativè. Ratio hujus est, quia alteri indulgentias, tibi, ob visitationem v. g. Ecclesiæ S. Pauli, vel ob quid simile à Papa concessas, lucrari, esset illi applicare merita Christi, quod solius est Pontificis, secundum D. Thom. in 4. *Sent. dist.* 20 *quæst.* 31. *art.* 1. & Richard. in 3. *dist.* 10. Nec refert, si dicas: indulgentiæ sunt concessæ æqualiter pro omnibus Confratribus, ergo consequi indulgentiam pro alio, non erit applicare ipsi merita Christi: quia jam sunt applicata à summo Pontifice, sed exequi pro ipso opus injunctum pro obtinenda indulgentia. Ad hoc enim respondetur, quod opera pro consequenda indulgentia ita injunguntur, ut sint personaliter implenda, ut notant Rodriquez in *Bull. Cruciat.* §. 8 *num.* 14. Graf. *lib.* 2. *Append. cap.* 5. *num.* 62. Homobon. *Par.* 2. *Exam. Eccles Tract.* 8. *q.* 21. Armilla *Verb.* indulgentia *num.* 19. Mercer. *de Sacram. quæst.* 27. *supplem. art.* 4 *dub.* 1 *quæst.* 21. Lambert. 3 *Part. Tom.* 3. *disp.* 5. *de indulg. art.* 3 *quæst.* 3. Duvall. 2. 2. *Tract. de indulg. part.* 1. *dub.* 3. *Conclus.* 3. Villalob. 1. *Part. sum. Tract.* 26 *difficult.* 15. *num.* 1. & alij communiter. Ideo neque hoc pacto potest quis pro alio applicare indulgentias, exercendo scilicet pro ipso opera injuncta. EXCIPIENDA sunt tamen illa opera, quæ ita possunt ministerialiter per alium exerceri, ut, hoc non obstante, ad huc sint opera ipsius committentis, ut esset erogatio eleemosynæ, ut advertunt etiam Mercerus & Villalob. *citati*, Navar. in *Miscell.*

284. Non potest unus Confrater pro alio indulg. consequi.

Miscell. de Rosar. Bossius. *sect.* 4. *de jubil. casu* 8. *num.* 15. Bonacin. *disp.* 6. *de Sacram. quæst.* 1. *punct.* 5. *num.* 24.

285. Peccans sub spe indulg. eas consequitur.

QUÆRITUR *quarto*, An peccans sub spe indulgentiarum Confraternitatis possit eas consequi?

RESPOND. poterit quidem secundum sententiam Navarri, in *Miscell. de Oration. num.* 6. *q.* 3. ubi tamen id limitat, quando in Bulla concessionis indulgentiarum diceretur, *ne spe illarum peccantes, &c.* & in *consil.* 10. *incip.* quæritur. *num.* 3. *de privilegio lib.* 5. sequitur Graff. *suarum Decis. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 13. *num.* 59. & est communis fere omnium sententia, dum loquuntur de eo, qui incidit in reservata, spe obtinendæ absolutionis virtute jubilæi, aut alterius facultatis seu indulti. Ita Sylvester *verb.* indulgentia *num.* 28. Corduba *lib.* 5. *de indulg. quæst.* 37. *propos.* 3. Rodriquez in *Bullam Cruciat. §.* 9. *n.* 97. Zerola *lib.* 2. *de Iubilæo cap.* 3. *quæst.* 3. Conrad. *part.* 1. *Resp. quæst.* 208. Lavor. *part.* 1. *de jubil. cap.* 21. *num.* 63. Acosta *in Bull. Cruc quæst.* 33. Leonius *part.* 2. *de jubil. cap.* 14. Ledesma *part.* 1. *sum. cap.* 13. *de pœnit. dub.* 10. *post.* 1. *concluss.* Villalob. *part.* 1. *sum. Tract.* 27. *clauss.* 9. *§.* 2. *num.* 19. & alij. Spes enim in peccante obtinendæ veniæ, aut remissionis, includit virtualiter propositum emendationis, sed ideo non inducit novum peccatum, sed præsens minuit, ut notat D. Thom. 22. *quæst.* 21. *art.* 1. *ad* 3.

286. QUÆRITUR *quintò*, An indulgentia concessa visitanti Ecclesiam &c. pluries eadem die obtineri queat? Licet hujus quæst. solutio ex his, quæ supra non semel innuimus, & tetigimus, constare possit, juvat tamen hic aliorum circa hoc sententiam audire. Gemin. & alij in *Cap. fin. de pœnit. & remiss.* Navarrus in *Tract. de jubil. & indulg. Notab.* 31. *num.* 36. qui plures, & ipsum S. Thomam *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 4. pro hac opinione adducit, respondent semel tantum posse talem indulgentiam quempiam consequi. Alij tamen absolutè tenent, toties acquiri indulgentiam, etiamsi sit concessa pro tali die, quoties exercetur opus injunctum. Ita Cardin. in *Clement.* 1. verb. *Quibus. quæst.* 3. *de privileg.* & in *Clement.* 2. verb. *Ad hoc. q.* 2. *de pœnit. & remiss.* Rosella *verbo* indulgentia, *num.* 12. Angel. *num.* 4. Nugnus in 3. *part. Tom.* 2. *Tract. de Bull.* Bonacina de Sacram. *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 1. *num.* 32. Villalobos in *Summ. Tom.* 1. Ægidius Trullench in *Bull. Cruc. lib.* 1. *dub.* 4. Diana *Tract.* 12. *de indulg. resol.* 45. & *part.*

Part. 1. resol. 104. Tract. 11. Rodriquez in *Bull Cruc. §. 8. num 15.* Vega *1. part. Summ. cap. 7. casu* 30. Gobat *de indulgent part. 2. cap. 5. n. 349.* fundaturque hæc opinio in probabilissima ratione. Quia quando verba, quibus conceditur indulgentia, non continent aliquam restrictionem ad unicam vicem, sunt apta significare tanquam indefinita non minus unam quam plures vices: ergò cum tanquam continentes gratiam amplè sint accipienda, debent accipi de pluribus vicibus. Quænam verò ex his duabus sententijs videatur verior & securior, & in in quo sensu, constat ex dictis supra *num. 271.*

Nonnemo conatur duas has inter se dissidentes opiniones conciliare, mediante subjecta indulgentiarum distinctione: dicendo prioris sententiæ Patronos loqui de plenarijs seu totalibus indulgentijs, posterioris verò de non plenarijs seu partialibus, & has pluries eadem die adipisci posse, non verò illas: cum enim non plenariæ non ex integro una vice totum reatum pœnæ temporalis, divinæ justitiæ debitæ, exhauriant seu tollant, sed tantum partialiter, seu partem illius, poterit quis pluries in die visitando Ecclesiam illas lucrari: secus verò se res habet in plenarijs; hæ quippe cum semel obtentæ totum simul reatum tollant, adeoq; nullam amplius materiam post se pœnæ temporalis debitæ in tali subjecto relinquant, haud videtur ejusmodi hominem alterius indulgentiæ plenariæ esse capacem: quia sublato jam omni pœnæ reatu, præsenti veluti materia, indulgentiæ plenar. quasi forma verè ampliùs in tali subjecto locũ habere non posse videntur; cum cessante materia cesset & forma, &c. nisi quis, ut supra *Cap. XI.* diximus novum aliquod peccatum illo die committat &c. aut nisi indulgentiæ illæ plenariæ, ex indulto Pontificis, defunctis applicari possint, tunc quippè pluries visitando Ecclesiam eas indulgentias etiam plenarias lucrari quis poterit, semel videlicet pro se, & semel aut iterum pro defunctis.

287. Indulgent. Confratribus concessæ nequeunt propria authoritate defunctis

QUÆRITUR *sextò*, An supra relatæ indulgentiæ Confratribus concessæ, possint ab ijsdem propria authoritate defunctis Confratribus, aut alijs applicari: dixi *propria authoritate*, quia authoritate Pontificia certum est id fieri posse. Certum est etiam, quod postquam indulgentiæ suum habuerunt effectum, non possint ampliùs alijs communicari, cum enim indulgentiæ effectus sit pœnas relaxare seu remittere, per veram & juridicam Pontificis, vel Delegati absolu-

aut alijs applicari: & quomodo id fieri possit, exponitur.

tionem, & pœnæ remissio, postquam per indulgentiam facta est uni, alteri eadem fieri nequeat, cum sit personalis, inabdicabilis, & ab ipsa persona inseparabilis, sequitur, quod postquam indulgentia suum habuit effectum, non possit, nec defunctis, nec vivis amplius applicari. Vnde solum dubium est, utrum antequam dicta indulgentia suum habuit effectum, possit defunctis applicari, non quidem certo & infallibiliter, sed ex pio offerentis voto, & divina acceptatione; ut si quis purgantium animarum devotus diceret: *Domine IESV peto, ut hanc N. vel has N. N. indulgentias, quas pro me consequi possem, applicare digneris tali, vel tali defuncto; &c.*

Communis sententia id fieri posse negat, ut videre est apud Dianam *Part.* 10. *Tract.* 16. *resol.* 12. Et ratio est; quia postquam indulgentia suum habuit effectum inabdicabilis est, ut modo dicebamus, ac proinde non potest alijs applicari: antequam autem suscipiens illam faciat suam, illam applicari non potest; cum nullus, excepto Pontifice, & ab ipso Delegatis, habeat Thesauri Ecclesiæ Claves, sequitur, quod nullus, privata possit authoritate, Christi, Sanctorumq; satisfactiones è Thesauro Ecclesiæ extrahere, alijsq; applicare, cum hæc satisfactionum extractio sit Clavium potestas, & certum sit, quod solus Pontifex, vel cui ipse Claves commiserit, authoritatem habeat dispensandi Thesaurum satisfactionum Christi, ac Sanctorum. Sed hæc ratio solum probat, non posse Fideles, propria authoritate, per potestatem jurisdictionis, aut Clavium, Ecclesiæ Thesaurum dispensare vivis aut defunctis, sed non probat, quod non possint Fideles DEUM exorare, ut velit illam satisfactionum partem, quæ sibi contingeret, ex talis v. g. Ecclesiæ, in qua indulgentia est, visitatione, aut ex talis, vel talis pij operis executione defunctis applicare. Unde puto sententiam P. Gobat in *Thesaur. indulg. part.* 2. *cap.* 21. *q.* 61. *num.* 466. aliorumq; modernorum probabilem esse, cum pia valdè sit, foveatq; pietatem in defunctos, ijsq; admodum sit utilis, nulliq; noxia, nec ipsi offerenti: qui hoc faciendo, actum eximium charitatis exercet, & si fortè DEUS illam indulgentiam ad offerentis votum applicare, aut acceptare renueret, in ipsius sinum revertetur, Ita P. Gabriel à S. Vincentio *Part.* 3. *de Sacram. pœnit. disp.* 13. *quæst.* 5. juxta Romanam editionem. Consuli etiam poterit P. Dominicus à SS. Trinitate in supra citato Tract. Polemico de anno Jubilæi *controvers.* 11. *cap.* 2. 3. 4. & 5. Quæ.

288. Ostenditur quomodo inter se differant indulgentiæ, & bonorũ communicatio operum.

QUÆRES *septimò*, An, & quomodo inter se differant & discrepent indulgentiæ, de quibus in *hac Parte*, & Communicatio meritorum seu bonorum operum, de quibus in *III. hujus Operis Parte* disseruimus?

Attigerunt hanc materiam ac difficultatem S. Thomas in 4. *sent. distinct.* 20. *art.* 3. & 4. similiter Soto in 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. Navarrus Tract. Miscell. *de Psalt. Virg. Miscell.* 11. *num.* 4. *quæst.* 6. Corduba *lib.* 5. *de indulg. quæst.* 42. *punct.* 4. & alij nonnulli, è quorum doctrina conijcere licet, quod, & quantum, ac quomodo prædicta inter se discrepent. QUINQ; inter indulgentias & jam dictam bonorum operum communicationem reperio discrimina: quorum *primùm* est, quod indulgentiæ, ut tales, valent duntaxat ad satisfaciendum DEO, pro pœnis debitis ratione peccatorum præteritorum, & quoad culpam jam dimissorum: at communicationes bonorum operum non solum ad hoc servire queunt, verum etiam ad obtinenda complura bona, tum temporalia, tum spiritualia, & permulta avertenda mala &c. per modum meriti de congruo, vel impetrationis; uti suprà *Parte III. Cap. II. V. & VI.* dictum est.

Alterum discrimen est, quod indulgentiæ solum serviunt pro satisfactione delictorum commissorum ante tempus, quo quis illas lucratur, seu fructum earum consequitur: at præfata bonorum operum participatio servit ad remedium malorum præteritorum, præsentium, & futurorum, & ad impetrationem, ac conservationem multorum beneficiorum ac bonorum, atq; etiam ad satisfactionem pœnarum in hac, aut altera vita exolvendarum, si ad hoc, (ut in dicta *III. Part.* non semel expositum est) specialiter applicentur.

Tertium discrimen consistit in eo, quod per indulgentias applicentur satisfactiones Christi Domini, DEIPARÆ Virginis, cæterorumq; Sanctorũ, repositæ in communi Ecclesiæ Thesauro: verum per præfatam communicationem, quoad vim satisfactoriam nequeunt applicari bona opera personarum particularium, aut alicujus Religionis jam facta, sed solummodo præsentia, aut futura, cum non detur Thesaurus privatus, cujus illi clavem habeant, distinctam à communi clave Pontificibus commissa, ut latius expositum Cap. *V. dictæ Partis.*

Quartum discrimen est, quod in indulgentijs, sicut & in Sacra-

mentis applicantur merita passionis Christi, & hoc nonnisi per clavem Ecclesiæ, ac de communi Thesauro ejusdem : verum præfata meritorum communicatio non fit per clavem Ecclesiæ, neq; de communi Thesauro ipsius, sed de bonis Religionis aut Congregationis illius, quorum fit dispensatio ; nec fit authoritate aliqua potestatis super Ecclesiæ Thesauro, aut particularis personæ, sive Communitatis, cum talis non detur, uti *loco citato* diximus, sed solum fit potestate communi naturali, quàm quilibet habet in suis, aut sibi commissorum bonis, ad distribuendum, vel donandum ea alijs. Hinc sequitur, quod per indulgentias homo liberatur, in foro DEI & Ecclesiæ, à pœnis debitis, atq; etiã injunctis per Confessarium pœnitentiis, quia constat de infinitate prædicti Ecclesiæ Thesauri, ac de ejus omnimoda sufficientia : & quia fiunt authoritate ejus, qui à lege & obligatione Ecclesiæ, per talem satisfactionem, via indulgentiæ factam, liberare potest. At per præfatas bonorum operum communicationes, etiamsi fiant per Papam, cum non fiant, nisi de bonis personarum particularium, aut Congregationum, quæ nec sunt infinita, nec constat esse sufficientia ad talem satisfactionem, non liberatur homo, saltem in foro Ecclesiæ, à pœnitentijs injunctis per Sacerdotem; neq; vim habent indulgentiarum, sed communicationes & suffragia dicuntur, prout tradit Angelicus Doctor in 4. *dist.* 20. *art.* 3. & 4. & in *supplem.* 3. *part. quæst.* 26. *art.* 1.

Quintum demum discrimen in eo versatur, quod in indulgentiarum largitione verè & propriè reperitur clavis jurisdictionis, & auctoritativè fit per illas pœnarum peccatis dimissis debitarum relaxatio : verum quando Prælati, aut Personæ particulares applicant sua, vel Communitatis suæ bona opera ac suffragia, quæcunque etiam illa sint, non utuntur clave jurisdictionis ullo modo authoritativè, nec propria authoritate remittunt, aut relaxant tunc peccatorum pœnas, sed solummodo ea applicant alijs ex charitate, sine ulla authoritate jurisdictionis.

PARS

PARS QUINTA,

De alijs Privilegijs seu Beneficijs Confraternitati B.mæ Virginis MARIÆ de monte CARMELO â Sede Apostolica indultis.

CAPUT I.

Nonnulla Privilegia, quibus hoc tempore Confratres Parthenij sacri Scapularis, ex concessione CLEMENTIS VII. frui valent, compendiò recensentur.

289. In quo differant privilegium & indulgentia?

PRIVILEGIUM differt ab indulgentia, quod hæc sit remissio pœnæ temporalis pro culpa jam remissa debitæ: illud verò facultas agendi, absolvendi, dispensandi, eximendi &c. Unde omnis indulgentia est privilegium, non è contra: nam plures fieri possunt concessiones præter exemptionem â dicta pœna &c.

Privilegia à Sede Apostolica Confratr. Parthenijs concessa, à *Paulo V.* nullatenus revocata fuêre, ideóque illis hoc etiam tempore frui possunt.

Præter indulgentias, quas sacri SCAPULARIS nostri Confratres lucrantur, plura à summis Pontificibus accepêre Privilegia, quæ in supra relata PAULI V. revocatione minimè comprehenduntur, ut manifestò constat ex ipsius Bullæ littera & tenore, observatumque fuit â Rmo. Theodoro Stratio & P. Lezana citatis, imo nulla deinceps alia Constitutione fuêrè retractata directè, & immediatè. Possunt proinde Confratres Mariani nostri Scapularis liberè ac licitè nunc frui & gaudere omnibus privilegijs, & gratijs olim illis à CLEMENTE VII. concessis in Bulla, *Ex clementi sedis Apostolicæ provisione &c.* sub dat. Romæ pridiè idus Augusti, an. 1530. (quam PIUS V. & GREGORIUS XIII. postea confirmarunt) modo sacro Concilio Trident. & Romanorum Pontificum decretis non adversentur, nec sint revocatæ, vel sub aliquibus revocationibus contentæ, quas propterea operæ pretium duximus hic esse recensendas.

Possunt sibi eligere Cõfessarium : & qualis ille esse debeat ?

Habent igitur *primo* Confratres nostri, virtute Concessionis per dictam Bullam factæ, potestatem sibi eligendi quemlibet Sacerdotem idoneum, sive Sæcularem, sive Regularem in suum Confessorem, sine tamen Parochialis Ecclesiæ præjudicio ; qui ut hoc sit idoneus tẽpore, si sit Sæcularis debet esse ab Ordinario approbatus ; si autem sit Regularis debet esse non modo ab Ordinario approbatus, verum etiam â suo Superiore, vti statim dicemus.

290.

Est in Ecclesia potestas quædam peccata reservandi.

Ut autem hanc potestatem sive facultatem enucleatiùs declaremus, supponendum est *primò* : certum esse de fide, definitum in Concilio Trident. *sess.* 14. *Cap.* 7. *& Can.* 11. quod in Ecclesia sit potestas reservandi aliqua peccata judicibus superioribus : ita ut judices, sive Confessarij inferiores non possint ab illis absolvere, etiamsi sint Confessarij expositi. Quod adeo verum est, licet etiam inferiores habeant Jurisdictionem ordinariam, uti Episcopi & Parochi. Ratio evidens est, quia tota Jurisdictio Ecclesiæ dependet à summo Pontifice, & Jurisdictio Prælati inferioris â suo Superiore. Consulatur Waldens. noster *Tomo* 2. *de Sacramentis Cap.* 149.

Nonnulla sunt peccata reservata Papæ nonnulla Episcopis.

Supponendum *secundò*, de facto quædam esse peccata reservata, non tantum summo Pontifici, qualia sunt regulariter, quæ habent annexam aliquam censuram, verum etiam Episcopis, nec hoc tantum ex jure communi vel consuetudine ; sed quæ sibi specialiter reservant, juxta declarationem & instructionem sacræ Congregationis, ann. 1602. sub CLEMENTE VIII. quæ incipit, *Cum autem dubia quædam* &c. vide *Bullar.* Steph. Quarantæ V. *Casus reservati.*

Facultas elegendi Confessarium non sufficit ad absolutionem à reservatis.

Supponendũ *tertiò*, facultatem concessam ad eligendũ Confessorem, si aliud non exprimat, non sufficere ad absolutionem â peccatis reservatis ; hac enim generali concessione non comprehenduntur peccata reservata : sed requiritur insuper, quod hæc facultas exprimat specialiter, Confessarium eligendum posse â peccatis ejusmodi absolvere. Ita habetur expresse in *Cap.* Si Episcopis, *de pœnitent. & remissionib. in Sexto.*

Quid hæc facultas ante Concilium Tridentinum quid hoc

Supponendum *quartò*, ante Concilium Tridentinum potuisse illum, qui hanc potestatem habebat eligendi Confessarium, eligere quemlibet Sacerdotem idoneum, etiam non approbatum à loci Ordinario. Ratio est, quia ex parte eligentis erat facultas ad eligendum non impedita ; siquidem nullum erat positivum jus impediens, ex parte

parte vero sacerdotis erat capacitas ad recipiendam Jurisdictionem: siquidem nullo etiam jure impediebatur. Post tempora autem ejusdem Concilij requiritur, ut Confessor eligendus sit unus ex approbatis ab Episcopo, seu loci Ordinario; ita habetur in dicto Concil. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* tempore indulgeat?

Supponendum *quintò*, quo ad personas Regulares, prætextu facultatis concessæ ad eligendum Confessarium, etiam qui possit absolvere à casibus reservatis, non posse eligere Confessores præter eos, qui â suis Prælatis, pro audiendis eorum Confessionibus deputati sunt: quod respectivè etiam de Monialibus intelligitur. Ita habetur in Constitutione PII V. ann. 1571. cujus principium, *Romani Pontificis circumspecta benignitas.* ac CLEM. VIII. ann. 1599. 23. Novemb. Constitut. incipiente, *Romani Pontificis*, &c. atque in aliâ incipiente, *Quæcunque â sede Apostolica.* die 7. Decemb. an. 1604. Item per Constitutionem URBANI VIII. incipientem, *In specula militantis Ecclesiæ.* an. 1630. die 19. Junij. Quales debeant esse Regulares, ut eligi in Confessarium valeant?

291. Confessarius à Confratribus electus potest eos à quibusvis criminibus & delictis, censurisq; omnibus, exceptis infra referendis, absolvere semel in vita, & in morte &c.

Dico igitur Confratres nostros, virtute concessionis CLEMENTIS septimi, posse sibi eligere Confessarium, qui Confessarius sic electus potest eos â quibusvis, etiam majoris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis Censuris, & pœnis â jure quavis occasione, vel causa pro tempore latis, & â quibusvis etiam, quibus pro tempore irretiti fuerint, etiamsi illorum absolutio Sedi Apostolicæ specialiter, vel generaliter (exceptis ijs, de quibus infra) reservata foret, & ab omnibus eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, in casib⁹ dictæ sedi qualitercunq; reservatis (exceptis contentis in Literis, quæ die Cœnæ Domini legi consueverunt; necnon violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria & urgenti causa, ac sine Superiorum licentia; vel etiam causa, & licentia concessa abutentes, prædicta monasteria ingressi fuerunt; necnon violentæ manus injectionis in Clericum, & singularis certaminis sive duelli, & ab alijs etiam casibus, tam ab ejus in Urbe Vicario, quàm locorum Ordinarijs respectivè reservatis, & pro tempore reservandis; & etiam quavis excommunicatione ab homine lata) idq; semel in vita, & in mortis articulo,

articulo: ab alijs vero Sedi Apostolicæ nō reservatis casibus, totiesquoties opportunum fuerit, eorum confessionibus diligenter auditis, absolvere, illisque pro commissis pœnitentiam salutarem injungere.

CAPUT II.

Quanam approbatione indigeat Confessarius eligendus à nostris Confratribus?

292. DIXIMUS præcedenti Capite, quod Sacerdos, ut sit idoneus Confessor, & eligibilis à nostris Confratribus, si fuerit Sæcularis debeat esse approbatus ab Ordinario loci: & si Regularis etiam à suo Superiore. Quoad approbationem Ordinarij loci, censent nonnulli Confessorem sive Regularem, sive Sæcularem, approbatum ab uno loci Ordinario, posse ab habente privilegium eligi in quocunq; loco, & in quacunq; Diœcesi; Alij dicunt sufficere approbationem Ordinarij ipsius pœnitentis.

Cujus Ordinarij approbatio necessaria sit Confessario eligendo à Confratribus.

Est tamen communior, adeoq; probabilior sententia asserentium, necessariam esse approbationem Ordinarij loci, in quo est Confessarius, & ubi facienda confessio; id enim magis consonum est declarationibus sacræ Congregationis Concilij, quæ passim circumferuntur, & uni præfertim, quæ est tenoris sequentis: *Approbatus ab alio, quàm Valentino Episcopo in Diœcesi Valentina, non censetur approbatus ab Ordinario*; idq; mihi videtur deduci posse ex allata, citataq; Constitutione CLEMENTIS VIII. *Quæcunq; à Sede Apostolica.* Loquens namque Pontifex de Confratribus, qui virtute suorum privilegiorum Confessarium sibi eligere possunt, ait; eligi *poterunt Sæculares*, scilicet, *in alma Vrbe à prædicto nostro Vicario*; *extra Vrbem verò à locorum Ordinarijs*; *Regulares autem non solùm à prædicto Vicario nostro, & à locorum Ordinarijs respectivè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint*; dum namque Pontifex vult, quod Confessarius à Confratribus eligendus in Urbe, sit approbatus à Vicario Urbis, qui est loco Ordinarij: colligimus ejus intentionem esse, quod approbatio Confessoris sit ab Ordinario loci, in quo ipse est, & ubi facienda est confessio: quod enim dicit Pontifex de approbatione Vicarij sui quoad Confessarios eligendos in Urbe, debet intelligi de approbatione Ordinarij cujuslibet

libet loci. Ex quo inferendum, quod dato, quod approbatus in una Diœcesi censeretur approbatus in omni alia, quoad communem modum audiendi confessiones, non tamen quoad usum facultatis hic concessæ Confessori electo, eo quod à CLEMENTE apposita sit hæc limitatio.

293. Pro presbyteris Regularibus requiritur etiam approbatio sui Superioris &c.

Quoad approbationem Superioris necessariam pro Regularibus presbyteris, advertendum, quod quamvis approbatio Ordinarij loci, quoad Sacerdotes Regulares, pro confessionibus Sæcularium audiendis non fuerit necessaria, nisi post Concilium Tridentinum, ante Concilium enim per Decretalem BONIFACII VIII. innovatam à CLEMENTE V. in Concilio Viennensi in *Clementina* Dudum, *de sepulturis*, sat erat, quod Fratres Prædicatores & Minores (& idem dicendum de alijs Mendicantibus, qui cum ijs communicant in privilegijs) electi à suis Prælatis præsentarentur Ordinario pro obtinenda licentia audiendi confessiones suarum ovium, quàm si negasset, præsentandi erant alij, quibus, si illis quoq; ab Ordinario denegata fuisset prædicta licentia, poterant, authoritate Apostolica, sine alia præsentatione, eorumq; approbatione, confessiones Sæcularium audire; idq; fuit observatum usq; ad Concilium Trident. quod statuit, *nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi habeat Parochiale beneficium, vel sit ab Episcopis approbatus*; nihilominus approbatio Superioris semper fuit necessaria. Non enim poterant Fratres ante Concilium audire confessiones Sæcularium, nisi prius à suis Superioribus electi fuissent, & præsentati Prælatis locorum. Electio autem, & præsentatio erat quædam approbatio; idem autem absq; dubio dicendum erit post Concilium. Quare esto CLEMENS VIII. nihil dixisset de approbatione Superioris, censeo nihilominus, quod sine illa Sacerdotes Regulares non essent idonei pro audiendis confessionibus Sæcularium, & per consequens neq; eligibiles in Confessores à nostris Confratribus habentibus privilegium.

294. *In Instruct. Cap. 6.*

Hinc non possum, inquit Reverendissimus P. Theodorus Stratius, approbare sententiam aliquorum existimantium Confessores ab Ordinario approbatos quoad Sæculares, aut pro Sæcularibus esse eligibiles per Bullam Cruciatæ, etiamsi fuerint privati, seu suspensi à suis Superioribus, sive per simplex mandatum, sive per sententiam, ne confessiones Sæcularium audiant; quia dicunt, Regu-

lares eo ipso quod sunt approbati ab Ordinarijs locorum, ab illis non à Prælatis jurisdictionem recipiunt; & consensus Prælatorum non est conditio necessaria, ut confessio validè, sed ut licitè fiat: non possum, inquam, sententiam hanc approbare.

Ordinarij approbando Regulares, illos tantum judicant idoneos; jurisdictionem verò non tribuunt, sed illam immediatè recipiunt à Pontifice.

Primò, quia quod dicunt isti Doctores de jurisdictione ab Episcopis per approbationem impertita Regularibus, est contra communem sententiam Theologorum, & Canonistarum, qui tradunt Episcopos approbando Regulares, illos tantùm judicare idoneos ad audiendas confessiones Sæcularium; jurisdictionem autem eos immediatè recipere à summo Pontifice; & ob id Regulares approbati ab Ordinario loci in quo existunt, audire possunt confessiones, non dum subditorum Episcopi approbantis, sed etiam forensium ad eos confluentium; quod nequaquam facere possent, si reciperent ab Episcopo approbante jurisdictionem.

295. Vide de hoc N. Urbanum ab Ascens. *Tract. 2. Theolog. moral. C. 1. Regul. 1.*

Approbatio Superioris est pro Regular. ita necessaria ut sine illa nec validè, nec licitè possint audire Confession. sæcularium, quod probatur. Contrariũ sentit P.

Secundò, quia approbatio Superioris, juxta plurium sententiam, est conditio necessaria, nedum ut licitè, sed etiam ut validè fiat confessio; quia sicut Sacerdos Regularis non potest nunc validè audire confessiones Sæcularium, sine approbatione Ordinarij loci, quia talis approbatio est necessaria ex Decreto Concilij Tridentini: ita nec potest sine approbatione sui Superioris, cum talis approbatio semper fuerit necessaria; faciunt autem Pontifices in Bullis Jubilæis regulariter mentionẽ tantum de approbatione Ordinarij loci, ut ostendant, se velle, non obstante quovis privilegio ab eis concesso, observari novum Decretum Concilij Trident. non tamen ob id existimandum est, eos quoad Regulares excludere approbationem sui Superioris, quæ semper fuit necessaria. Et profectò credibile non est, quod Pontifices concedendo Sæcularibus privilegium eligendi sibi in Confessores Sacerdotes, & Regulares & Sæculares, voluerint eos posse eligere Regulares, in præjudicium & detrimentum Regularis observantiæ, quod profectò accideret, si eligere possent privatos à suo Superiore per simplex mandatum aut sententiam.

Et quod non sit talis intentio Pontificum, ex eo probare possumus, quod etiamsi in Bulla Cruciatæ concedatur omnibus Fidelibus facultas eligendi sibi Confessorem idoneum, ab Ordinario approbatum, qui valeat eos à casibus Ordinario, & Sedi Apostolicæ reservatis absolvere: nihilominus ut in Regularium Ordinibus observatum

Reg

Regularis sarta tecta conservetur, CLEMENS VIII. in citata *supra Cap.* 1. Constitutione die 23. Novemb. an. 1599. edita, & URBANUS VIII. in citata *ibidem* Constitutione die 19. Junij, an. 1630. edita, declararunt suam intentionem non esse, quod dicta facultas eligendi Confessorem, qui valeat â casibus reservatis absolvere, suffragetur Fratribus, & Monialibus cujuscunque Ordinis: sed quod iidem Fratres, & Moniales circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicæ subdantur. Quod si dicti duo Pontifices declararunt, & præsertim URBANUS VIII. suæ intentionis non esse, facultatem concessam â Bulla Cruciatæ omnibus Christi Fidelibus eligendi Confessorem, cum authoritate absolvendi â reservatis, habere locum in Fratribus, & Monialibus cujuscunque Ordinis, ne Regularis disciplina aliquando patiatur detrimentum: pari ratione dici potest, non esse intentionem summorum Pontificum, concedere nostris Confratribus facultatem eligendi sibi Confessarium presbiterum Regularem contra voluntatem sui Superioris: id enim resultaret in non parvum præjudicium observantiæ Regularis. Sed esto, quod sententia opposita posset habere locum in Bulla Cruciatæ, in qua solum fit expressa mentio de approbatione Ordinarij loci: nihilominus cum CLEMENS VIII. quoad Regulares eligendos in Confessores â Confratribus virtute suorum privilegiorum, expressè exigat etiam approbationem Superioris ipsorum Regularium, extra omne dubium sine illa non sunt eligibiles.

Lezana cum alijs a se citatis sed cum multis limitationibus, quæ apud illum videri poterunt *Tom.* 3. verb. *Confessarius Regul. n.* 2.

Verum ex hac opposita sententia videtur præjudicium inferri Regulari disciplinæ.

CUM autem CLEMENS VII. concesserit Confratribus nostris facultatem eligendi sibi Confessarium, cum hac clausula, *sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio*, sciendum est, quod SIXTUS IV. declarando hanc clausulam in nostro *Mari Magno*, licet ad aliud propositum, dixit eam esse intelligendam, quoad decimas & primitias duntaxat, quæ â Laicis solent Clericis exhiberi, per hæc verba: *Et ne de jure hujusmodi possit aliqua quæstio suboriri, juris hujusmodi appellatione intelligimus decimas & primitias duntaxat, quæ â Laicis solent Clericis exhiberi.* Quare Confratres nostri possunt sibi eligere in Confessorem quemcunque Sacerdotem approbatum, ut supra: modo ex tali electione Ecclesijs Parochialibus, quoad solutionem decimarum, & primitiarum Clericis fieri solitam, nullum inferant præjudicium.

296.

Quomodo intelligenda sit hæc clausula *sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio?*

CAPUT III.

De plenaria indulgentia, & absolutione peccatorum Confratribus Sodalitij parthenij Scapularis, à Confessario electo impertienda.

297. Confessarius electus potest impertiri indulgent. plenariam Confrat. semel in vita, & in morte.

CONFESSARIUS electus à nostris Confratribus, virtute concessionis CLEMENTIS VII. potest non solum absolvere eos à casibus reservatis, uti supra diximus: verum etiam impertiri illis plenariam omnium peccatorum remissionem, & absolutionem *semel in vita*, & *in mortis articulo*.

Utrum hæc facultas concedendi plenar. omnium peccatorum indulgentiam sit revocata a *Paulo V.*?

Posset autem aliquis dubitare, an ista facultas revocata fuerit à PAULO V. dum in Constitutione, *Cum certas.* supra in *quarta Parte* relata, revocavit omnes indulgentias, quæ à suis prædecessoribus Confraternitati SCAPULARIS nostri Mariani concessæ fuerant? Et profectò quoad primam partem, impertiendi scilicet illis plenariam indulgentiam semel in vita, licet nonnulli arbitrentur eam fuisse revocatam, alij tamen, & melius censent, non fuisse revocatam, cum in dicto diplomate PAULUS V. non annullaverit indulgentias concedendas, sed concessas &c. Et quoad secundam etiam partem pro articulo mortis, tenendum est, non fuisse revocatam, cum plures doceant, quod per generalem, ab eodem PAULO V. factam, omnium indulgentiarū, quas Pontifices sui prædecessores Regularibus concesserant, revocationē, per Bullā, *Romanus Pontifex.* sub dat. Romæ die 23. Maij, an. 1606. non fuisse revocatas indulgentias pro articulo mortis, ea ducti ratione: quia quæ sunt nota speciali digna, maximè ob favorem animæ, ut sunt indulgentiæ pro articulo mortis, in generali revocatione non censentur sublata, nisi de eis fiat specialis mentio. Et confirmant ex quadam declaratione URBANI VIII. anno Jubilæi 1625. publicata Romæ ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Coccino Decano Rotæ, & Regente Pœnitentiariæ, quod in generalis revocationis, seu suspensionis indulgentiarum, quæ fit in anno Jubilæi, non suspendantur indulgentiæ pro articulo mortis: pari igitur ratione in generali revocatione indulgentiarum multiplicium Confratrum facta à PAULO V. non comprehendetur indulgentia pro articulo mortis.

Sed

298.

SED dicet aliquis, ad nihil prodesse videtur Confratribus facultas à CLEMENTE VII. Confessori ab eis electo concessa, conferendi indulgentiam plenariam in articulo mortis; siquidem jam eis pro eodem articulo aliam concessit similem PAULUS V.

Prodest non parum hoc privilegium Confratribus, etsi à *Paulo V.* ijs concessa etiam sit indulgentia plenaria pro mortis articulo.

RESPONDETUR multum prodesse: siquidem indulgentiam plenariam à PAULO V. concessam pro articulo mortis Confratres obtinere nequeant, nisi contriti & confessi sacram Communionem receperint, & nomen JESU saltem corde invocaverint; accidere autem potest, ut aliquis Confrater in articulo mortis constitutus, licet sit contritus & confessus, nihilominus impotens sit ad SS. Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum, quo in casu certum est, quod impotens etiam erit ad lucrandum indulgentiam plenariam à PAULO V. concessam; poterit tamen Confessarius ab eo electus, vi indulti CLEMENTIS VII. illi indulgentiam plenariam conferre, quia in tali indulto, non imponitur obligatio suscipiendi Sacramentum Eucharistiæ. Contingere etiam potest, ut Confessarius defectu notitiæ aut advertentiæ, non impertiatur morienti CLEMENTIS indulgentiam, cui tunc proderit indulgentia PAULI V. si præscripta peragat.

299.

Utrum extra sacramentalem Confessionem concedi queat hæc plenaria indulgentia?

AT quia accidere potest, ut Confrater aliquis in articulo mortis constitutus, sit in tali statu, ut confiteri non possit, nec det, nec dederit ulla signa, per quæ sit capax absolutionis Sacramentalis à peccatis, quæri potest, an ejus Confessor, valeat illi indulgentiam plenariam impertiri? Certum videtur, quod non possit conferre absolutionem à censuris, & peccatis, vi indulti CLEMENTIS VII. nisi in Sacramentali Confessione, quia utraque absolutio conceditur, cum hac conditione, & clausula, *Eorum Confessionibus diligenter auditis*, quæ tamen non exprimitur in facultate impertiendi indulgentiam plenariam concessa per hæc verba: *ac omnium eorum peccatorum semel in vita, & in mortis articulo, ut præfertur, etsi tunc non subsequatur, plenariam remissionem & absolutionem, authoritate Apostolica, impendere possit.*

Negant nonnulli.

Dubium est, an saltem in hac concessione dicta clausula implicitè contineatur? Affirmant nonnulli satis probabiliter, ob hanc clausulam, *ut præfertur*, quasi per illam se referat Pontifex ad absolutionem à censuris, & à culpis faciendam auditis Confessionibus; ita quod velit etiam plenariam remissionem, & absolutionem omnium peccatorum

torum quoad pœnas in mortis articulo, impertiendam quoque esse auditis Confessionibus.

300. At melius alij affirmant.

Nihilominus non videtur improbabilis, sed valde rationi consona sententia eorum, qui considerantes collationem indulgentiæ ex sua natura non exigere, ut fiat in Sacramentali Confessione, & quod Confessarius electus in Bulla Cruciatæ potest semel in articulo mortis indulgentiam impertiri extra Confessionem, & quod in usu jam est apud omnes Regulares, ut Fratres approbati ab Ordinario pro audiendis Confessionibus Sæcularium, vi talis Privilegij indulgentiam moribundis conferant extra Sacramentalem Confessionem: & quod in præfata concessione CLEMENTIS VII. dicta clausula *auditis eorum Confessionibus*, non exprimitur, censent præfatam indulgentiam plenariam concedi posse extra Sacramentalem Confessionem; nec ista clausula, *ut præfertur*, videtur referenda ad clausulam *auditis eorum Confessionibus*, sed ad aliam similem supra positam de articulo mortis, quando dixit Pontifex, quod Confessarius electus à Confratribus possit eos *à quibusvis peccatis, criminibus, excessibus ac delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes Apostolica meritò consulenda foret, in casibus dictæ Sedi reservatis, exceptis contentis in dictis litteris Cœnæ Domini, semel in vita, & in mortis articulo; de aliis vero dictæ Sedi non reservatis casibus, toties quoties opportunum fuerit, eorum Confessionibus diligenter auditis absolvere.*

Doctrina impensè observanda.

Et sine dubio hæc opinio ut probabilissima, in praxi amplectenda est, nam si Confessor probabilem sequens opinionem, consultutum in mortis articulo, qui nec confessus fuit, nec ulla signa dedit proxima in ordine ad Confessionem, vel contritionem, sed aliqua solum remota, potest & debet absolvere à peccatis: quia si vera est talis opinio, plurimum prodest absolutio; quia liberat morientem à culpis; si autem non est vera Confessor nemini nocet, nec injuriam facit Sacramento Pœnitentiæ: quia habet intentionem absolvendi quantum potest; pari ratione in nostro casu, si vera est opinio, de qua loquimur, Confessor impertiendo indulgentiam plenariam extra Confessionem Sacramentalem, morientem actu & realiter absolvit ab omnibus pœnis, nisi aliunde aliquis obstet alius obex: si autem non est vera, nemini nocet, nec injuriam facit alicui Sacramento, quia nullum Sacramentum administrat; nec etiam ipsi indulgen-

tiæ,

tiæ, vel privilegio, quia illam semper impertitur, in quantum potest. Et ex his etiam magis patet, quantum prosit ista facultas, quam habet Confessarius Confratrum, illis impertiendi in mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam.

301. Utrum hæc indulgentia plenar. à *Clemente VII.* concessa pluries in mortis articulo impertiri valeat?

LICET autem explicando plenariam indulgentiam à PAULO V. concessam Confratribus in articulo mortis, dixerim juxta nonnullorum sententiam, hujusmodi indulgentiam esse intelligendam de vero mortis articulo: nihilominus Confessarius Confratrum nostrorum, vi indulti CLEMENTIS VII. potest illam concedere in mortis articulo, sive *vero*, sive *præsumpto*, cum dicat Pontifex, *etiamsi tunc non subsequatur* mors. Hinc fit, inquit, Theodorus Stratius, ut si Confessarius semel juxta indultum CLEMENTIS VII. indulgentiam illam plenariam alicui Confratri infirmo simpliciter, & absolutè, non reservando illam pro vero articulo, nec verbis, nec secundū intentionem, impendat, & postea Confrater convalescat, & deinde denuo incidat in aliū mortis articulum, sive verū, sive præsumptū, non possit ei iterum indulgentiam plenariā concedere. Cum igitur accidere possit, ut Confrater aliquis, post semel obtentam à Confessario in uno mortis articulo indulgentiam, convalescat, novaque peccata committat, licet de ijs postea conteratur; ante mortem, & eorum remissionem quoad culpam obtineat, ac in gratia decedat: nihilominus indulgentia, jam ei in præcedenti mortis articulo præsumpto impensa, nihil prodesse potest ad remittendam pœnam peccatis postea commissis debitam. Quare optima cautela est, quod illam Confessarius non simpliciter, & absolutè, sed sub conditione conferat, dicendo; *si hac vice non moriaris, eam tibi reservo pro articulo mortis*; & indulgentia cum hac conditione, & reservatione potest impendi Confratribus toties, quoties ipsi in articulo mortis constituti erunt: licet non nisi semel, in vero scilicet, effectum habere possit. Ita Reverendissimus Stratius *loc. cit. cap.* 8.

Exponitur duplex modus, quo hæc indul-

VERUM oppositа sententia longè probabilior videtur, quam cum aliis tenet Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 12. qui sic differit. [Suspensio usque ad verum articulum mortis, dupliciter intelligi potest: *Primò*, ut indulgentia nunquam habeat effectum, donec verè mors sequatur; & ideo illa non sequuta, reservetur. *Secundò*, Ut

gentia in morte concedi potest.

ut indulgentia statim operetur; & nihilominus, si mors non sequatur, iterum atque iterum in simili articulo concedi possit cum effectu, donec vera mors sequatur. Et licet prior modus sit probabilior, tamen posterior est magis pius, & veritati magis consentaneus. *Primò*, quia beneficium Principis amplè interpretandum est, quando ipse non limitat illud, hic autem non limitat, quia non dicit *semel in articulo mortis*, tunc enim fortassè statim fieret effectus, & expiraret gratia propter illam restrictionem *semel*, quæ in præsenti non additur, sed est concessio indefinita pro articulo mortis: ergo amplè intelligendum est hoc beneficium pro quovis articulo. Et confirmatur, quia in hujusmodi rebus indefinita æquivalet universali. *Secundò*, quia Pontifex absolutè dat Confessori facultatem concedendi illam indulgentiam in articulo mortis; ergo etiam Confessor utens illa absolutè absolvit plenariè, & non sub aliqua conditione: ergo absolutio non manet suspensa, quasi exspectans adventum mortis.

Tertiò potest ita explicari: quia per talem indulgentiam vult concedere Pontifex plenariam remissionem totius vitæ usque ad articulum mortis: quia tamen de vero mortis articulo homini constare non potest, ideo consequenter ac necessariò vult, ut talis absolutio instante periculo, & quando moraliter timetur mors, concedatur: & quia non vult absolutionem, quæ debet esse actus legitimus, esse conditionatam, ideo statim habet effectum: si autem postea mors non sequatur, effectus ille non est adæquatus gratiæ, seu facultati, quia non est de reatibus totius vitæ usque ad veram mortem; ergo semper supereſt facultas absolvendi in vero mortis articulo à reatibus, qui superfuerint: ergò semper reservatur indulgentia aliqua ad verum mortis articulum.] Atque ita sentit etiam Gerson 2. *Part. Tract. de absolutione Sacramentali. §.* Quæris ulterius. *Alph.* 33. *lit.* K. & quoad hunc partem idem sequitur Corduba *lib.* 5. *de indulgent. quæst.* 39 *in fine.* cujus hæc sunt verba: *Sicut aliæ concessiones factæ pro articulo mortis, ut ad absolvendum à peccatis, & censuris in articulo mortis &c. intelliguntur toties, quoties talis articulus occurrit, ut patet ex practicata consuetudine &c.* Confirmari quoque hæc poterunt illis, quæ infra Cap. V. dicemus, agendo de absolutione à reservatis, & censuris.

303. EXISTIMANT nonnulli articulum mortis, in quo à Confessario concedenda est indulgentia infirmo, non existere donec apparet

pareat eum velle expirare, & quod ei non supersit facultas ampliùs peccandi, ducti hac ratione: quia si post obtentam indulgentiam peccaret, etsi per pœnitentiam talis peccati remissionem quoad culpam obtineret, non tamen virtute indulgentiæ jam obtentæ valeret remissionem pœnæ illi debitæ assequi. Mihi tamen magis arridet eorum sententia, qui asserunt, illum articulum mortis sufficere pro indulgentia, qui sufficit ad obtinendam absolutionem à censuris, & à peccatis: & consultius est non expectare mortem jam instantem ad impertiendam indulgentiam, etsi etiam semel tantum juxta nonnullorum sententiam concedenda esset, quia potius vitandum est periculum moriendi sine indulgentia, quàm antedictum incommodum moriendi post aliquod perpetratum peccatum.

Quando mortis articulus adesse censeatur? Et quando infirmo sit absolutio hæc generalis impendenda? Vitandum periculum ne sine indulgentia decedat.

QUIA diximus supra facultatem impertiendi indulgentiam plenariam in articulo mortis nostris Confratribus, concessam Confessario ab eis electo, de ista electione nobis ita differendum est, ut loquuntur Doctores de electione Confessarij, facta virtute Bullæ Cruciatæ. Tradunt autem non esse necessarium ad hoc, ut habens Bullam assequatur indulgentiam, quod expressè & specialiter petat eam sibi à Confessario impendi: sed sufficere, ut conferri possit à Confessario, quod ex parte pœnitentis sit virtualis petitio, seu interpretativa voluntas petendi hanc indulgentiæ applicationem, id est, quod si advertisset, aut potuisset, eam postulasset. Nec esse necessarium, ut ille, cui talis indulgentia conceditur percipiat, & intelligat eam sibi concedi: sed sufficere, quod sit in gratia. Quare, si quis repentè omnem sensum, & rationem amittat, constituaturque in mortis articulo, & ante nullum signum confessionis, nec contritionis in ordine ad confessionem dederit, si tamen habeat indultum indulgentiæ, & ex aliquibus conjecturis constet illũ esse in statu gratiæ, poterit ei, uti etiam paulò ante diximus, à Confessore indulgentia applicari. Quia nullus pœnitentis actus hic requiritur, ergò nihil impedit, aut obest, quod sui compos non existat.

304.

Utrum à moribundo Confratre expressè petenda sit hæc indulgentiæ elargitio?

Quid faciendum cũ illis sit, qui de repentè rationis usum amittunt?

Addunt etiam, & hoc est quod facit vel maximè ad nostrum propositum, non opus esse, ut infirmus indulgentiæ consecutionem prius petierit, & designaverit Sacerdotem Confessarium in particulari: sed sufficere illam interpretativam voluntatem, quod enim isti

Auctores asserunt de electione Confessoris facta virtute dictæ Bullæ; nos affirmare possumus de electione Confessarij Confratrum nostrorum, facta virtute indulti CLEMENTIS VII. Præsumendum quippe est, ægrum velle omnia quæ valent sibi adhiberi remedia, ad vitam bene beateque finiendam; secus dicendum de eadem indulgentia semel in vita concedenda, cum enim liberum sit Confratri eam differre, quantum volverit, non debet Confessarius illâ elargiri, nisi rogatus à pœnitente, tacitè aut expressè.

Nota differentiam in concedenda hac indulgentia plenar. in vita & mortis articulo

CAPUT IV.

Proponitur & exponitur formula concedendi plenariam indulgentiam Confratribus Carmelo-parthenys, in mortis articulo, âb electo ab eis Confessario.

305. Qua verborum forma hæc indulgentia impertienda sit.

ABSQVE dubio Confessor â Confratribus electus, impertiendo illis iudulgentiâ in mortis articulo, vi indulti CLEMENTIS VII. aliquam verborum formulam observare debet: & quia nullam præscribit Pontifex, nec reperitur præscripta in sacris Canonibus, nec Apostolicis Constitutionibus, sat erit, si conferatur per talia verba, quæ remissionem & indulgentiam plenariam significant; nihilominus Confessor nostrorum Confratrum hanc, quam nunc hic ex Reverendissimo Theodoro Stratio, aut quam infra *parte VIII. Capite X.* trademus, formulâ servare poterit.

Loc. citato Cap. 9.

Postquam pœnitens, si prius is præmiserit Sacramentalem Confessionem, fuerit absolutus â censuris, & â peccatis, vel si nullâ præcesserit Confessio, nec datum fuerit ab eo ullum signum in ordine ad Confessionem, Sacerdos electus, modo judicet illum esse in gratia, per hæc verba impertietur illi indulgentiâ: *Authoritate Domini nostri JESV Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, tibi tradita, & mihi commissa, concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum, quam possum concedere virtute privilegiorum Apostolicorum, si tamen hac vice moriaris; alias pro alia vice eam tibi reservo: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

Qua-

Quoniam autem per indulgentiam absolvitur quis â pœnis, suis peccatis debitis, illa potest concedi per verba absolutionem significantia: quare Confessarius potest Confratribus nostris in mortis articulo illam etiam impertiri sub hac forma: *Absolvo te ab omnibus pœnis tuis*, vel *Remitto tibi omnes tuas pœnas*, & licet solum diceret, *Absolvo te â pœnis tuis*, indefinitè, hujusmodi absolutio indefinita pœnarum universali æquipolleret.

Et dicere, *Absolvo te â pœnis tuis*, idem esset ac dicere: *Absolvo te ab omnibus pœnis tuis*: imo etiamsi Confessarius diceret solum, *Absolvo te*, & non adderet *à pœnis*, si tamen haberet intentionem absolvendi infirmum à pœnis, illi indulgentiam impertiretur; quo pacto Doctores loquentes de absolutione Sacramentali â peccatis, dicunt eam esse validam, si Confessarius, *Absolvo te*, tantum dicat, modo intentionem habeat absolvendi pœnitentem â peccatis.

306. LICET autem supra dixerim, Confessarium priusquam concedat infirmo indulgentiam, debere eum absolvere â peccatis, modo præcesserit confessio, vel signum aliquod in ordine ad confessionem, nihilominus potest simul, & eisdem verbis, eum absolvere â peccatis & pœnis dicendo: *Authoritate Domini nostri IESV Christi* &c. *absolvo te ab omnibus peccatis tuis*, habendo intentionem eum absolvendi, & â culpis, & â pœnis: istud enim verbum *Absolvo*, indifferens est ad significandam remissionem, tum culpæ, tum pœnæ; quare potest Confessarius illud proferre cum intentione absolvendi ab utraque, & nomen istud peccatum sumi potest, tum pro culpa, tum pro pœna: imò etiamsi diceret tantum, *Absolvo te*, non exprimendo *à peccatis*, cum intentione tamen absolvendi â culpa, & â pœna, ab utraque absolveret. Addo quod verbum *Absolvo te*, cum intentione absolvendi infirmum â censuris, â culpis, & â pœnis, ab omnibus simul absolveret.

307. Quænam circa illam clausulam *si hac vice* &c. animadvertenda sint & observanda?

Quoad hanc clausulã, *si hac vice moriaris* &c. quam addit Stratius inhærendo priori sententiæ, *Capite proximo* allatæ, advertendum est, quod etiamsi Confessarius illam verbis non exprimeret, si nihilominus haberet intentionem reservandi indulgentiam pro vero mortis articulo valeret reservatio; quare infirmus, si convalesceret, indulgentiam sic ut reservatam pro vero articulo non lucraretur, quare dato casu, quod Confessarius infirmum in articulo mortis constitutum absolveret per hæc verba, *Absolvo te*, cum intentione eum absol-

vendi â censuris, & â culpis, & â pœnis : â censuris quidem & â culpis absolutè, â pœnis autem sub conditione, si moriatur &c. infirmus statim absolutionem & â censuris, & â culpis obtineret, non autem â pœnis, si convaleſceret ; quia absolutio â pœnis illi esset reservata pro vero mortis articulo.

308. VERUM hæc dicta sint juxta P. Stratij sententiam ; sequendo vero posteriorem, probabilioremque sententiam hac clausula ac reservatione opus minimè erit, cum, ut supra vidimus, toties quotiès articulus mortis occurrerit, denuo cum effectu absolutio & indulgentia plenaria concedi queat.

Utrum absenti hæc possit conferri indulgentia ?

Quæret hic aliquis, An hæc indulgentia absenti conferri valeat ? Ad hoc respondet Antonius Cotonius *lib. 2. de Sacram. Controv. II. C. 2. num. 79.* posse applicari in absentia per literas, aut internuntium, quia applicatio hæc per se sumpta, non est absolutio Sacramentalis, sed potius assimilatur absolutioni censurarum, ut ait Diana *Part. 5. Tract. 3. resol. 134.* & *Tract. 12. resol. 46.* ex Trullench in Cruciat. *Lib. 1. §. 7. Cap. 2. dub. 19. nu. 7.* subjungit autem *in fine* jam dictæ *resol. 46.* Diana hæc : [Notandū est tamen hic obiter unum notabile, quod nescio, an alibi â me adnotatum sit ; nempe quod aliquando hæc indulgentia in articulo mortis, in casu licet raro, videtur posse applicari absenti : videlicet, si Parochus, postquam Unctionem extremam contulit pœnitenti ægrotanti, oblitus est hujus applicationem, & infirmus jam jam moritur, nec potest Parochus eum adire, poterit è domo sua infirmo tali absenti applicare indulgentiam, quia si hæc potest extra confessionem applicari infirmo, qui nullum signum dederit contritionis, nec hujus applicatio dependet ab absolutione Sacramentali ; & ex alio capite hic est capax indulgentiæ, eo quod supponimus esse in statu gratiæ constitutum, quid mirum si in hoc tali casu possit applicari in absentia, sicut etiam absens â censuris absolvi : præsertim cum nulla scientia, nec formalis petitio requiratur ex parte ejus, cui hæc est indulgentia applicanda : ergo &c. Et ita hanc sententiam docet Trullench, *ubi supra.*] Et licet Diana loquatur de indulgentia Bullæ Cruciatæ in hac resolutione, tamen quoad præsentem difficultatem idem omnino asserendum est de nostrorum Confratrum moribundorum indulgentia, quod de Bullæ Cruciatæ quoad morientes.

CAPUT

CAPUT V.

Amplior electi Confessarij potestas exponitur, & nonnullis è supra dictis emergentibus dubijs respondetur.

309. Potest electus Confessarius Confratrum vota omnia commutare demptis 4. aut juxta alios quinque.

POTEST *tertiò* electus à Confratribus Confessarius, vota ipsorum commutare, exceptis quatuor, scilicet, liminum Apostolorum PETRI & PAULI, & S. JACOBI visitationis, Religionis, & Castitatis. ita CLEMENS VII. in *dicto Diplomate* §. 8. Lezana noster *Tom. 2. qq. Reg. Cap. 15. num.* 37. cum alijs erratum putat in Bullæ littera, legendumque, *vota vero quæcunque (visitationis ultramarinæ, liminum BB. Apostolorum* &c. pro *vota vero visitationis quæcunque ultramarina, liminum BB. Apostolorũ* &c. Quo dato omnia Confratrum vota poterit electus Confessarius commutare, exceptis vulgatis quinque Papalibus. Ratio dicti Authoris hæc est. Si vulgata retineatur lectio, poterit electus Confessarius commutare votum Jerosolymitanæ peregrinationis, non autem votum recitandi coronam B. Virginis, quod videtur absurdum. Sequelam probat Bullæ contextus, in quo datur facultas commutandi vota ultramarina, demptis quibusdam ibidem expressis. Ergo non conceditur facultas simpliciter commutandi vota quælibet, sed ultramarina, *id est*, peregrinationis ad loca sancta Orientis: quæ disparitas cum à nemine debeat admitti, censendus est error Amanuensis. Si quis tamen litteram, ut jacet, defendere velit, ad sequelam respondere poterit, concedi *primò* universalem commutandi vota facultatem, *deinde* eandem magis exprimi de votis ultramarinis, utpotè singulari mentione dignis; ac tandem excipi quatuor reliqua: quo casu commutari poterit votum recitandi Rosarium, & votum visitandi sanctum sepulchrum: quod postremum non erit commutandum, si P. Lezanæ, aliorumque probetur observatio: quæ omninò conformis est priori CLEMENTIS Constitutioni, ideoque cum Lezana sentiendum puto.

Vota Confratrum commutari queunt.

Animadvertendum verò dari facultatem vota commutandi,

non relaxari, aut dispensari &c. juramenta verò relaxari possunt.

non relaxandi, aut dispensandi, quæ quantum, & quomodo differant, videri poterit apud Theologos morales.

Poterit *quartò* præfatus Confessarius, juxta ejusdem CLEMENTIS VII. Constitut. *loco cit. quæcunque* Confratrum *juramenta sine tertij præjudicio relaxare* : de quo aliud dicendum nihil occurit.

310.

Exposita jam universa electi à Confratribus Confessarij potestate, supereſt, ut nonnullis, quæ moveri possent, contra dicta in præcedentibus Capitibus, dubijs satisfaciamus.

Contra id quod dictum est *supra Cap. 1.* de absolutione à quibuscunq; casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis &c. *semel in vita, & in mortis articulo*, objcitur videri superfluum hoc privilegium pro *mortis articulo.*

Nõ est frustraneum privilegiũ absolvendi à reservatis in mortis articulo, etsi in eo omnis reservatio evanescat. Quid per mortis articulum in hac materia intelligendum sit?

Respond. Non esse frustraneum etiam illo tempore, sed prodesse plurimum: absoluti enim virtute hujus privilegij, si convalescant, nequaquam tenentur adire Superiorem, ut ad obediendum paratos se exhibeant: quod tamen absolutis jure communi necessarium esse Doctores asserunt. Aliam P. Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 1. lib. 2. cap. 19. n. 14.* addit rationem, quod scilicet vi talis privilegij quilibet Confessarius absolvere queat, etiam præsente, ac prætermisso Prælato ordinario; quod alioqui non liceret.

Mortis autem articulus debet intelligi etiam *præsumptus*, ut supra quoque insinuatum est. *Primo*, quia cum Pontifex non distinguat, nec nos debemus distinguere. *Secundò* CLEMENS VII. *in suæ ejusdem §. 8.* dum de remissione peccatorum Confratribus impertienda in mortis articulo loquitur, sic inquit: *In mortis articulo, ut præfertur, etiamsi tunc non subsequatur, plenariam remissionem & absolutionem, Authoritate Apostolica, impendere possit.* Ergò signum est idem intelligere de absolutione à censuris, reservatis &c. Ea est sententia Rodriquez in casu simili *Tom. 1. qq. Reg. quæst. 62. art. 7.* qui id exponit de morali periculo; & Cordubæ apud Suarez mox *citatum*, qui appellat *probabilem consuetudinem*, ut intelligatur toties quoties articulus mortis occurrerit.

Supereſt nihilominus difficultas, utrum semel tantum in eo mortis periculo ita absolvi possit, an quoties in eundem præsumptum obitus articulũ Confrater reciderit? Antequã ad præpositã quæst. respondeam animadvertendum est, quod articulus mortis in rigoroloquen

loquendo differt à periculo: nam articulus mortis, seu ultimus articulus vitæ, est ultima quædam particula, non magna, temporis vitæ, quàm mors immediatè sequitur. Periculum verò mortis est occasio vel causa, in qua spectata rerum natura, & spectato eo, quod solet in simili occasione evenire, mors sequitur; vel certò, vel probabiliter, vel prudenter potest aut debet timeri. Hinc est, ut aliud dicatur certum, aliud probabile, aliud dubium periculum: idq; vel proximum, quando adest causa, vel occasio, unde mors brevi solet, aut potest sequi, aut prudenter timeri potest statim secutura. Remotum vero, quando est quidem causa talis mortis, non tamen ita proximè, quin futura sit aliqua considerabilis distantia, vel necesse sit, ut alia concurrant, quæ adhuc non adsunt, nec putantur adfutura tam cito, quin restet aliquod tempus considerabile, antequam morti adferendæ necessaria concurrant. Quamvis autem, ut dixi, articulus mortis à periculo differat in rigore, Doctores tamen hæc duo promiscuè confundunt, tum in hac materia absolutionis &c. tum in materia de indulgentijs pro articulo mortis &c.

Quomodo differant inter se articulus & periculum mortis?

Ad propositam difficultatem respondet Theodorus Stratius, semel tantum impertiendũ esse privilegiatæ Absolutionis beneficium. Probabilior est tamen opposita sententia, quam fusè præbat sapientissimus Suarez *loco citato num.* 13. magisque videtur accedere ad intentionem summi Pontificis, adjuvandi Confratres in illo extremo periculo ac necessitate, ut sic purgati discedant ab hoc sæculo: ergo cum non repugnet littera diplomatis Apostolici, imò eam ferant verba interpretationem, concedi debet potius quam negari iterata peccatorum absolutio, de qua est quæstio. Nec solum absolutio à peccatis ac censuris &c. verum etiam indulgentia iterari potest in mortis articulo, ut observat idem P. Suarez *eodem num.* 13. & nos cum eo fusius tradidimus supra *Cap. 3. num.* 302. Quod autem Bullæ littera non repugnet probatur: nam illa particula *semel*, quæ fundat oppositam sententiam, non unitur à Pontifice cum mortis articulo, sed cum vita: ait enim *semel in vita, & mortis articulo*, non autem, *semel in vita, & semel in mortis articulo*. Quod secundum clarius dixisset, si id intendisset: sed contra eum, qui clarius loqui potuit, legum interpretes utuntur epicheija, nec beneficia principum restringunt, quæ nullum tertio afferunt detrimentum: quale est beneficium

Potest absolutio toties quoties hic articulus occurrerit, conferri.

Absolu-

Absolutionis, quod nocet nemini, prodest vero plurimum pœnitenti.

311. Quæres, An prædictæ electi Confessarij facultati, absolvendi à peccatis, & censuris derogatum fuerit, per alias Successorum Pontificum Constitutiones?

Respondetur CLEMENS VIII. in Bulla, cujus initium ab his verbis ducitur, *Quæcunque à Sede Apostolica §. 9.* statuit debere electum Confessarium esse approbatum; statim quoque declarat debere Privilegia, quorum virtute absolvit, esse in usu, non autem revocata, aut Tridentino, & summorum Pontificum Decretis ac Constitutionibus repugnantia. Quod Statutum de usu Privilegij sic exponit P. Lezana *Tom. 2. qq. Regul. Cap. 15. num. 17.* ut *habitualis* usus sufficiat, *actualis* non requiratur. *Habitualem* vocat, dum aliquis Privilegio abstinet defectu scientiæ, cognitionis, occasionis &c. vel ratione alterius impedimenti: tunc enim censeri non potest per non usum renuntiare Privilegio, atque suum jus amittere. Præterea, non usus minime officit, nisi legitimo tempore sit præscriptus, nempe anno 40. ex Cap. *Accedenti de Privileg.* Deniqúe vix sciri potest, utrum sit in usu, nec ne: nam privata res est conscientiæ, quæ apud aliquos esse potest frequentissima, licet nonnullis aliis fuerit inaudita.

Privilegia debent esse in usu, ut vi illorum quis absolvatur.

Quis, & qualis usus requiratur, & sufficiat?

Quoad Tridentinum, ea Privilegia censet idem Author esse per illud revocata, quæ adversantur ejus decretis habentibus clausulam Privilegiorum derogatoriam: si autem careant ea clausula, non debent rejici ea Privilegia, etsi iis decretis contraria: merito quidem, nam Privilegium est præter legem, aut contra, nec proinde mirum videri debet, quod legibus repugnet. Nec vim facias in eo, quod Tridentini singularis sit ratio, quatenus summi Pontifices in nullo velint derogare hujus Concilij decretis: nam oppositum evincunt multa Privilegia, quorum usus retinetur, etsi nonnullis Tridentini decretis adversentur. Quæ omnia attuli, ut sciret Lector, qua ratione cum Tridentino deberet conciliare Privilegia: nec enim fuêre dicenda pro vindicanda electi Confessoris facultate jam descripta, cmu in Tridentino nihil occurrat, quo ea facultas opprimatur, aut in aliquo ei derogetur.

Quænam Privilegia per Tridentin. Concil. censeantur revocata?

Idem CLEMENS VIII. *loco citat.* casus excipit nonnullos, supra *Cap. primo* à nobis relatos, à quibus Confessarij sic electi absolvere

solvere nequeunt; à quorum proinde absolutione ejusmodi Confessario abstinendum est, nisi Constitutio CLEMENTIS quibusdam in locis vim non obtinuerit; aut saltem de nonnullis enumeratorum articulis jus aliud ijs in locis sit statutum; tunc etenim Confratres nostri juri restituuntur communi, & à prædictis poterunt absolvi eodem modo, quo cæteri Fideles: verbi gratia, Bulla Cœnæ non legitur in Gallia, unde prima CLEMENTIS exceptio, inquit Irenæus, *loc. cit. sect. 3. Cap. 2. §. 2.* vires non habet adversus Gallos, &c.

Quinam casus excipiantur, & quando ab his, etiam electus Confessarius absolvere queat?

312. Circa sextam exceptionẽ, seu casus reservatos, aut reservandos à locorum Ordinarijs, monet Reverendiss. Stratius, eam intelligi de reservatis, aut reservandis ab homine, non autem reservatis à jure: ita ut de his, non verò de illis, electus Confessarius possit absolvere.

Nota discrimen inter reservatos à jure & ab homine.

Alios recensẽt casus idem Theod. Stratius, electo Confessario minimè permissos: scilicet realem Simoniam scienter contractam, beneficialem confidentiam, procurationem abortus &c. Verum Lezana lib. *de Patronat. Marian. Cap. 12. num. 10.* discedit ab ejus sententia quoad duos priores, atque quoad cæteros recedendum putat præfatus Irenæus, cum PAULUS V. (eodem attestante Stratio) in Bulla, *Cœlestis Ecclesiæ thesaurus.* ijsdem Confratribus dederit facultatem eligendi Confessarium, qui eos absolveret semel in anno à quibuscunque excessibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, Constitutione CLEMENTIS VIII. *Quæcunque* &c. & à reservatis Ordinario loci: Ergo nisi Ordinarius sibi reservet procurationem abortus, & similia, non censebitur Confessario electo interdicta facultas absolvendi, &c. Addit etiam P. Irenæus *loco cit.* quod etiamsi procuratio abortus, & alij *ibidem* contenti casus summo Pontifici reservati essent, nihilominus Confratres ab ijs absolvi possint: cum eos casus non excipiat PAULUS V. nisi Ordinario fuerint reservati: at Ordinarius non debet sibi reservare casus Pontificios &c.

Quid de simonia, alijsque casibus à Stratio relatis dicendum sit?

Cæterum unusquisque videat, quod pondus obtinuerit superior Clementina, *Quæcunque à Sede Apostolica.* suis in partibus; nam inde erit concludendum quanti sint momenti præfatæ exceptiones.

313. QVÆRERE etiam quis poterit, ad quid prosit Privilegium supra *Capite primo in fine* adductum; scilicet, eligendi Confessarium,

Quid operetur privilegiũ sup. adductum circa casus non reservatos?

qui Confratres à censuris, & casibus minimè reservatis toties quoties absolvat? RESPONDETUR, prodesse non modicum; cum enim Parochiani secundum jus commune nequeant, sine expressa, aut tacita proprij Parochi, aut Episcopi licentia alteri Sacerdoti, sæculari, etiam approbato ab Ordinario confiteri, possunt nihilominus Confratres nostri, virtute præfati privilegij Apostolici, sine ulla propria Parochi, aut Episcopi facultate, confiteri cuilibet Confessario ab Ordinario approbato, nedum Regulari, verum etiam Sæculari.

Quid de irregularitate &c.?

Circa irregularitatem advertendum est, posse quidem Confratrem absolvi à peccato, propter quod contraxit irregularitatem, (modo aliundè non prohibeatur) non tamen in ipsa dispensari.

Quid observandum sit Confessario in absolvendo Excommunicatum, qui tertio satisfacere obligatus est?

Tandem notandum hic est, quod advertere debeat Confessarius, antequam absolvat pœnitentem ab aliqua excommunicatione, an ille obligatus sit tertio satisfacere: in tali quippe casu, priusquam absolvat, debet illi imponere, ut satisfaciat, si potest; quod si non possit, ut præstet idoneam cautionem, vel pignoratiam, aut si hanc nequeat, fidejussoriam: & si hanc quoque non valeat præstare, juratoriam. Docent tamen Doctores, Confessarium, non imponendo hanc satisfactionem, peccare quidem, absolutionem nihilominus esse validam.

CAPUT VI.

Referuntur, & examinantur reliqua Confratribus concessa à Sede Apostolica Privilegia.

314. Permittitur Confratribus usus Altaris portatilis,

CÆTERA Confratrum Privilegia §. 9. *ejusdem Clementis* continentur. Quorum *primum* permittit omnibus, & singulis utriusque sexus Confratribus, usum Altaris portatilis, super quo coram se celebrari faciant submissa voce Missas, & alia Divina officia, per quoscunque Sacerdotes Sæculares, aut Regulares. Circa quod privilegium sanè examinandum

Animadvertendũ *primò*, non modo posse per alios, sed etiam per se ipsos celebrare, si sint Sacerdotes; quia par, imò eadem ratio, videturque mens Pontificis expressa. Advertendum *secundò*, tales id solum permitti tempore interdicti, seu cessationis à Divinis, non

non autem quolibet alio tempore; atque ita exponitur â Lezana *Tom. 2. qq. Reg. Cap. 15. num. 37.* & *lib.* de *MARIA* Patron. *Cap. 12. num. 13.* Vide de hoc etiam Petrum Lucium in *Compendio Historic.* & Thomam â *IESV lib. 2.* de antiquitate & Sanct. Ord. Carmeli *Cap. 5. §. 1.* ubi dicit, ita practicatum fuisse in celeberrima Salmanticensi Academia, annuentibus Doctoribus *Mancio*, *Sancio*, *Bartholomæo de Medina*, & *Rodriquez*, ejusdem Universitatis primarijs Magistris. Refert præterea *ibidem*, quod durante Salmanticensi quodam interdicto, Provisor Episcop. responderit nobili cuidam, petenti licentiam faciendi celebrare privatim, se id non posse; sed consuluerit, ut Confraternitati sacri Scapularis Carmelitici nomen daret; eo quod Confratrum ejusmodi istud esset privilegium. Simile verò Privilegium vix ulli alteri Confraternitati concessum esse, affirmat idē, *V.P. Thom. à IESV.*

tempore interdicti, & cessationis à Divinis,

Potest nihilominus esse difficultas, atque ratio dubitandi de alijs temporibus in Diplomatis contextu: imò quibusdam id videtur concessum pro quolibet tempore. Cui sententiæ favet Angelus Cherubinus, Monachus Cassinensis, *Tom. 1. Bullarij* editi anno 1638. *in Clemente VII. Constitut. 31.* scribens Apostillas *ad §. 9.* his verbis: *utendique Altari portatili, in quo celebretur, etiam tempore interdicti.* Qui loquendi modus concedit pro omni tempore portatile, ac præterea per quendam excessum, *etiam pro tempore interdicti.* Id ipsum prorsus senserunt complures viri graves, doctique è nostris, nec non exteri Theologiæ Professores, de hoc Diplomatis Apostolici textu, literaque consulti. Quod sufficere credo ad securitatem conscientiæ pro tali usu, si aliunde nil obstet, absitque abusus.

imo quolibet tempore.

Advertendum *tertiò*, posse ante lucem, & post meridiem, sed tamen circa utramq;, in eo Altari offerri Sacrificium.

315.

Animadvertendū *quartò*, particulam *circa*, & *ante* esse explicandas secundum prudens judicium: ita tamen, ut plus existimem usurpari posse ante lucem, quam post meridiem: quia religiosiùs id videtur fieri, cum experiamur animum post meridiem magis distractum & ad Divinum cultum, maximè sacrosanctum Sacrificium, minus idoneum. Licitam esse illam celebrationem una, aut altera hora ante auroram infertur ex similibus Privilegijs, & jure communi, quo licet omnibus celebrare circa auroram: at Privilegium addit aliquid præter commune jus; Ergo &c. ita nost. Irenæus *loc. supra cit. §. 4.*

Potest in eo celebrari ante lucē, & post meridiem, & quomodo hoc intelligendū

Vide etiam Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 80. *sect.* 4. *ante* 2. Concl. Ubi docet posse anticipari duabus horis, si una concedatur in Privilegio, eo quod de jure communi una hora anticipari possit ante diem ex rationabili causa &c. Consuli quoque poterunt circa hoc nostris Urbanus ab Ascensione *Tract.* 2. Theolog. Moral. & Canonicæ 2. *Part. distinct.* 1. *Cap.* 2. *Reg.* 7 & Gabriel à S. Vincentio *Part.* 2. *de Sacram. disp.* 3. *de circumstantijs sacrificij Missæ quæst.* 2. ubi expositum reperies, quid propriè nomine *Auroræ*, & *meridiei* intelligatur.

Quasnam conditiones requirat in usu hujus privilegij Pontifex?

Animadvertendum *quintò*, nonnullas à summo Pontifice positas esse conditiones, à Confratribus in usu hujus Privilegij observandas: nimirùm habeant *Altare portatile cum debitis reverentia & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, etiam non sacris, & quatenus etiam Apostolica, Authoritate interdictis, seu tempore cessationis à Divinis, dummodo causam non dederint hujusmodi interdicto, seu cessationi, & per eos non stet, quominus pareatur Apostolico interdicto, &c. clausis januis, excommunicatis & interdicti exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce &c.*

316. Vide Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *P. disp.* 81. *sect.* 5. §. quarta exceptio. Portel. in *dubijs Regul. V. Altare*, ubi plures citat alios. Hoc privilegium nõ videtur revocatum per Concil. Trident.

QUÆRET quispiam, Utrum istud privilegium sit revocatum in Tridentino *Sess.* 12. in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missarum, quo prohibentur omnia Altaria portatilia in domibus privatis &c.

AFFIRMANT Suarez & Navarrus apud Dianam 4. *Part. resolut.* 106. qui ijsdem opponit Joannem Præpositum 3. *Part. quæst.* 83. *art.* 3. *num.* 151. à quo sic exponitur Tridentinum, ut solum velit compelli posse ab Episcopis habentes ejusmodi privilegia ad abstinendũ ab ijs celebrationibus. Rodericus *Tom.* 1. *q.* 28. *a.* 3. expressè ait, non esse audiendum Navarrum de abrogatione ejusmodi privilegiorum, tandemq; concludit, tuta conscientia posse eo modo celebrari, ab habentibus privilegium, quamdiu tacuerint Episcopi: secus verò si prohibuerint. Idemq; repetit *quæst.* 43. *art.* 5. data super Tridentini (quàm ex Præposito retulit Diana) interpretatione, statuitq; id se tueri cum viris doctissimis, quos ea de re consuluit. Monet tamen utendum prudenter privilegio, ne pollutis locis sacra conficiantur mysteria. Nost. Lezana *Tom.* 2. *qq. Regul. cap.* 15. *num.* 57. & lib. de Patron. Marian. *Cap.* 12. *num.* 13. agens de hoc Confratrum privilegio putat ordinariam celebrationem adversari Tridentino, sed non raram ac singularem, qualis ea est pro tempore interdicti, quod rarò contingit.

SECUS-

SECUNDUM Privilegium describitur *eodem §. 9. dictæ Clementinæ* his verbis: *Ac quocunq; tempore Eucharistiam, & alia Sacramenta Ecclesiastica, à quocunq; maluerint Presbytero idoneo, & ubicunq; sine Rectoris Parochialis Ecclesiæ præjudicio, recipere, & administrare liberè & licitè valeant.*

317. Quid circa Eucharistiæ, aliorumve Sacramentorum usum permittatur Confratribus tempore interdicti?

Quod similiter concessum videtur solum pro tempore interdicti, seu cessationis à Divinis, ut textus indicat. Circa hoc Privilegiū,

Quæritur *primò*, quodnam sit illud Rectoris Parochialis Ecclesiæ præjudicium? sed ad hoc patet responsio ex ijs, quæ dicta sunt *supra Cap. 2. in fine.*

Quæritur *secundò*, Quænam debeant intelligi per ea verba: *& alia Sacramenta Ecclesiastica?*

Respond. Intelligenda ea omnia Sacramenta, quæ simplex Sacerdos potest conferre: nam ubi Pontifex non distinguit, nec nos debemus distinguere. Nulla enim suadet ratio, ut à proprietate & latitudine verborum discedamus.

Quæritur *tertiò*, Utrum huic privilegio sit derogatum? *Respond.* Integrè non esse abrogatum, sed tamen in aliquibus fuisse immutatum. *Primùm*, Quatenus matrimonium celebrari non potest, nisi alijs adhibitis solemnitatibus, quæ tunc minimè erant necessariæ. *Secundò*, Sacerdos electus debet nunc esse approbatus, modo quo *supra Cap. 2.* diximus. *Tertiò* Quilibet Sacerdos habere non potest sacrum Oleum pro extrema Unctione. *Quartò*, Sacerdos Regularis nullum præter pœnitentiam, & Eucharistiam potest administrare Sacramentum, nisi de licentia Ordinarij, vel urgente necessitate: Eucharistiā autem non potest deferre, sed celebrando in dicto portatili administrare, &c.

318. Quid circa sepulturā tempore interdicti?

PRIVILEGIUM tertium claudit paragraphum nonum citatæ Clementinæ his verbis: *Et si contingat eos, vel eorum aliquem tempore interdicti hujusmodi, ab humanis decedere: corpora eorum Ecclesiasticæ, cum aliqua, honesta tamen, funerali pompa tradi possint sepulturæ.* De hoc postremo privilegio aliud non occurrit advertendū, quàm pensandam esse defuncti dignitatē, ut de honestate pompæ feratur judicium: quod enim honestum videri potest rustico pro funere, in nobili erit indecorum; non tamen adeo solemnis & ornata esse debet, qualis adhiberetur alio tempore, quo Divinis non esset interdictū. Hoc privilegiū minimè fuisse revocatū testantur supra laudati Authores Theod. Strat. & Jo. Bapt. deLezana, alijq; nō pauci. Probat quoq; idē R.mus Stratius enumerata supra privilegia, nec *præscriptione*, nec *non usu* esse antiquata. CA-

PARS SEXTA,

De alijs nonnullis sacri Scapularis beneficijs.

CAPUT I.

De temporalibus quibusdam beneficiis supra naturam sæpius Confratribus collatis.

319. Innumera medio Mariano Scapulari miracula fiunt.

ALIA complura, eximiaque beneficia Partheno-Carmelitici SCAPULARIS interventu, supra naturæ cursum, divinitùs sæpius Confratribus conferuntur: non quidem omnibus omnia indiscriminatim, sed quibusdam duntaxat peculiariter dilectis. Quotidiana namque coelat experientia (ut nunc nihil de continua jam inde à temporibus SIMONIS nostri traditione dicam) propè innumera, Mariano SCAPULARI, opeq; DEIPARÆ mediante, patrata fuisse miracula, ut ideo jure meritò ab Augustissima Cœlorum Regina nuncupetur, SIGNUM SALUTIS, SALUS IN PERICULIS, FOEDUS PACIS &c. Et idem de eo, proportione quadam, affirmant nonnulli, quod de se Christus ad Joannem, *Matth. Cap.* 11. dixit, *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Et illa Regij Psaltis *Psalm.* 104. verba, *Fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro*: exponendo ad nostrum propositum, sic inquiunt. *Admirabilia, nec alias facile audita, hoc sacræ vestis instrumento DEIPARA Virgo patravit opera, supra terram, in terra, & infra terram: in elementis, in hominibus, & ipsis inferis.*

320. ATQVE ut à terrenis istis ordiamur; quæ non vidimus pec-

DEI-

DEIPARAM hujusce vestis suæ beneficio prodigia edita in terris? Nunc Cafforiæ propè Neapolim puerum, *Dominicum* nomine, à malevolo homine pessimè saucium, puteo immersum, lapidibusque obrutum, ac veluti sepultum, octo ipsos dies, sine cibo ac potu, ullóque humano solatio incolumem servat, indeq; eximit. Alias fœminam *Nuntiam Brancacciam* nuucupatam, â germano fratre ad mortem usque fustigatam, brumali tempore vestibus omnibus nudatam, & in puteum nonaginta sex ped. profundum præcipitatam, septiduo absq; ulla esca conservat, vitam prorogat, ac luci restituit. Admiranda prodigia, quę intra & suprà terram contigere.

Nunc denuò haud procul â Neapoli, puerum alium *Ioannem* appellatum, ab impio quodam in altissimum quoque puteum demersum, saxisq; coopertum, post plures dies divinitùs luci ac libertati reddit. Alias etiam fœminam Neapolitanam, â duobus germanis fratribus suis, novem planè lethalibus vulneribus perfossam, & in aridum profundissimumq; puteum, velut jam vita functam, abjectam, magnis plurimisque lapidibus, ad immane facinus celandum, coopertam, ab immissis saxis visibiliter protegit, citraq; ullum humanum auxilium, admirabili planè modo novem dierum spatio vivam conservat.

Nunc *Thomam Giojam* Recani in territorio Capuano, â suis hostibus plagis plurimis lethalibus saucium, ac pro mortuo in siccam 25. ped. profundam cisternam præcipitatum, terraq; obrutum, decem ipsis diebus, sine ullo victu, divinitùs à morte liberat, sospitatiq; restituit.

Nunc Lotharingum quendam Coloniæ Agrippinæ, profundam fossam pro jaciendis cujusdam Cœnobij fundamentis effodientem, â relabente magno impetu effossa terra, opprimendum alias, tumulandumq; visibili specie conspicua Virgo illæsum servat ac protegit.

Et quod multò ampliùs mirandum: Neapolitanum quendam agricolam altissimum puteum fodientem, terraq; adjacente obrutum ac sepultum, visibiliter apparens, pallio suo protegens, triduo hac ratione prodigiosè incolumem servat, atq; à præsentissimo interitu vindicat.

Deniq;, ut alia complura hujus generis prodigia silentio præteream, militem quendam Italum in regno Bohemiæ, haud procul à Praga, fustibus, stipitibus, sudibusque contusum, ac pro defuncto sepulturæ traditum, in ipso tumulo divinitùs tridui quoq; spatio vivum servat, atq; demum mirabiliter luci restituit. In-

321. Nonnulla prodigia, quæ intra aquam patrata recensentur.

IN AQVIS autem, nunc navigantes ab irati, sævientisque Maris minis ac procellis divinitùs absolvit: alias, naves ipsas cum vectoribus, ab intumescentibus supra omnem modum fluctibus, jam jam absorbendos prodigiosè eripit ac servat. Nunc aquas fluminis alveum suum longè lateque excedentes, & plurima gravissimaq; damna inferentes, & majora, pluraq; minitantes solo sacri Scapularis contactu, intra pristinos limites cogit ac reducit: alias nudo similiter ejusdem attactu, procellosos infestissimi Maris fluctus prodigiosè æque derepente sedat ac serenat.

Nunc mulieres, quæ nescio quo furore percitæ, se in Mare egerunt præcipites, in ipso aquarum summo æquore sustinet, nec sorbentur: alias multoties diversis temporibus, ac locis in mare, flavios, puteos, aut alias in aquas, aut ab alijs præcipitatos, aut ex casu inopino atq; adverso lapsos, simili miraculo à submersione vindicat, servatque.

Nunc quosdam in, & sub ipsis aquis per horæ quadrantem, alias per horam dimidiam, quosdam per horam integram, alios per sesqui horam, atque alios per plures horas, & quod summè mirandum nonnullos, per tres dies integerrimos, noctesq; stupendo prodigio, vivos conservat atque incolumes educit. His nihilo inferius id, quod Philocalus Caputus, Neapolitanus, refert, dum pueros aquarum molas vertentium vorticibus abreptos, ac demum submersos vitæ reddit. Unum quoque in his prodigiosis eventibus imprimis animadvertendum occurrit, quod scilicet parthenium SCAPULARE medijs in aquis, sæpènumero adeo ab omni humore immune manserit, atque siccum, ac si aquam ne contigisset quidē, cum ipsis induvium, & cætera vestimenta omnia prorsus immaduissent.

Lib. cui titulus, *Mons Carmeli*, excus. venetijs an. 1626. *discurs.* 1.

322. Prodigia in aëre.

JAM in aëre quæ non patravit? Sæpius miseros mortales, ab elatis turrium, fabricarū, ædificiorum, præcipitiorum, arborumque fastigijs infeliciter lapsos, SCAPULARIS beneficio, suo veluti gremio SS. Virgo indemnes excipit. Eodem pluribus jam morituris per furcam ac laqueum damnatis, propitiùs succurrit, & horū fortistorum laqueo divinitùs dirupto, vitales, etiam post tales cruciatus servat spiritus.

323. PORRÒ de igne quid dicemus? Non minora sanè, nec inconsequentiora Divinæ manus opera per parthenium SCAPULARE in ignibus

ignibus sunt deprehensa. Quam innumeri ejusdem Marianæ vestis atque intercessionis beneficio catapultarum, sclopetorum, bombardarum, aliorumque ejusmodi bellicorum tormentorum vim ac globos illæsi exceperunt. Quot non hoc medio divinitùs pyrobolos, sagittas, fulmina, flammas, exustiones, aliaque id genus mala feliciter evaserunt? Quot non latè grassantia, & omnia depascentia incendia, mirifica hæc vestis velut inundans, vehementissimusque imber, aut nimbus momento extinxit? Fidem mihi adstruet, ut prope innumera, quotidianaque, ut ait Raynaudus, hujus generis exempla sileam, vel una urbs Salernum: cujus quamplurima ædificia, cum tres omnino dies arsissent, nec igni restinguendo via, aut modus suppeteret, sacro SCAPULARI duntaxat in populabundas flammas à pia femina injecto, ipsæ quidem illicò sopitæ sunt, illud autem sartum tectum, superata vi immensa hujus elementi, inter ipsos cineres repertum est.

Prodigia stupenda circa elementum ignis.

Lib. cit. 1. p. cap 6. Philoc. Caputus *loc. cit.*

Mirificissimum est, quod modo laudatus Theophilus Raynaudus recenset de quadam pia muliere, quæ Mariano instructa SCAPULARI, cum intra flammas domum depascentes hæsisset per horam dimidiam, solo operta indusio, exempta inde est, ne capillo quidem violato, ac indusio, cui Scapulare adnexum erat, prorsus intacto.

324. Prodigia complura circa fera animalia.

Quis paucis complectatur verbis admiranda prodigia circa fera animalia patrata? Quidam huius sacerrimæ vestis virtute inter sævissimas rugientium Leonum fauces, alij inter crudelissimas sævientium Ursorum ungues: quidam inter furentium Aprorum acutissimas dentes, alij inter Taurorum ferocium cornua, miraculosè planè incolumes servati sunt. Quidam indomitorum Equorum efferatas calces, alij rabidorum Canum venenatos morsus: quidam Anguium & Viperarum, alij Aspidum, & Basiliscorum, aliorumq; id generis virulentorum animalium lethifera, præsentissimaq; venena divinitùs, hoc sacri Habitus clypeo protecti, indemnes evaserunt.

325. Innumera omnis generis prodigia. Permulti ut servaren

Quam innumeri hac Parthenia veste muniti, ab impijs hominibus globis, pilis, glandibus, lanceis, hastis, bipennibus, frameis, pugionibus, ensibus, machæris, acinacibus, sicis, sagittis, telis, jaculis, sudibus, fustibus, lapidibus, saxis, alijsq; ejusmodi violentæ mortis instrumentis impetiti, & invasi, ejus beneficio, aut ab omni prorsus, etiam levissima, plaga, vulnere seu læsione mansêre immu-

tur à morte æterna servati sunt ad tẽpus à morte temporali &c.

immunes, aut gravissimè etiam, ac lethaliter saucij, confestim divinitùs sani atq; sospites effecti sunt! aut tamdiu saltem â præsentissima morte, insigni miraculo, in vita servati, donec expiata per sacram exomologesim conscientia, alijsq; Sacramentis, pro felici decessu necessarijs, piè receptis, incontaminati ad DEUM migrarent.

326. Mortuis vitam, cœcis visum, surdis auditũ, mutis loquelam, claudis gressũ &c. restituit. Omnis generis morbos sanat.

Nec defuit Marianæ vestis, & opis vis & energia cæcis, surdis, mutis, claudis, paralyticis, amentibus &c. imò nec defunctis; his enim non semel vitam, illis visum, auditum, loquelam, gressum, sospitatem mirabiliter restituit.

Qui in morbis citum, ac præsens auxilium à sacri Scapularis gestatione senserunt, occurrunt tam multi, ut non possit hic iniri numerus. *Constat ubivis ferè terrarum*, inquit *loc. cit.* Raynaudus, *omnis generis ægritudines hac una via esse persanatas. Febres, & quidem lethiferas: pedum apostemata, rabidos dentium cruciatus, lethargicos sopores, medicraniam, tormina iliaca, paralyses, aquam intercutem, epilepsiam, elephantiasim, & venenatorum omnium præsentissimam pestem.*

327. Steriles ac parturiẽtes divinitus adjuvat.

His addenda veniunt miracula non rarò in sterilibus, ac parturientibus patrata. His enim in gravissimis cruciatibus, supremoq; vitæ periculo propitiùs adfuit, & mirificè adjuvit: illis verò, post longos in sterili conjugio exactos annos, fæcunditatem mirabiliter contulit, ac divinitùs concessit.

328. Malignos Spiritus expellit, & eorum infestationes reprimit.

Et quis, O DEUS bone! universa recenseat Partheniæ opis & vestis admiranda, & prodigia? E plurimis, de quibus adhuc disserendum foret, unum duntaxat paucis solum insinuabo. Mirificam scilicet vim ac virtutem ejus, non modo in expellendis ab obsessis corporibus malignis Spiritibus, & reprimendis, ac coercendis omnibus universim eorum infestationibus, & divexationibus, verum etiam in eorundem assectarum & mancipiorum, magorum dico & sagarum diabolicis artibus, & veneficijs; ut hi & illi plurjes, vel sponte, vel coactè confessi sunt.

Magorum ac Sagarũ veneficijs obstat & impedit.

Hi & hæ quidem, dum judicialiter examinarentur, & ad maleficiorum suorum confessionem urgerentur, non semel, ut fide digni Authores referunt, pleno ore fassi sunt, se nunquam potuisse suis male- & veneficijs quidquam nocumenti inferre Confratribus sacrum SCAPULARE gerentibus, quantumvis, ex infensissimo in DEIPARAM & ejus Confratres odio & rabie, sæpè numero id impensissimè conati sint

sint, licet interim alijs illo non instructis, absq; ullo obstaculo, ijsdem suis artibus & veneficijs plurimum nocuerint.

Illi verò, Cacodæmones videlicet, pluries vel sacris Ecclesiæ exorcismis, coacti, vel virtute ejusdem sacerrimæ vestis, quam perferre nequibant, constricti, cum horrenda lamentatione, atque ejulatione publicè omnibus audientibus propalarunt, ac confessi sunt, plurima gravissimaq; damna, quæ ex debita, devotaq; sacri SCAPULARIS gestatione infernus percipit: utpote cujus beneficio animæ quàmplurimæ salvantur.

Dæmones conbtentur damna, quæ percipit infernus ex devota sacr. *Scapularis* gestatione.

Refert quoque R. P. Joseph de Velasco, in vita Ven. FRANCISCI JEPEZ, huic homini DEI divinitùs revelatum fuisse, quod inter tria, quæ Dæmones vel maximè oderunt, eosque cruciat vehementer, unum sit, *quod sacrum SCAPVLARE SS. Virginis MARIÆ de monte Carmelo passim feratur*

De his, & præfatis omnibus admirandis, & prodigijs prolixiùs, & singillatim disservi in *CARMELO THAVMATVRGO, libro primo & secundo*, ubi Authores quoque complures adduco, qui de his scripsère.

CONFIRMARI quoque hæc queunt illis, quæ Philibertus Fezayus S. Theolog. Doct. & ejusdem Facultatis Decanus, & Professor Regius in Universitate Borbonia Aquensi, tradit in opere inscripto, *Duplex privilegium sacri Scapularis* &c. *Privilegio* 1. *controversia* 2. exponendo supra relata verba Augustissimæ Virginis: *Ecce signum Salutis, salus in periculis, fœdus pacis* &c. ubihæc habet: *Dico illis verbis*, Ecce signum salutis, *significari gratiam sanitatum: & sequentibus*, Salus in periculis, *denotari propulsationem periculorum, quæ sunt duæ prærogativæ, quibus B. Virgo ditare voluit sui Ordinis SCAPVLARE, ut illi, qui cum ea hoc fœdere pacis, & pacti sempiterni conjuncti forent, à varijs morbis, periculisq; improvisis protegerentur.* 329.

Probatur PRIMO de gratia sanitatum, quia Scapulare; *seu B. Virgo ad præsentiam SCAPVLARIS, sæpènumero rigores & ardores febrium, etiam mortalium fugavit: Apostematum pædores extirpavit: medicraniam lancinantem retudit: dentium dolores lenivit: lethargia sopitos, quasi ex morte ad vitam revocavit: colicæ terebrationes in ventos resolvit: Paralyticos ambulare fecit: Hydropicos aqua intercute liberavit. Pestem, elephantiasin, epilepsiam, aliosq; id genus morbos sanavit. Deniq; Virgines fovet, castitatem conservat, sterilitatem propellit, & fœcunditatem inducit.* Qnænam ægritudines divinitùs medio sacro *Scapulari* curatæ sint?

330. Incendia restinguit: à fulmine conservat.

Probatur SECVNDO *de periculorum propulsatione universè: quia extinguit incendium: cum enim aliquoties domus conflagrarent, projecto in ignem* SCAPVLARI *benedicto, cessavit flamma, &* SCAPVLARE *inter medios carbones incombustum apparuit. Tribus pueris in uno lecto recumbentibus cecidit fulmen in cubiculum, duo extremi fuerunt tacti, medius, qui gestabat* SCAPVLARE, *mansit intactus. Simile quid contigit non à longo tempore quibusdam in territorio Aquensi viatoribus. Atq; ita, sive foris, sive intus B. Virginis* MARIÆ *de monte* CARMELO *Sodalitatis alumni sæpè reperti fuerunt præservati, quando alij in eodem hominum cœtu fulminis ictum senserunt. Gallorum sub vexillis Christianissimi Regis in exteris Regionibus militantium, plerique* SCAPVLARI, *quasi tunica loricati ahenea globulos catapultarum plombeos in ipso conflictu ex adverso, pectore susceperunt, qui* SCAPVLARE *attingentes tenuiter lapsi sunt, & in eo solùm sua vestigia reliquerunt. Plerique verò grandi ulcere vulnerati in corde, partim B. Virginis adjutorio, partim pio ergà sacrum* SCAPVLARE *affectu, satis temporis nacti sunt, ut susciperent tria Sacramenta morientibus ad salutem necessaria, antequam suas animas exhalarent.*

Globorū, pilarum & glandium vim & vires retundit,

a mala morte præservat,

331. a collisione liberat, à suffocatione in aquis, & ab alijs præsentissimis periculis.

Quam multi ex summis turribus lapsi sospites surrexerunt? Quam multi ligatis manibus & pedibus in mare demersi, ad bonam temporis moram, videlicet quinque vel sex horarum, vel unius aut alterius diei, manserant aquis obruti, quos varijs in locis varij piscando invenerunt vivos, & sacro SCAPVLARI *munitos? Quam multi aurigarum incuria, aut equis, aut quadrigarum rotis ex improviso interjectis aliquando illæsi evaserunt, aliquando peritorum judicio desperatam sanitatem* SCAPVLARIS *privilegio obtinuerunt? Exempla hæc, sicut etiam alia innumera videntur* &c. Hactenus Fezayus.

Non dissimilia tradunt exponendo præfata DEIPARÆ verba è nostris P. Emmanuel à JESU-MARIA in opere Romæ excuso, ac inscripto, *Fructus Carmeli, Tom. 1. discursu* 17. P. Philippus Maria à S. Paulo *libro* 3. suarum Concionum Romæ quoque edito, *serm.* 3. *&* 4. P. Philocalus Caputus, in *varijs suis Opusculis*, P. Gregorius Nazianzenus à S. Basilio in *Adoptione parthenia*, & iterum in *Institutione familiari Confratrum &c.* P. Daniel à Virg. MARIA in *Vinea Carmeli Part.* 5. *Cap.* 6. & ut alios transeam, P. Lezana in *Mariano suo Parvenatu Cap.* 9.

Haud parum quoque suprædictis omnibus confirmandis deservire valent ea omnia, quæ supra laudatus Theophilus Raynaudus egregiè differit, de Mariani Scapularis admirandis ac prodigijs *Cap.* 6. *per.*

6. Part. 1. Operis sæpius citati, ad quæ (brevitati consulens) Lectorem remitto. Sed intermittere nequeo, quin hic apponam totum Caput subsequens ejusdem libri, in quo postquam complura jam Partheniæ vestis beneficia, privilegia atque prærogativas recensuisset, tandem concludendo affirmat, probatque, *sacrum SCAPVLARE jugem esse scatebram spiritualium donorum, signum salutis æternæ, notam prædestinationis*; quod ipsum ego, hanc de privilegiis, beneficiisque Virginei SCAPULARIS Dissertationem terminando probare intendebam, sed malo id potius verbis ejusdem disertissimi, celeberrimique Authoris, quam propriis, majoris fidei, authoritatisve conciliandæ gratia, asserere ac confirmare. Ipsum igitur hic differentem audiemus.

CAPUT II.

Marianum SCAPVLARE jugis scatebra spiritualium donorum, signum salutis æternæ, nota prædestinationis.

PRolatus proximè est gustus operum supra naturam; circa sanitatem, vitam, & immunitatem à malis temporariis collatam. Nunc attingenda obiter sunt spiritualia bona, præ quibus illa alia inferioris ordinis beneficia, vix aliquo sunt loco. Nam ut S. Augustinus pulchrè differit, qualecumque aurum, ac vel si sordens, & plurima excrementitia fuligine obsitum, præstantius est plumbo, quantumvis defœcato, & perpurgato. Similiter ergo spiritualia bona ad animæ salutem spectantia, etiamsi minuta & tenuia; cum spectent ad gradum superiorem, sunt inadæquabiliter præcellentiora quibusvis bonis temporariis, quantumvis in suo genere pretiosis. 332.

In *Psalm.* 145. *ad V.* 1 Quantum differant bona spiritualia à temporarijs.

Pono porrò ut exploratum, totam SCAPULARIS efficacitatem ad bonorum spiritualium devocationem, ex eo prodire, quod sit tessera & pignus benevolentiæ, qua B. Virgo piè gestantes hujusmodi vestem complectitur. Hæc autem benevolentia, quantorum spiritualium munerum sit ferax, S. Bernardus mellitissimè attigit; spectato honore, quem Filius Matri debet. Itaque quid non potest

Sacrum Scapulare tessera est & pignus benevolentiæ Marianæ.

Serm. 1. de Assumpt.

apud gratissimum Filium, optima Mater? Nihil proindè non exorabit, quod ad salutem hominis pertineat, si benevolum oculum in aliquem adjecerit. Adijciet autem, si qui sint, quibus hoc vestimentum salutis curaverit. Ut hoc summæ consolationis argumentum Sodalibus Marianis innotescat, aperienda est radix prima omnium spiritualium bonorum, & huic negotio accomodanda.

Ad Rom. 8. Prædestinatio est radix omnium bonor. spiritualium: ejus incertitudo. 30. *Mor. cap. 32. Lib. 6. in 1. Reg. a. Serm. 1. septuag. serm. 2. in Oct. Pasch. serm. 5. in Dedic. Eccles.*

Docente ergò Apostolo, constat, primam radicem boni cujusvis spiritualis, fructuosi ad optatum æternæ gloriæ finem, esse divinam prædestinationem; inde enim vocatio, ex qua justificatio: ac deniqúe glorificatio justificationem & vocationem obsignans. Quare si constiterit, sacri SCAPVLARIS pium usum esse *signum prædestinationis*; eo ipso liquebit SCAPULARE esse *Signum Salutis*, & *vivam scaturiginem spiritualis cujusvis boni*, atq; adeò verè *Signum in bonum*. Quatenus autem SCAPULARE Virgineum statui possit *Signum prædestinationis*, non omninò liquet. Sed illud est extra controversiam, nemini viatori, extra specialem revelationem, notam esse posse prædestinationem suam, juxta illud à S. Gregorio expositum in hunc sensum. *Nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra?* Idem tradit alibi, expendens illud Johan. 3. *Spiritus ubi vult spirat: & nescis unde veniat, aut quo vadat.* Nimirum in tanto per hanc viam lubrico, & pugnis assiduis, ac tam multorum conspicua dejectione; omnia in futurum servantur incerta, ut benè considerat nō uno loco Bernardus.

333. Prædestinationis signa. *Lib. 12. in Conc. à C. 11. ad 19. lib. de perfect. Monast. conser. c. 7. Lib. 1. de bono stat. Relig. c. 32. Lib. 3. para. c. 11ē 3.*

Nihilominùs sana doctrina ex Patribus, ipsisque Scripturis hausta agnoscit, salva regulari prædestinationis incertitudine, dari quædam verisimilia ejus signa. Ejusmodi præsertim sunt, quæ octo vulgatis Beatitudinibus continentur; ut fusè prosequitur Andreas à Vega. His addunt alij, perseverantiam in semel inito Religioso statu; ut benè monstrant Laurentius Justinianus, ac Hieronymus Plato. Eodem pertinet, auditio Verbi DEI, cum interiori affectu conjuncta; quod signum ex multis Scripturis, & Patribus, illustrat Michaël Medina. Sed unum aliud, nemini cæterorum signorum de aliquali evidentia concedens, censetur esse pietas singularis ergaB. Virginem. In quam rem latè ac benè differit Pelbartus, & ex eo Spinellus: & eruditè (ut omnia) Recupitus. Sanè ex affectu, quo quis fertur in B. Virginem inferre licet, reciprocum DEIPARÆ affectum ergà addictum sibi Clientem; quia ipsa, Filij imitatione, diligentes

ligenter se diligit : nec gravatur , imò gaudet amantes se redamare.

In Stellario. in Throno Deip. num. 17. Tract. de signis prædest.

Quin etiam sicut DEUS ita diligit diligentes se , ut præveniens eorum dilectionem , anteoccupet voluntatem humanam , & immittat semina , unde dilectio progerminet : ita B. Virgo amatores suos benevolentia indebita prævenit,& anteoccupat , inserens per impetrationem sancta lumina , & pios afflatus ac benedictiones dulcedinis, sapore vitali(ut Ennodius (a) appellat) persundentes hominis voluntatem ; quo sic permota velit diligere. Et eo modo se gerit B. Virgo ergà populum honorificatũ; in quo propterea *radicare* dicitur,& *in Electis DEI mittere radices*.

Singularis in B. V. pietas potissimum Prædestinationis signum.

(a) *Epist. ad Constant.*

FERUNT hoc , insignes plerique; tituli à nobis digesti in *Nomenclatore Mariano* &c. (ac quibusdam interpositis prosequitur.) In ea ergò Opella nostra , B. Virgo , dicta à Patribus refertur , *Janua*, aut *Porta Cæli*. Ita Petrus Damiani , Epiphanius Junior , & Damascenus. Dicta item legitur *Cæli Fenestra* , apud Chrysostomum atq; Fulgentium. Ab alijs denominata est, *Columna flammea deducens ad promissionis terram : Corona Sanctorum omnium , Diarium unicum creaturæ Domini.* Illius, inquam , creaturæ , cujus primi Christiani erant initium , hoc est , creaturæ ad gloriam æternam, ante tempora sæcularia, prælectæ. Aliqua quidem hujusmodi illustrium nominum delata interdum sunt B. Virgini propter Filium ; ita ut dicta sit v. g. *Janua Cæli* , quia edidit Christum, qui Cæli aditum reseravit. Non infrequenter tamen ijdem tituli, juxta Patres , immediatè cadunt in B. Virginem. Nam qui eos deferunt , satis insinuant ex mente sua ; aditum ad gloriam, & conscriptionem cujuscunq; Electi in Libro Vitæ , in suo gradu & ordine pertinere ad B. Virginem. Ac proindè ratum esse debet , agnosci à Patribus influxum aliquem moralem B. Virginis in executionem Prædestinationis æternæ ; nexam cum ipso delectu ad gloriam , ut executionem cum intentione. Statuendum item est ut ratum , ipsam quoque esse ; quæ suo modo , id est , impetrando ac exorando , subministrat suppetias omnes , quibus Electi deducuntur ad ubertatẽ Domus DEI; ibi inebriandi fonte vitæ & pane intellectus sagi nandi. Non dubitavit sanè S. Germanus , præ ea subministratione assidua , DEIPARAM denominare *Spiritum* , & *Vitam Christianorum.* Quomodo enim corpus nostrum , vitalis signum operationis habet respi-

334. Tituli quibus MARIA à SS. Patribus honoratur.

Orat. de Zona B. V.

respirationem: ita sanctissimum Virginis nomen, quod in suorum ore assiduè versatur; vitæ, lætitiæ, auxilij, non solum est signum, sed etiam ea curat.

335. Id Ipsum ferunt, quod aliqui Patres tradunt, perire non posse, qui benè affectus fuerit ergà Matrem Salutis. Adduxi nonnullos ita locutos, in *Diphtychis Marianis*; quibus nunc addo Laurentium Justinianum, qui glossans verba illa Christi in Crucem suffixi ad Matrem, *Mulier ecce Filius tuus*, sic inducit colloquentem Matri Christum: *volo ut illam* (Ecclesiam) *de cætero in Filium habeas, illam Tuis orationibus protegas, atquè virtutibus auctam ad me perducas. Eidem quoque mandabo, ut Te tanquam Matrem veneretur, Te diligat, ad Te confugiat: Te inter* DEUM *& se, Mediatricem faciat. Te advocabit in periculis, in dubiis consulet, in necessitatibus implorabit. Non minus de Te, quam de me captabit fiduciam. Faciam prorsus, ut omnes concurrant ad Te, eritque nomen tuum honorabile in omni generatione & progenie. Nemo in tui invocatione spernetur, nullusque devotus Tibi, à me efficietur alienus. Indissolubili charitatis fœdere Te illi, & ipsam copulabo Tibi.* Totus locus, sonat quod proposui. Sed expendantur nominatim verba illa, *nullus Tibi devotus, à me efficietur alienus.* Atqui non esse à Christo alienum, est esse cum eo: & accenseri prædestinatis ad æternam sortem beatitatis.

Part. 3. p. 5. num. 37.

Nota insignem D. Laurentij Justiniani sententiã.

Quare habere faventem atque benevolam hanc divini ærarij Erogatricem, à qua subsidia electa ad potiendum æternam felicitatem suppeditentur ad modum prædictum; habere inquam, amicam hanc cœlestam Thesaurariam, quæ sumptus in Cæli viaticum necessarios liberaliter submini strret, hanc Cæli Janitricem, per quam pateant Portæ æternales; *Signum* est *prædestinationis.* Nec verò qualecunque, sed admodum verisimile.

336. Quod autem Sodales Parthenici potiantur speciali benevolentia B. Virginis, conjicere licet ex hoc pignore, per ipsammet DEIPARAM delecto: & ex tot argumentis, quibus jam à multis seculis prodidit, placere sibi hujus Religiosæ observantiæ Tesseram, & qui eam usurpant, pro specialibus Filijs à se haberi. Itaque perspicuum videtur, Scapulare Virgineum insigni illa prærogativa exornari, quod sit *prædestinationis nota*; quia cum sit tessera incensi affectus ergà DEIPARAM, ex semine per ipsammet jacto excitati; est etiam signum reciprocæ specialis benevolentiæ tantæ Matris, curaturæ medii electis

Quare Sodales Carmelitani speciali gaudeant benevolentia B. Virg.

electa ad salutis æternæ adeptionem, qua est apud Filium gratia, & in dilectos suos benignitate.

Cur pia gestatio Scapularis parthenij signum sit prædestinationis?

Hanc rationem, quæ potest censeri à priori (quippe continens causam, cur gestatio Scapularis Parthenici, dicatur *Signum prædestinationis*) firmat optima ratio, ducta ab experimentis, quæ interdum fuerunt ejusmodi, ut nihil deesse videretur, ad palpandum insignem hunc effectum, cui declarando insistimus.

337. A Raynaudo probatur hoc ipsum tribus prodigiosis casibus.

Duo quæ superiori Capite signavi, agens de displosione globi in nobilem, cui nomen *de Cuge*, & in militem è Croatia: [recensueram de illo, quod cum anno 1636. inter trajiciendum Ticinum amnē vibrata in ejus pectus fuisset muralis tormenti pila (unde postmodum cor deprehensum est diffractum, & obtritum contritione pervalida) globo in SCAPULARE quod gestabat illiso, & Scapulari intra cor adacto, non conciderit tamen illicò exanimis, ut sanè necessario requirere videbatur tantæ vehementiæ ictus, & lethalis omnino læsio, sed per horas tres anima ejus in ipso fuerit; donec advocato, apud quem peccata deponeret, Confessario, Christiano ritu expiatus defecit. De hoc autem, scilicet milite Croata, quod cum prædabundus obiret cum duodecim socijs Lotharingiam; & comprehensus fuisset in oppidulo ad Mussipontum, cui nomen *Tiocur*, consis militari manu socijs: tametsi qua gladio impacto, quæ brevissimi sclopi missu centies saucius, etiam capite validè diffiso, & cranio in duas partes disrupto, contestatus semper fuerit, frustra conniti, qui lethum ejus urgebant: & nulla vi eripiendam sibi fore vitam, donec expiata ritu Catholico per exomologesim conscientia, nitens ad Deum migraret. Hortantibus, qui aderant, ut sibi per contritionem prospiceret: Ego, inclamabat, Filius DEIPARÆ sum Virginis, sacro ejus habitu jam pridem amictus; nec ante extrudetur è meo corpore anima, quam sim de peccatis confessus. Felici sorte, nec absque Numinis speciali providentia, & Virginis Matris in miserum Clientem suum benevolentia, Sacerdos Metas petens, in hominem incidit, à quo auditus, & ritè absolutus, illicò efflavit animam, ultimo Januarij, anno 1640.]

Prædestinatio ad gloriam

Duo hæc, *prosequitur Author*, ejusmodi sunt, ut vix possit aliquid desiderari in hanc rem illustrius. Videtur enim uncialibus literis exarata, in utroque eventu, divina ad gloriam prædestinatio, executioni

executioni mandatur Scapularis beneficio.

tioni mandata beneficio SCAPULARIS; impedita supra naturam præcipitatione in mortem; dum expectatur, qui Christiano ritu expiet ante migrationem animæ è corpore, & vittæ aureæ disruptionem.

338. ALIUD exemplum sanè luculentum in eandem rem, adducitur à Petro Swaningtone, B. SIMONIS Stockij socio. Refert enim nobilem ad extrema deductum, attactu sacri SCAPULARIS, à furore, & œstro Dæmoniaco, quo fœdè agitabatur, esse liberatum. Sicque facto mentis flustro, sedatè suscepisse Sacramenta, & optimè dispositum obijsse: cum priusquam sacro SCAPULARI contingeretur, nullam Confessionis, nullam Eucharistiæ mentionem administret. Quis hic non videat *signum prædestinationis* in Scapularis admotione luculentum? Hic si sacrum SCAPULARE non contigisset, inexpiatus peribat. In ELIÆ vero melote, moraliter securus, trajanavit amnem hujus mortalitatis, & ad littus æternæ quietis felicitèr emersit, certus salutis suæ humano modo, ac verisimillimè, adeo nullus perit, invocato nomine MARIÆ.

Nullus perit invocato MARIÆ nomine.

339. HUC quoque referenda sunt, quæ idem Author de hoc eodem argumento scribit *Part. 2. quæst. 7.* In objecto ejus (inquit) hoc est signo gratiæ & prædestinationis, est præcipuus nodus hujus negotij, qui tamen haud difficilè expediendus videtur, dicendo SCAPULARE Carmeleum, esse ex DEIPARÆ instituto, *Signum salutis, & notam prædestinationis*; quatenus gestatio Scapularis: ejusmodi tessera est singularis protectionis B. Virginis, assuturæ Sodalibus, & conciliaturæ media gratiæ singularia, quibus & securiùs serventur mandata, & tutiùs ad optatum finem beatitudinis pertingatur. Non plus dicitur cum asseritur, *gestationem SCAPVLARIS* esse *signum Salutis*; & *pignus* vel *notam prædestinationis*. Quid verò solidæ difficultatis, circa hoc proferri possit, plusquam adversus alia signa salutis & prædestinationis, equidem non video.

Lib. 12. in Concil. cap. 11.

Octonarius Beatitudinum, ab Andrea Vega assumitur, pro octuplici nota prædestinationis, & æternæ salutis à Christo propositæ. Itaq; pauper spiritu, ac mitis, & persecutionem patiens propter justitiam, pronuntiantur futuri in fine compotes gratiæ, & immunes ab æterno incendio; supponendo semper, quod communia omnibus mandata servaverint. Et cum hoc sensu talia dicuntur esse *signa salu-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tis & prædestinationis, nemo succenset. Quam multa verò alia dicuntur juxta Scripturas habere vim justificandi, & salvandi, quæ tamen subintelliguntur vim illam suam exertura, si cætera adsint, ex natura rei, vel ex Divino instituto necessaria? Sic *Rom.* 3. dicitur, *Arbitramur hominem justificari per fidem.* Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.* Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata.* Jacobi 1. *Insitum verbum potest salvare animas vestras.* Hæc & alia id genus, passim in Scripturis leguntur, neque tamen (ut benè notavit Bellarminus) ullus est, qui indè colligat, solam fidem, aut spem, aut eleemosynam, vel solum verbum, justificare, aut salvare, aut à morte æterna eripere, absque alijs ad eundem finem requisitis. Sed Scriptura sic loquens, vult tantum significare, prædicta habere vim suam ad illum finem: & eum (quod ad se attinet) advehere, si cætera non desint.

Videantur quæ supra 1. *Part. Cap.* 10. circa hæc disservimus.

Lib. 2. de panitent. C. 7. ad 5.

Ut quid ergò aliter statuitur de *gestatione Scapularis*, cum dicitur illud esse *signum Salutis, & prædestinationis.* Tantum enim significatur, eam gestationem piè factam, habere vim suam, ut quis salutem adipiscatur, & fiat in eo executio prædestinationis; ut fert DEIPARÆ promissio, binis revelationibus patefacta.

340.

At nihil singularis privilegij habebunt Sodales Carmelitani, si promissio tantùm ferat, eos potituros salute, si servent mandata, & vitam piè exigant. Æque enim Christiani omnes, etiamsi SCAPULARE non gestaverint, si servent mandata, & piè vitam exigant, salvabuntur: & tanquam verè prædestinati deducentur ad montem sanctum vitæ æternæ. Quæ ergò utilitas SCAPULARIS ad eum finem? Magna planè per omnem modum. Est enim SCAPULARIS *gestatio* tessera & pignus uberis gratiæ auxiliatricis, à DEIPARA Sodalibus suis exoratæ; cujus interventu servabunt mandata, & vitam sancto fine concludent. Et hæc est vis illa specialis, quàm agnosci volumus in gestatione SCAPULARIS, juxta DEIPARÆ sponsionem.

Fateor me versantem in hoc loco, qui præ cæteris hujus negotij salebrosus & impeditus censetur, non posse satis mirari, fuisse, & esse, qui censere viderentur, hunc nodum esse inexpedibilem, cum tamen ejus extricatio, ingenijs non anteoccupatis, videatur facillima, nec plus propositis argumentationibus (verius argutationibus) quatiatur; quam alia quædam sanctorum Hominum enunciata; de quibus nemo litem movet, nemo scandalum patitur, v. g. sanctus

Lib. de Excellent V. cap. 4. in fine, In Virid. t. 2. Flor. sacr. Cap. 9. Part. 2. punct. 10. num. 37.

Anselmus negat perituram, qui in B. Virginem fuerit benè animatus. Et similia habent alij, quos adducit Franciscus Mendoza, quibus plures addidi in Diptychis Marianis. Hæc intellecta cum eo condimento, quod adhibui circa gestationem SCAPULARIS, à nemine respuuntur; quia tantum significatur vis alicujus medij ad obtinenda subsidia, quibus quis à fine suo non aberret. At nihil aliud dicitur de gestatione Scapularis. Eam item *S. Onuphrij* sponsionem, quàm Paphnutius in ejus actis *Cap.* 13. his verbis consignatam reliquit, à nemine damnari videmus. *Hæc est postulatio mea, quam impetravi à Domino. Si quis oblationem ob amorem nominis mei, ante consessum D. N. IESV Christi, & ad laudem ejus immolat, ab omni tentatione Diaboli, & à vinculo pravitatis humanæ, liber existet; atq; cum sanctis Angelis, in regno Cœlorum æternæ hæreditatis capax fiet.* Nimirum per subsidia, quæ ei exorabo, quibus si obicem non apponat, pollicitationis meæ effectum percipiet. Mutentur pauculæ voces in promissione DEIPARÆ pro gestantibus SCAPULARE, & loco *Oblationis ob amorem B. Onuphrij*; dicatur *gestatio pia SCAPVLARIS, ad honorem DEIPARÆ*; non erit gutta guttæ similior. Unde sicut illa *B. Onuphrij* promissio innoxia habetur, & à nemine allatratur, sed piè exponitur; ita par est de promissione DEIPARÆ, quam excutimus, pronuntiare.

ATTEXO corollarium ac superpondium ex libello, cui titulus *Doctrina S. Bernardi*, qui libellus etiamsi non videatur ipsius B. Bernardi, ex ejus tamen dictis studiosè annotatis coagmentatus est, atq; adeò sua authoritate non vacat. In eo ergò libello sic præscribens inducitur S. Bernardus: [Cogita Monachum illum, *Gerardum* nomine, qui cum de DEI misericordia ultra modum desperaret infirmus ad mortem, jacuit per triduum oculis clausis in mentis excessu; & visitatus ab Abbate, oculis apertis ait: *Bona est obedientia. Ad Tribunal Christi sui, animas Sanctorum vidi, ipsumq; facie ad faciem vidi dicentem mihi: Ecce locus tuus, inter Fratres tuos. NVLLVS TVI ORDINIS PERIBIT, si Ordinem amaverit; aut in morte purgabitur, aut brevi post mortem. Salvi autem, qui de Ordine tuo sunt; aut in Ordine Apostolorum, aut Martyrum, aut Confessorum, sortem accipient.*] Et hæc dicens, Communione accepta, desceſſit.] Quæ glossa verbis Christi hunc Monachum in vitæ margine positum, atq; adeò veracem, accommodabitur, etiam rem præsentem opportuna. Hactenus Raynaudus.

CAPUT

CAPUT III.

SCAPVLARE Carmelo-parthenium ob memorata in superioribus beneficia, prærogativas, ac privilegia apud summos Pontifices, Antistites, Cæsares, Reges, Principes &c. omnesq; gradus semper in pretio fuit, ac piè usurpatum.

342. TESSERAM Salutis à DEIPARA ipsa propositam, ex quo per B. SIMONEM STOCK innotuit, certatim Fideles, ex omni gradu ac ordine, arripuerunt. Edocti quippe de singulari DEIPARÆ protectione, in eos, qui usurpato specialis Filiationis & Fraternitatis pignore, ei sese dedidissent in filios peculiares: obsignantibus prætereà (inquit Raynaudus) narrationis veritatem operibus plerisque supra naturam, identidem DEO pijs hac de re sermonibus attestante; ingens omninò factus est concursus deposcentium sibi SCAPULARE. Cujus quidem concursus, motusq; animorum prorsus extraordinarij, exordium ducit Venerab. P. Petrus Swaningtonus B. SIMONIS Comes individuus, à miraculo, quod attactu sacri Scapularis, in persona Walteri fratris Decani Wintonienſis patratum attigimus *num.* 338. præcedenti Capite. *Sermone*, inquit Petrus de eo miraculo, *per Angliam & extra currente, multæ civitates offerebant nobis loca ad inhabitandum, & multi Proceres petebant affiliari huic sanctæ Religioni pro participio gratiarum, desiderantes mori in habitu sancto Ordinis, ut per merita gloriosæ Virginis MARIÆ haberent exitum vitæ bonum.* Subjungit, inde consecutam Ordinis nostri in multis Occidui orbis Provincijs, ad Fidei Catholicæ, Fideliumq; profectum, miram multiplicationem.

Cap. 8. 1. p.

Admirabilis hominũ concursus postulantium sacr. Scapulare: & undè hic ortum duxerit?

Hujus quoque admirandi concursus meminit R. P. Segerus Pauli, in *Chronologia vitæ S. SIMONIS Stock ad annum* 1251. his verbis: *Multi Reges ac Principes, præter vulgus innumerabile, successivè eidem Confraternitati sunt incorporati; quos deinde ipsi quoq; summi Pontifices, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alij ex Clero plurimi sunt imitati &c.* Atque magnus ille Belgicæ, & plurium Religiosorum Ordinum antiquitatis Scrutator, Aubertus Miræus, *lib. de origin. & increment. Ord. Carm.*

Cap. 6. agens de S. SIMONE *Stock*, & Scapulari cælitùs illi tradito, *Tanti*, inquit, *miraculi famam excepit cum admiratione Orbis universu: veritatem confirmarunt summi Pontifices non pauci* : IOANNES XXII. CLEMENS VII. GREGORIVS XIII. SIXTVS V. GREGORIVS XIV. CLEMENS VIII. *& cæt. Sanctitatem coluerunt Imperatores, Reges, Principes, Populi, qui in Sodalitium seu Confraternitatem sacri hujus Scapularis passim toto Orbe Christiano, non sine magno pietatis fructu curant adscribi.*

Quamvis autem omnes animæ sint eodem apud DEUM loco, nec divitijs, aut dignitatibus, quas pietas & virtus non affectantur, DEO arbitro, plus deferatur, quàm ingloriæ paupertati : tamen quia DEUS potentes non abijcit, cum & ipse sit potens; idcircò non paupertinæ duntaxat plebis vilia capita, aut tenuis, vel mediocris sortis homunciones, sed Magnates quoque ac Summates afflavit, ut vellent habitu sancto per DEIPARAM delecto, atq; exhibito amiciri. Antequam verò ex his singillatim referamus, qui hac nostra ætate hanc Marianam vestem gestarunt, primùm paucos ex innumeris indicabimus, qui prioribus illis Sæculis eandem devotè usurparunt.

343. *S. Ludovicus* sacrum gestavit Scapulare.

OMNIUM summus sua ætate inter Summates Laicos sacri hujus ritus observatores, censendus est S. LUDOVICUS IX. Rex Francorum; qui primùm à Palæstina regrediens, adductis secum de Majorum consensu sex de monte CARMELO Eremitis, vel ab eis edoctus religiosam SCAPULARIS observantiam, vel in regressu ritum satis disseminatum piè usurpans Carmelo-parthenio sodalitio nomen dedit; ut ferunt nostri Historiographi, & optimæ, & verisimillimæ conjecturæ. BONIFACIUS quippè VIII. in Diplomate de S. Regis Canonismo, testatur eum, post reditum è partibus transmarinis, assumpsisse vestem Religiosam, peculiarem, & humilem: quod non posse in aliam cadere, quàm in eam de qua agimus, inferiùs evincemus. Gaufridus etiam de Bello loco sancti Regis Confessarius, vitæque Scriptor, memorat ejus vestimentum religiosum habens Caputium super scapulas, quale olim erat Scapulare Carmelitarum. Narrat quoque Thomas Cantipratanus de ultione divina Nuntium Comitis Geldriæ ad S. Regem ab Hero missum, à quo his sannis derisus est in reditu : *vidi illum miserum Regem Papelardum, Caputium habentem capitis super scapulam.* Quæ est descriptio antiqui Scapularis Carmelitici, ut alibi notavi.

Lib. 2. Apum C. 57.

Ab

AD imitationem S. LUDOVICI, cum apud eum hæreret, ejus tutelæ concreditus, *Alphonsus de la Cerda*, Alphonsi Castellæ Regis filius, induit ipse quoque sacrum SCAPULARE, ut ex antiquis nostræ Religionis monumentis produnt Neoterici: addentes eum hoc sacrum Schema præ purpureo Paludamento, & aureis torquibus ostentasse, & vitæ sanctioris initia inde esse auspicatum. Nec modo hic Alphonsus Marianam hanc Ludovici Regis pietatem æmulatus fuit, verum etiam tota Regia ejusdem Familia.

Item *Alphonsus* Castellæ Regis filius: & quanti illud fecerit? Raynaudus *loc. citat.*

PROCERES Anglos complures sacrum hunc Habitum suscepisse, prodebat, adductus initio Capitis, Swaningtonus. Et annotatur nominatim *Henricus Dux Lancastriæ*, quem à sanctitate & miraculis commendatum legimus. Annotatur item Comes Nortumbriæ. Sed nihil hi Proceres ad S. EDUARDUM II. alias V. Regem, ad quem extat apud Cherubinum Diploma JOANNIS XXII. obijtque anno 1328. malignitate Isabellæ conjugis, & Rogerij Mortimerij Reginæ concubini. Per hanc iniquitatis bigam Rex optimus miserè primum exturbatus est, concitato in eum insano populo. Tum velato vultu raptatus verius quàm agitatus, per varia & confragosa itinera, fæneam coronam per ludibrium impositam gestans capite. Cum autem nec veneno, quod illi erat propinatum, nec tetris odoribus inhalatis, qua erat naturæ firmitate, succubuisset: longam denique ejus vitam pertæsi, qui mortuum volebant, curarunt noctu ingentem tabulam super ejus ventrem validè comprimi, & cornu oblongum anui ejus immitti. Intruso autem in cornu, cupreo veru candente, infelicis Regis ilia exusserunt; horrendoq; cruciatus genere, pium Principem neci dederunt. Putabat id genus diritatis, excogitatum primò fuisse apud Sebusianos à rabie ingeniosa mariti, Raynaudus in suo *Prato spirituali*, sed videmus longè anteriorem fuisse eam crudelitatem, & quidem in Regem, eumq; innoxium. De quo hæc attingere placuit, ut constaret novum Jobum, & adamantinum hominem, tantæ patientiæ meritò, *Martyrii* titulo honestatum, haud exiguum decus conciliasse SCAPULARI parthenio. Ob cujus reverentiam, insigniter demeruit Ordinem Carmelitarum, structis ei plerisq; Cœnobijs, & nominatim Oxonienſi; ut essent, qui in ea celebri Academia literis operam darent, futuri ornamento, ac præsidio Religioni.

344. Et *S. Eduardus II.* Rex Angliæ:

Cap. 60.

Par-

Eduardus etiam I. & III. Angliæ Reges.

Parthenium quoq; hunc habitum gestasse, non pauci affirmant de EDUARDO I. alias IV. jã dicti parente & de EDUARDO III. alias VI. ejus successore, Regibus Angliæ, de quibus consulere poteris *Carmelum Thaumaturgum* libro 1. *ad ann.* 1314. & lib. 2. *cap.* 9. aliosq; *ibid.* à me laudatos Authores.

345. Item Rex Scotiæ: & Duces Armoricæ *Ioan. V.* & *B. Franciscæ de Amboisia.*

Quidam etiam in hunc Confratum B. MARIÆ de monte CARMELO Album referunt *Regem Scotiæ* illius temporis, & *Ioannem* V. Ducem Armoricæ seu Britanniæ, & *B. Franciscam de Amboisia* ejusdem Regionis Duciſſam: cui satis non fuit Marianum solum Scapulare gestare, sed & Sanctimonialium Ordinis nostri habitum, defuncto marito, cum ipso in matrimonio integram Virginitatis florem conservasset, assumere voluit. Migravit in Cælum an. Domini 1485. die 4. Novemb. comitantibus eam SS. Virginibus S. URSULÆ Sodalibus, quas in vita mirificè coluerat. Vide Lezanam *Tom.* 4. *Annal. Ord. Carm. ad an.* 1427. *& seq.*

B. Angela Regis Bohemiæ filia & *B. Angela de Arena*

Alij his accensent B. ANGELAM *Vladislai Regis Bohemiæ* filiam: & beatam similiter ANGELAM *de Arena*, sed de his vide jam *citat. Annales ad an.* 1251. *n.* 23. aliosq; Ordinis Historiographos, & Carmelum Thaumaturgum *lib.* 1. *ad an.* 1551. sed tempus est, ut missis his vetustioribus, propiùs ad nostram ætatem accedamus.

346. Recensentur novem Pontifices, qui præter alios complures Marianum Scapulare gestarunt.

Apex Majestatis quo refulgent summi Pontifices, Christi Regis Regum in terris Vicarij, non censuit sibi indecorum, hac cæsti Tessera insigniri. Referuntur in hunc Syllabum GREGORIUS XIII. & XIV. CLEMENS VIII. LEO XI. PAULUS V. GREGORIUS XV. URBANUS VIII. INNOCENTIUS X. & ALEXANDER VII. de quo hæc refert nost. Ven. P. M. Joan. Bapt. de Lezana *Tom.* 4. *Annal. ad an. Christi* 1251.

Illud à nobis maximè expendendum, quo veluti pretiosissimâ gemmâ sacra hæc vestis sæculis æternis coronata manebit. Sanctiss. videlicet D. N. ALEXANDRUM VII. *Romanum Pontificem. Cœli & terræ applausu, sanctissimisque præsagijs nunc regnantem, ea ultrò assumpta, & à Reverendiss. Ordinis N. Generali Antistite sibi oblata, trabea velut regia succinctum & scapulatum esse, pro comperto haberi. Et quod is, qui humanis nullis subjacet Legibus à carnifu edulio singulis hebdomadæ quartis feriis pia devotione abstinuit idque adeo exactè, ut etiam die illa, quâ ad summum Pontificatus apicem evehi meruit, quæ quarta feria fuit (tantæ à Deo celsitudinis donatæ pignus potius, quam*

Nota insignem *Alexandri VII.* in DEIPA-

quam omen) *ejuscemodi abstinentia usus fuerit. Ratus sanè, quod ea habitus gestatione, DEIPARÆ, cujus insigne est, protectione fruatur, quæ tali die Christi Vicariam dignitatem ipsi plenis Patrum suffragijs, nemineque mussitante sua intercessione impetrarit.* Interjectisque nonnullis hæc subjicit idem Lezana. *Quam plures sunt Orbis Principes, Dynastæ, & Magnates, qui S. hoc SCAPVLARE piè gestasse, in Historijs nostris describuntur, quos inter supremi Ecclesiæ Pastores nonnulli etiam recensentur; sed præ cunctis unus nobis hoc sæculo sufficit ALEXANDER VII.* &c. RAM pietatem.

Et Hippolythus Marraccius in suo Opere inscripto, *Cæsares Mariani*, in ejus dedicatoria ad *ALEXANDRVM VII.* ipsi Sanctissimo loquens hæc habet: *Sed & insiti affectus tui ergà DEIPARAM indicium luculentum est, quod cum sacrum illum habitum, SCAPVLARE CARMELITICVM nuncupatum, non solum à vulgari plebe, sed à Principibus, Regibus, & summis ipsis Pontificibus usurpatum (quo B. SIMON Stock Carmelita, DEIPARÆ Virgini MARIÆ singulariter addictus, & dilectus, ab eadem Deipara Virgine, tanquam suæ Confraternitatis signo, & sui in eum, & totum Carmelitarum Ordinem amoris tessera, fuit amantissimè donatus) jam olim devotissimè suscepisses: & die Mercurij beatæ Virgini Carmelitanæ sacro, Tibique propterea devoto, supremus Ecclesiæ Hierarcha fuisses renuntiatus: pietatis virgineæ retinentissimus, pro Carmelitarum lege & more, abstinentiam à carnibus, in summa licet corporis debilitate, & Pontificiæ inaugurationis labore, intactam, ut anteà, eo die servare, ac illibatam custodire volueris.* Hæc ille.

Singulari observatione dignum est, quod de LEONE XI. scribit P. Segerus Pauli *in Histor. vitæ S. Simonis prolixiori*, his verbis: *Cum LEO XI. jam creatus Romanus Pontifex Cardinalitia exueretur veste, ut Papali indueretur, voluit Prælatus vestiens SCAPVLARE Carmelitarum, quo idem LEO à pueritia munitus fuerat, una cum alijs vestibus è collo tollere, judicans Papalem habitum superare quemcunque habitum. Fieri id vetuit his verbis Pontifex:* RELINQVAS MIHI MARIAM, NE ME DERELINQVAT MARIA. Quasi diceret: NOLI ME PRIVARE VESTE SEU HABITU MARIÆ, NE ME MARIA SUA PRIVET PROTECTIONE AC PRÆSIDIO. Et *Leonis XI.* ergà Marianum Scapulare eximium affectum, & æstimationem.

347.

Romanos Pontifices secuti sunt Principes magno numero, ex gentilitijs Romanorum maximè Familijs, Savellia, Aldobrandina, Burghesia, Barbarina, Pamphilia, Ursina, Ludovisia, Columna, Sforcia, Caraffa &c. eandem sacram torquem eximia pie-

Loc. cit.

tate assumentes gerentesque. *Notantur inter istos*, inquit Raynaudus, *Cardinales omninò multi, quos sacrum ostrum Pontificiæ Majestati proximos statuit. Possem ex nomine longum eorum syllabum appendere, sed malo paucitatis notari, quam fastidium ex non necessaria, & tamen prælonga recensione creare. Antistitum verò aliorum, Archiepiscoporum inquam & Episcoporum aliorumque Prælatorum, eidem Cœtui Mariano consertorum, is est numerus, qui subductionem meam superet, & justo volumini implendo par foret: tamen non absque ingrati silentij nota prætereundi videntur, qui recens actis inter Sodales voluêre, Eminentissimi Sacri Rom. Imp. Electores, Archiepiscopi Moguntinus, Colonienſis & Trevirenſis; Principes compertissimæ pietatis, & eagrada sublimitate dignissimi.* Hactenus ille.

Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcopor. &c. sacr. Scapulare gestantium numerus subduci nequit.

348.

Recensentur nostri temporis Cæsares & Augustæ qui Carmelitic. Scapulare gestarùnt.

TRANSEAMUS nunc ad Laicos, quos inter primum occurrunt Augustissimi Cæsares, mundi fastigium tenentes: ex his fuêre FERDINANDUS II. & III. FERDINANDUS IV. Romanorum Rex, & qui hodie Sac. Rom. Imperio felicissimè præest LEOPOLDUS I. Austriacus.

Et Heroinæ Augustissimæ ELEONORA Mantuana, FERDINANDI II. & MARIA Austriaca, atq; ELEONORA Junior, etiam Mantuana, FERDINANDI III. successivè Conjuges pijssimæ, ac MARGARETA Austriaca, Philippi IV. Hispan. Regis filia, LEOPOLDI I. augustiss. Consors. Plures ex prædictis Marianam hanc vestē susceperè è manibus Ven. P. DOMINICI à JESU MARIA, Viri virtutibus, ac prodigijs toti Orbi notissimi, asserente R.mo D. Joanne *Caramuele* Satrianensium ac Campanienſium Episcopo, in vitæ ejus Historia, quàm Libris VII. Viennæ Austriæ edidit anno 1655.

349.

Reges Hispaniarum Mariano Scapulari addicti.

EODEM Partheniæ pietatis ac devotionis spiritu inbuti fuêre Hispaniarum Reges, ac præ cæteris *Philippus II.* & *III.* quem hic vel maximè ostendit ann. 1611. in illa tempestate, de qua supra *Parte secunda Cap. XV.* disseruimus; dum tanto cum zelo præcipuum Carmeloparthenij Sodalitij privilegium, Bullæ scilicet Sabbathinæ, in Romanâ Curiâ, & apud Apostolicam Sedem, datis etiam ad PAULUM V. efficacioribus literis, tutatus est: & dum Ærarij sui publici Præfectis (qui Regiæ suæ Majestati persuadere nitebantur, ad incrementum non modicum annuorū suorum redituum haud parum conferre, solitam passim observari à Mariani SCAPULARIS Confratribus feria quarta à carnibus abstinentiam minimè permittere, aut moderari)

non

non minus piè, quàm Catholicè respondit : *malle se, ac pluris facere subditorum, atq; vasallorum suorum in* DEIPARAM *pietatem, ac devotionem, quam proventuum suorum augmentum.*

Et ut alios horum regnorum Reges Reginasque prætereamus, *Margareta* Austriaca *Philippi III.* conjux, *Ferdinandi II.* soror ; ac *Maria Anna* Austriaca *Philippi* IV. conjux *Ferdinandi III.* filia, quæ hodiè vniversa Hispaniarum Regna pijssimè, felicissimèque moderatur.

350. Et complures Augustissimæ Domus Austriacæ Principes.

ANTEQUAM autem ad alias Provincias & Regna transeamus, lubet paucis hujus augustissimæ Domus, & Familiæ alios nonnullos Principes, qui parthenium Scapulare eximia cum pietate gestarunt, indicare. *Maria Anna* & *Constantia* Austriacæ *Sigismundi III.* Poloniæ Regis successivè conjuges, *Ferdinandi II.* sorores : & *Cæcilia Renata* Poloniæ Regina *Ferdinandi II.* filia. *Anna* Austriaca *Philippi IV.* soror *Ludovici XIII.* Regis Franciæ conjux, *Carolus*, & *Leopoldus Wilhelmus* Archi-Duces Austriæ, hic *Ferdinandi II.* filius, ille germanus ejus frater.

Notanda hujus Principis pietas & Religio.

Albertus Archi-Dux Austriæ *Maximiliani II.* filius, *Rudolphi II.* & *Matthiæ* Impp. frater, atq; *Isabella Clara Eugenia* Serenissima Belgarum & Burgundionum Principes, omni virtutum laude ornatissimi : & hæc quidem non modo sacrum Scapulare piè gestavit, verum, quod jam suprà de *S. Ludovico* nono notavimus, depudens vanitati, Religiosum illud Schema non in occulto (ut multi & multæ Summates faciunt) sed propalam & in manifesto proferebat.

Maria Anna Electrix Bavariæ, & *Maria Magdalena* Hetruriæ Ducissæ hæc *Ferd. II.* soror, illa filia : & ne diutiùs in alijs recensendis immoremur *Carolus Joseph*, *Maria Leonora*, & *Maria Anna* Archi-Duces Austriæ, *Ferdinandi III.* Regia Proles.

351. Reges Franciæ.

UT Lodoicei sanguinis simul & Regni, sic pietatis heres *Ludovicus XIII.* viso in obsidione Monte-Pessulana ingenti miraculo glandium, quæ è sclopeto emissæ in nobilem præfectum militiæ cataphractæ, non læserant, tactu sacri Scapularis, quod gestabat, emollitæ, voluit ea Marianæ protectionis Tessera, & ipse communiri. Probavit se quoque pijssimi hujus Principis, ac præfati sancti *Ludovici* germanam sobolem *Ludovicus XIV.* dum anno 1655. triumphalem DEIPARÆ pompam, & clientelaris subjectionis tantæ Matri præ-

stitæ, pùblicam professionem, solemni anniversario ritu recurrentem, obsignavit sacri hujus Schematis ultrò expetita assumptione: quo Regiam Majestatem suam propalam convestijt R. P. Leo à S. Joanne Regius Ecclesiastes Ord. N. Visitator Apostolicus. Alij hùc accensent (ut nunc alios non paucos mittamus Valesiæ & Borboniæ Domus & sanguinis Principes) *Henricum* IV. qui militiæ Ordinem instituit in honorem B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO, cujus Consortem *Mariam* Mediceam, ejusdem Marianæ pietatis observantissimam Heroinam.

Reges Lusitaniæ, & Poloniæ.

Nec his omnibus in hoc Partheniæ pietatis ardore cesserunt Reges Lusitaniæ, maximè Rex Sebastianus: aut Reges Poloniæ *Sigismundus* III. *Vladislaus*, & *Ioannes Casimirus* ejusdem filij & successores, *Alexander*, & *Carolus* Episc. Vratislavienses, horum fratres, ut alios reticeamus, Jagellonidum, Regijq; Polonorum ac suecorum sanguinis Principes &c.

352. Duces Bavariæ.

Nec prætereundi Regibus suppares Bavariæ Duces, atque Electores, *Maximilianus*, qui hac Mariana veste, tanquam armatura inexsuperabili, muniri voluit, priusquam anno 1620. ad bellum Pragense contra rebelles Bohemos, ipsorumq; Pseudoregem Fridericum Palatinum procederet, uti hisce verbis testatur Reverendiss. Caramel *in vita V. P. Dominici* lib. 5. Cap. 3. *Parthenio SCAPVLARI primus omnium investitus fuit Dux*, scilicet Maximilianus: *posteà militiæ Principes, posteà cæteri, tanto numero, ut debuerit Ducissa cooperari, & juvare, multa millia conficiendo Monachij; quæ ad exercitum missa, & à DOMINICO benedicta, militibus distribuerentur.* Hæc ille. Nec minus profuit Maximiliano Marianum SCAPULARE, quàm Theodosio Magno Augusto *Scapulare S. Senuphij Abbatis*: & sicut hic illo instructus Maximum tyrannum potentissimum, & multis victorijs ferocientem, felicissimè, ferè absq; suorum sanguine prostravit; ita ille non minus felicitèr, paucis suorum desideratis, Palatinum Pseudoregem similiter insolentem superavit.

Quando & à quo Dux Maximilianus Scapulare receperit, & quid illi contulerit?

Maximiliani vestigijs, in Mariano-Carmeleo Scapulari gerendo, insigni cum pietate inhæserunt *Elisabetha* Lotharinga, sereniss. ejus conjux, & filij *Ferdinandus Maria* Bavariæ Princeps & Elector, & Maximilianus Dux &c. ac nurus *Adelheydis* Sabaudiæ prine. Frater quoque ejus sereniss. *Ferdinandus* Colonien. Archiepisc. & Elector

&c.

& *Albertus* cum conjuge *Mechtildi* Leuchtenburgica, & natis suis *Ioanne Francisco*, *Maximiliano Henrico* Archiepisc. ac Electori Colonienſi, *Alberto Sigismundo* Episcopo Frisingenſi ac Ratisbonenſi, & *Maria Renata*, &c.

353. Duces Neoburgici.

HIS quoque sicut sanguine, ita & eodem Marianæ pietatis ac devotionis spiritu proximè conjuncti sunt Duces Neoburgici, Philippus Guilielmus, & Elisabetha Amelia cum Ducali Sobole &c.

Duces Lotharingiæ.

Nec ab his receſſerunt Duces Lotharingiæ *Carolus*, ac *Nicolaus Franciscus*, ejusque conjux *Claudia*, ac nati *Ferdinandus Philippus, Carolus Leopoldus*, & *Maria Teresia*: & ut alios complures ex hoc Regio sanguine prætereamus *Franciscus* Episcopus Verdunenſis &c.

Duces Sabaudiæ.

Ex pluribus Sabaudiæ Ducibus paucos insinuabo, scilicet *Carolum Emmanuelem*, *Victorem Amædeum*, ac *Carolum Emmanuelem* juniorem, horumque Sereniſſ. Conjuges; atque *Franciscum Thomam*, Principem, Mariani habitus cultui impensè addictos.

Duces Mantuani.

Idem dixerim de Mantuanis Ducibus *Carolo* I. & II. & *Vincentio Gonzaga*, missis permultis aliis.

Duces Hetruriæ, Princip. Parmenſ.

Idem de *Cosmo* II. & *Ferdinando* II. & hujus conjuge *Victoria* aliisque Ducibus Hetruriæ: & *Edvardo* Principe Parmenſe, aliisque Proceribus illustrissimis Italiæ, maximè Regni Neapolitani ac Siciliæ.

Aliarum Illustrium familiarum, etiam primæ notæ, & Regiis ac principalibus titulis micantium, Carmelo-partheniæ huic pietati, atque obſervantiæ addictarum nomina & exempla prætereo; quod in omnibus regnis non modo Europæ, verùm etiam non paucis novi Orbis, & Indiarum, tam Orientalium, quam Occidentalium abundent, & ex Codicibus, quos Tabularia Confraternitatis hujus asservant, longa seriè promi possint.

354. Corollaria è dictis suprà deducta.

Ex his deducitur *primò*, à veritate alienum esse, quod nonnulli perperam affirmant, obſervationes religiosas, & sacra pietatis instrumenta, ætate nostra, apud Magnates vilescere, dum verentur inanis obſervantiæ ac superstitionis notari.

Deducitur *secundò*, quàm falso quidam Anti-Mariani, & invidiæ spiritu impulsi, asserant, Partheno-Carmeliticum SCAPULARE jam indè ab initio non fuisse assumptum, aut usurpatum ab Optimatibus, verum à plebeis duntaxat, & infimæ sortis hominibus. Quan-

quam non id ego pro summo S. SCAPULARIS honore vendito, qui sciam quo loco sit apud DEUM quantavis mundana nobilitas: nec attendi in Cælo, quantopere quis supra alios mortales eminet fastigio terrenæ dignitatis, sed quanto gradu virtutis præcellat. Ut proindè quem virtus deficit (quod præclarè docuit sive Eucherius, sive Eusebius Gallicanus) ignobilis habeatur, & rusticanus inter Summates vero numeretur apùd DEUM, & nobilissimus atque illustrissimus supra Reges ac Cæsares habeatur, vel si opilio, aut agaso fuerit, qui abjectionem generis, & natalium vilitatem pietate condecorat: & splendore virtutum pensat, ut benè pronuntiavit Nazianzenus; qui etiam ex Basilij sancti persona, Christianum nomen dignitate, sed fide viva atque virtute insigniri confirmat.

Hom. 3. de Pasch. Quis apud DEUM magnus, aut illustris habeatur? *Orat. 28. num. 14. Orat. 2. num. 24.*

355. Mira non solum Europæorum, verum etiâ Indorum devotio ad Carmelit. Scapulare.

Cæterum medij ac infimi ordinis Sodalium, seu ut vocari solent Confratrum ac Sororum frustra inireretur numerus, non modo in nostræ Europæ regnis, verum etiam Indiarum tam Orientalium, quam Occidentalium, ut testatur in suo opere Romæ an. 1666. excuso, & Italicè inscripto, *Prima speditione all' Indie Orientali* &c. noster *Joseph à S. Maria, ALEXANDRI VII.* Legatus Apostolicus ad regna Malavarica, & Episcopus Hierapolitanus. Hic *lib. 2. ejusdem Operis cap. 2.* de quodam loco, quem *Carolengate* Italicè nuncupat, in ultimis Indiarum Orientalium finibus sito, refert: se ibidem reperisse ultra quinque millia hominum sacr. SCAPULARE gerentium, ac deprehendisse in illis Regionibus quammaximam populi ad illud ac SS. MARIAM Virg. de monte CARMELO pietatem atque devotionem. Id quod in omnibus alicuius notæ civitatibus, ac etiam plerisque oppidis, quo Sodalitij institutio pervasit, quotmensibus usurpari oculis potest, in solemni supplicatione, quam obire, frequentibus qui in loco degunt Sodalibus, est usu est. Sed maximè in anniversaria SCAPULARIS Virgineifestivitate, quæ, ut supra dictum, recurrit solemnis 16. Julij, aut Dominica proximè sequenti. Tunc enim redaccensis Sodalium studijs, præ quibus tempestatis illius æstus frigere videri possit, tantus fit concursus omnis generis, conditionis, ac sexus personarum, ad professionem susceptæ priùs religiosæ observantiæ, ut appareat Cœlestem afflatum intervenire, & Reginam Cæli Clientum suorum adeò copiosam multitudinem evocasse.

[Consi-

[Consideratione verò (inquit Raynaudus) dignum est, hæc studia indies non obsolescere. Imò quo magis nebulones aliqui, & pruriginosi à pietate malè constituti, in sacrum SCAPULARE, licenter vel linguas exerunt, vel calamos exacuunt, eo ampliùs feruere Fidelium affectus, & numerum augescere, captantium Religiosum hoc Schema, ut per illud inter speciales DEIPARÆ Filios ac Fratres cooptentur. Nimirum cassi sunt Satanæ, & Emissariorum ejus quantivis conatus, adversus desponsam à DEIPARA tutelam. Et ex antiquo Divinæ Curiæ stylo, pietas, quo plus appetitur turbinibus, eo feliciùs increscit. Notatum id est in Filiis Israel, de quibus scriptum est Exodi 1. Cap. *Quantò opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur & crescebant.* In Christianis falce Ethnica demessis, idem observabat Tertullianus, cum Paganis insultaret ac diceret: *Nihil proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis: semen est, sanguis Christianorum. Tunc magis ædificatur hæc secta, cum cædi videtur*; ajebat idem ad Scapulam. Idipsum occino obstrepentibus pietati Scapularis Carmeliti &c.] Hactenus Raynaudus.

Loc. cit. Quantò magis ab aliquibus hic Deiparæ cultus ac habitus impugnatur, tanto ampliùs increscit & inclarescit.

in fine Apolog.

CAPUT IV.

Satisfit objectionibus contra dicta in præcedenti Capite.

PAupertinam plebem, Orbe ferè universo SCAPULARI Partheno-Carmelitico addictissimam, nemo invidet. De Summatibus tamen est qui reclamet. Nec unus, quamvis unus præsertim Launoyus; qui duas Regum gemmas, S. LUDOVICUM IX. Galliæ, & S. EDUARDUM II. Angliæ, Monarchas, Scapulari Mariano indutos, dicere; falsitatis insimulat, & ab historica veritate abhorrere contendit. 356.

S. Ludovicum ex albo Sodalium expungit Launoyus, suo illo solemni ariete adhibito; quod nemo è tot Historicis, qui S. Regis acta conscripserunt, tradat eum SCAPULARE Carmelo-parthenium induisse. Non Gaufridus de Bello-loco S. Regis Confessarius: non Guilielmus Carnotensis, ejusdem Sacellanus; non Jonuil-

Jonuillæus, non Clyctoræus, non Petrus Matteus, res sanctæ Regis prosecuti. Non Bonifacius VIII. qui de eo pleraque adduxit in Diplomate Canonismi: non S. Antoninus, non Papyrius Massonus; non eorum ullus, qui attinentia ad S. LUDOVICUM ex instituto, vel obiter attigerunt. Tantùm ante hoc trinochium absque veterum suffragatione, auditum est, S. LUDOVICUM gestasse SCAPULARE Carmeliticum. Est igitur fabula gratis conficta, ut magnum illud nomen, inescandis ad Sodalitium cœterii, subserviret. Sicut ex S. Basilio, columba unguentis oblita septis solvitur; & ad alias pelliciendas inhalatione exquisitæ flagrantiæ adhibetur. Constat quidem multorum veterum assertione, S. LUDOVICUM in Gallias reducem, eò primum induxisse Carmelitas, secum ex Oriente abductos. Quod autem Scapulare Carmelitanum gestaverit, nemo prodidit Antiquorum. Est ergo novum figmentum, ad conciliandam Sodalitio claritatem, excogitatum.

Epist. 175. ad Juliet.

357. Argumentum ab authoritate negativa ductum quid concludat?

Huic Launoyanæ argutationi obviando Theoph. Raynaudus *lib. cit. Part. 2. quæst. 8.* ait: [Hoc Argumentum (ut sæpe dixi) à falsitate fordet, ut mox patebit: & stramineum est, ac indignum Philosopho; cui in Dialecticis rudimentis insonat vulgare effatum de inanitate argumenti ducti ab authoritate negativa. Est etiam indignum Theologo, quia nihil proferri potest opportunius, ad convellendas omnes traditiones scripto non comprehensas; quam si dicatur, nihil esse admittendum, nisi quod ab aliquo ejusdem ævi Scriptore sit proditum; quod est huic magno Antiquario (id enim maximè affectat audire) primum principium.

Ad Annum 1250. Utrum antè S. Ludovici è Palæstina reditum Carmelitæ fuerint in Gallia?

Quinam autem sint multi illi Antiqui, à quibus proditum est, S. LUDOVICUM è Palæstina reducem, primum fuisse, qui Carmelitanos illinc advexerit in Galliam; non modo me latet, sed etiam scio falsum esse: & benè rejicitur à Spondano, annotante, longè antè regressum S. LUDOVICI è Palæstina, aliquot Cœnobia fuisse Carmelitanis constituta in Gallia: & nominatim Burdegalense, in quo S. SIMON *Stock* totius Ordinis Generalis, cum visitationem obiret, vita functus est: quod Cœnobium legitur fundatum anno 1099. cum regressus S. LUDOVICI è Palæstina adductis secum Carmelitis Gallis, quos in Palæstina reperit, consignetur anno 1254. ab S.

An S. LUDOVICUS antè regressum suum in Galliam, susceperit in Palæstina SCAPULARE, sacrum hunc ritum ibi edoctus: an post regressum idem præstiterit, non ausim affirmare. Suscepisse tamen atque gestasse SCAPULARE Carmelo-parthenium, quidquid mordax Zoilus muginetur, non est difficile persuadere.

358. *S. Ludovicum* Carmelitis addictissimus.

In primis enim certum est, S. Regem Carmelitis addictissimum; præsertim ex quo periclitatus in Mari, appulit ad litus Carmelo subjectum, & cum Fratribus illic degentibus egit familiariter. Narrat hoc ævi illius Scriptor Guilielmus de Samuco, author Chronici *de Carmelitarum diffusione per Syriæ & Europæ Provincias*; memorans sex Gallos illius Cœnobij alumnos à S. LUDOVICO fuisse expetitos: & cum bona venia Moderatorum, in Galliam abductos. Pijssimum ergò Regem, ergà hos DEI Servos optimè animatum, & per tempus peregrinationis sancta eorum consuetudine captum; magnum erit si credamus, Habitu sancto, de quo ab ijsdem Religiosis inaudierit, amiciri voluisse; hominem adeò flexilem ad pietatem, & cujusvis religiosæ observantiæ sequacem, ut ejus Acta demonstrant? Nec est inane, vel adeò obscurum collati sancto LUDOVICO sacri SCAPULARIS argumentū, quod contulit Carmelitis Parisiensibus trabeam purpureā, quàm gestaverat in sua in Regem inauguratione: veluti refundens Regium paludamentum, pro panno, quoad materiam vili, sed ad pietatis usum pretioso.

S. Ludovicum Scapulare Carm. gestasse probatur, respondeturque Adversarij objectionibus.

Quod verò admodùm urget BONIFACIUS VIII. in Diplomate de ejus Canonismo, affirmat, S. LUDOVICUM è Palæstina reducem; [summæ humilitatis insignia demonstraturum, pompis à se penitus abdicatis (licet vita & conversatio ejus prius fuisset satis honesta) peculiarem vestem, non pomposam sed humilem: non regiam, sed religiosam, assumpsisse.] Idem fert, quod Gaufridus de Bello-loco, & Guilielmus Carnotensis, ipsius Domestici affirmant, S. Regem gestasse Caputium ad scapulas protensum, vitæ religiosæ insigne. Et idem habetur ex Thoma Cantipratano, ejusdem ævi Scriptore; quem suprà adduxi, memorantem sannas Nuntij à Duce Geldriæ Lutetiam missi, qui in reditu derisit, incessitque scommatibus gestationem Caputij scapulas tegentis, quàm in S. Ludovico notarat. En ergò Authores S. Ludovico synchroni, quos adversarius extare negabat; attestantes gestationi Scapularis per S. Ludo-

vicum. De Scapulari enim Mariano, quod jam olim nomine *sancti Habitus, & religiosi Habitus* Carmelitani donatum est, accipio, quod hi Scriptores tradunt de Religioso indumento per S. LUDOVICUM assumpto: & in regressu è Palæstina, palàm gestato.

359. REFRAGATUR tamen huic meæ interpretationi horum Authorum, Lucas Wadingus Ordinis Minorum; existimans accipiendos potiùs esse, de habitu tertij Ordinis S. Francisci. A plerisq; enim proditum est, *S. Ludovicum* S. Francisci fuisse Tertiariũ. Hoc non nego; virum enim undecunq; captantẽ Religiosæ pietatis exercitium, eum sicut Carmelitani, ita hanc Franciscani Ordinis tesserã, assumere voluisse, facilè persuadeor. Sed Vestem Religiosam, de qua citati Authores loquuntur, fuisse vestem Tertiariorum S. Francisci planè inficior. Et probo; quia habitus Tertiariorum S. Francisci, *alias* non erat quàm Chlamis & Tunica; ut habetur in Regula Tertiarijs
Cap. 3. præscripta. At vestis *S. Ludovici*, quàm Authores adducti describunt, habebat cucullum ad scapulas protensum. Erat igitur alia à vestitu Tertiariorum S. Francisci. Quinimmo de ipso habitu FF. Minorum simpliciter dictorum ambigi potest; an initio habuerit Caputium, sejunctum à tunica. Nam cum FF. Minores principio incederent amicti more Pastorum (hoc est, habentes Caputium tunicæ assutum) primus S. Bonaventura in Comitijs Generalibus Narbonæ habitis,
Cap. 9. lib. 21. Antropol. anno 1260. cucullum adjecit; ut in ejus vita annotat Gallesinius, habeturq́ue etiam ex Volaterrano.

Confirmatur, quia in ea S. Francisci veste, quam asservat magnus Dux Etruriæ theca Christallina obductam, cernitur caputium quadratum assutum, absque orbiculari parte ad pectus pendente: & absque rotundo Capitis obvelamento, quod unum postea FF. Minoribus præscripsit S. Bonaventura. Si igitur simpliciter dicti Minores, initio caruerunt caputio; sed incesserunt sicut pastores, aperto capite, fluente capillitio: Tertiarijs autem explicitè præscripta est jam olim vestis absque cucullo; unde divinare nequaquam licet; caputium à capite ad scapulas pendens, à S. LUDOVICO gestatum, fuisse habitum Tertiariorum S. Francisci? Fuit ergò SCAPULARE Carmelo-parthenium, ut disertè produnt laudati Historici, & confirmat ratio ex eo ducta; quod nullus alius tunc Ordo, præter Carmelitas, habebat SCAPULARE pro tessera

Ordi-

Ordinis, Sæcularibus communicabili. Sed cum FF. Minores funem, Dominicani Rosarium, Augustiniani cingulum, impertiunt Sodalibus quos asciscunt, sola ex illis Religio Carmelitana impertit Scapulare. Nunc quidem absque caputio, per nonnullam condescensionem ergà eos, qui timebant audire Monachi, si prodirent cucullati: olim tamen cum cucullo sive caputio, ut diserte habet Joannes Author libri *de institutione Monachorum Cap. 39.* & docent etiam veteres picturæ, hodieque conservatæ, ut notant doctissimi P. Leo à S. Joan. *in Typo vest. Religiosæ*, & P. Joan. Cheron *in vindic. pag. 179.* qui hoc punctum diligenter discussêre. Nec hujusmodi Scapulare cucullatum, tunc temporis occultè gestabatur, ut nunc de Scapulari recepto assolet, sed propalàm, & in manifesto præferebatur; non abhorrentibus piis Fidelibus, profiteri se apertè, speciales DEIPARÆ Filios: idque à S. LUDOVICO factum notat Palæonydorus~.

Quod autem Adversarius ait, vel hoc nomine id repudiandum esse, quod scriptum sit à Palæonydoro, Scriptore Mythologo, convitium est non argumentum, refellens, quod de hac re dixit Palæonydorus; qui tametsi Canonicus Scriptor non sit, atque adeò aliquando humani quippiam pati potuit; non est tamen cur adeò despuatur, homo suo sæculo clarus: & variis scriptionibus à Possevino *in Apparat. sac.* recensitis, celebratus.] Ita Raynaudus

630. In sancto EDUARDO II. Anglorum Rege, Sodalibus nostris Parthenijs eripiendo, licenter admodum exultat adversarius~, adducto enim Palæonydoro id tradente, & ingentia beneficia à S. EDUARDO secundo Carmelitis collata, intuitu SCAPULARIS Mariani referente, reponit; (*At S. Eduardus secundus, cum ad annum circiter 1064. obierit, uti non potuit Privilegio Stockij, qui ducentis annis illo Rege posterior fuit.*) Impingit hic Adversarius nec uno modo. Imprimis quia EDUARDUM illum sanctum, quem ait obijsse sub anno 1064. ait esse Eduardum secundum. At is fuit Eduardus tertius. Deinde quia non advertit, post hunc Eduardum tertium, fuisse alium, æque dictum Eduardum secundum. Et iste quoque fuit Sanctus, in quem cadunt, quæ dixit Palæonydorus~.

Observandum itaque est ex Camdeno, EDUARDUM illum sanctum, qui sub annum 1064. nullis relictis liberis è vita excessit; In Britan. Chorogr.

Quot fuerint inter Angliæ Reges Eduardorum diversæ familiæ? *Anno* 1307

testamento instituisse successorem Guilielmum Nothum, Normanniæ Ducem; cujus posteri, quod sanguinem ex Eduardo III. non traherent, novam induxerunt *Eduardorum* seriem, inchoatam ab obtenta per Anglos Normannia, ut attigit Spondanus; benè monens hunc EDUARDUM secundum, de quo agimus, attenta serie Regum Anglorum anteriorum ejusdem nominis, dicendum fuisse *Eduardum quintum*: juxta autem novam seriem dici *Eduardum secundum*. Tres enim numerabantur Reges Angli, sortiti nomen *Eduardi*, ante Normannorum in Anglia dominatum. Primus obijt anno 927. Secundus pro Martyre habitus, & miraculis clarus, fato functus est anno 978. Tertius excessit è vivis, anno 1066. & centum ab obitu annis per ALEXANDRUM III. fastis Sanctorum est adscriptus. Postquam vero Angliam tenuêre Normanni, nova series *Eduardorum* est inchoata; in qua primus obiit anno 1307. Ejus filius *Eduardus secundus*, præ adamantina patientia Martyr habitus, is est quem Palæonydorus in hac Eduardorum serie, rectè nominavit *Secundum*. Vixit autem tempore JOANNIS XXII. cujus Diploma ad hunc Eduardum exhibet Cherubinus, præfixa hac inscriptione; *Charissimo in Christo Filio* EDVARDO II. *Regi Anglorum Illustri*. Unde cum Reges omnia pervideant, non ignoravit, quæ in Anglia erant vulgatissima, de viso B. *Simoni* objecto: & ea quoque rescivit, quæ fama passim disseminabat, de apparitione DEIPARÆ, & promissione per eam facta JOANNI Pontifici. Itaque rectè dicitur, favisse Carmelitis, intuitu SCAPULARIS Mariani, illudque induisse & gestasse, ut referebat Palæonydorus. Quem si Launoyus deprehendisset in adeò aperta aberratione circa notam temporis, & in tam pingui anachronismo, cujus ipse victus est; ut insultaret prostrato? ut exultaret? ut ostentaret suam Antiquitatum peritiam, & in scrutandis vetustis ruderibus, ac parietinis accurationem?

S. Eduardus intuitu Mariani Scapularis plurimum favet Carmelitis.

361. NONNULLIS quoque parum æquis ac sapientibus Mariani habitus, cultusve æstimatoribus ac promotoribus, minus congruum videtur, quod pauperes & inopes, mulieres ac puellæ, aut humilis atque infimæ conditionis, & ætatis personæ promiscuè hac sacra veste induantur, atque in tam illustre Sodalitium adscisçantur. Verum hos minimè esse excludendos, nullus verè pius ac Christianus negabit.

An pauperes in nostrum sint recipiendi Sodalitiũ?

Nam

Nam pro pauperibus in Cœtus Christianos cooptandis, S. Jacobus in Epistola suaCanonica, contexit Apologiã, docens pauperes non esse hac in parte posthabendos : nec esse cur is, qui in veste præclara, & splendidè annulatus accedit, admittatur, truso foras paupere. Nazianzenus paucis multa in eandem sententiam stipavit. *Pauperes*, inquit, *nostri secundum DEVM fratres, etiamsi nolitis : qui eandem nobiscum naturam nacti sunt, atq; ex eodem luto compacti, ex quo primùm creati sumus, qui nervis atq; ossibus perinde atq; nos innexi : qui pellibus & carnibus æquè ac reliqui omnes induti : quiq; etiam (ut majora dicam) imaginem Divinam perindè ac nos acceperunt, meliusq; fortasse, quàm nos, tuentur atq; conservant ; etiamsi alioqui corporibus labefactati, atq; corrupti sint ; qui eundem Christum secundum internum hominem induerunt, atq; idem spiritus pignus fidei suæ commissum habent : qui earundem nobiscum legum participes facti sunt, eorundem Oraculorum, Testamentorum, Conventuum, Mysteriorum, ejusdem spei : pro quibus Christus, qui totius mundi peccatum tollit ; qui cælestis vitæ coheredes sunt ; etiamsi ab hac longissimè aberrarunt, qui cum Christo sepeliuntur, ac cum eo ad vitam redeunt : siquidem compatiuntur : ut & conglorificentur.* Similia habent Basilius atque Nyssenus, à quibus causa pauperum agitur valentissimè. Itaq; nõ est cur pauperes repellantur à sacris Cœtibus. Quis verò non est aversatus anomalam pietatem Livoniorum, quorum meminit Gerson, dicens, eos procul feciſſe à communione Corporis Christi, rusticos & egenos? Commendat usum contrarium Chrysostomus : esset ergò haud dissimiliter justa concitatio, si pauperes (tantum quia pauperes) à speciali Filiatione DEIPARÆ excluderentur.

Orat. 16.

Qnare pauperes non sint spernendi, sed admittendi ?

1. *P. Opusc. de declarat. defectuum Ecclesiast.*

PRO admittendis autem in suo gradu & ordine mulieribus, suffioit ea ratio, quàm suggessit pia matrona, cum S. P. HILARION ad colloquium eam admittere recusaret. Dixit enim : *Et hic sexus genuit Salvatorem.* Et sunt sanè ipsæ quoque capaces omnium spiritualium bonorum, quæ Sodalibus indulgentur : & possunt absq; indecentia, in hujusmodi Cœtum cooptari.

362.

An mulieres &c.

Tandem pro constitutis in humili ætate, pugnavit Christus Dominus, affirmans talium esse regnum Cælorum, & vetans eos prohiberi ad se accedere. Itaq; quos DEUS admittit, homines ne repellant ; cum præsertim Ecclesiæ pietas, ipsos etiam lactentes, sacris diversorum Ordinum vestimentis, passim induat.

An pueri, & puellæ ?

363. An manifestè facinorosi?

UNUM autem impensè animadvertendum est à prælatis & præfectis celeberrimi hujus Sodalitij, ne scilicet promiscuè omnes, si vitam & mores spectemus, admittantur: neque enim manifestè facinorosis, aut vitam exlegem, cum publica offensione agentibus, conferendum est sacrum hoc Marianumq; schema, redundaturum in Sodalitij infamiam. Quod si olim, qui admittebantur in agonisticos, probabantur, nec nisi expertes labis, ac noxæ allegebantur in Cœtum, cæteroqui profanum, ut S. Chrysostomus notavit & Cassianus, ac ex Theognide Themistius, Faber & alij in eo argumento versati; quomodo pius Cœtus Filiorum & Fratrum specialium DEIPARÆ, personas probrosas in unum secum mysticum corpus, glorioso DEIPARÆ nomine prænotatum, adscisceret. Incongrua prorsus esset ea consociatio, possetq; ei occini illud Propheticum: *quid paleis ad triticum?* Universa item illa planè indigna parium disparium consociatio, quæ ab Eucheria nobili puella rustici & servi conjugium detestante, carmine eleganti recensetur, bellè ad hujusce Societatis aversationem faceret. Personæ ergò ritè probatæ, & bonæ famæ & vitæ, atque sine macula Cœtum dehonestatura, in Sodalitium hoc Carmelo-parthenium coaptandæ solum sunt. Sic censet cum multis Cyprianus à S. MARIA, adducens ad hoc confirmandum illa Christi Domini verba: *Nolite dare Sanctum canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos; ne fortè conculcent eas pedibus suis*, &c. Id est, ut ipse exponit ad hoc propositum: Nolite cælestem & Marianum hunc habitum conferre hominibus, qui instar porcorum, in peccatorum luto volutantur, & instar canum repetitis sceleribus ad vomitum redeunt.

Hom. 17. in Epi. ad Heb. in mor. lib. 5. instit. cap. 12. Orat. 1. in Agonist.

Lib. 4. Epist. Vet. Poët. pag. 187.

Homines bonæ famę & vitæ solum admittendi sunt.

In Thes. Carm. c. 23. Matth. 7.

PARS

PARS SEPTIMA,

De muneribus seu obligationibus Sodalium Carmelo-partheniorum.

364. QUemadmodum Omnipotens DEUS, cujus bonitas ac sapientia attingit à fine usq; ad finẽ fortiter suaviterq; disponẽs omnia, nos creando sine nobis, decrevit non salvare sine nobis, verum per bona opera à nobis cum prævenientis & adjuvantis divinæ gratiæ suæ auxilijs præstita: ita quoque augustissima, misericordissimaque Cælorum Regina recensita in superioribus dona ac beneficia, gratis omninò, & absq; ulla nostra cooperatione cõferre, minimè suevit. Et tametsi passim ad magna præmia juxta, Gregorij Magni sensum, perveniri non possit, nisi per magnos labores: nec res magnæ atque eximiæ obtineri soleant, nisi difficili, arduoque labore (quantò namque finis sublimior, tantò media, per quæ is assequendus, præstantiora ac difficiliora sint oportet) nihilominus, quantumvis eximia, maximèq; singularia sint, ut suprà abundè demonstravimus, SCAPULARIS parthenij beneficia, ac privilegia, media tamen & munia, pro illorum consecutione requisita, minimè ardua ac difficilia sunt. Cum autem varia ac diversa sint beneficia ac privilegia Carmeleo Sodalitio concessa, distincta quoque ac diversa erunt media, quæ pro illorum adeptione necessariò postulantur. De quibus in hac VII. *Parte* singulatim differendum erit, quo sic facilius, pleniusq; munia seu obligationes suas Confratres nostri percipiant. Advertendum autem, alia præstanda esse pro gratijs ac beneficijs in hac vita recipiendis, alia pro illis, quæ in futura, seu purgatorio &c. Alia item pro gratijs ac favoribus à sanctiss. Virgine concessis, aut

Sicut varia sunt beneficia, ac Privilegia Confratribus promissa ac concessa, ita diversa

pro illorū fruitione requiruntur ab illis opera, & munia.

sis, aut concedendis, alia pro illis, quæ à Sede Apostolica collata sunt. Illa enim omnia, & singula non distinxisse, non modicam causavit, in assignandis Confratrum obligationibus, apud quosdam de hoc argumento scribentes, confusionem, & in ipsis Confratribus minus perfectam suorum munerum cognitionem.

CAPUT I.

Quidnam Parthenijs Sodalibus faciendum sit, ut fruì valeant singularissimo illo beneficio, de quo in prima huius Operis Parte actum est?

365. AD gaudendum eximio illo beneficio ac privilegio, de quo in *prima* hujus Operis *Parte* actum est, quodque continetur illis DEIPARÆ Virginis verbis, quibus nostrum S. SIMONEM, sacrum ei SCAPULARE præbendo affata est, comprehenditque specialissimam SS. Virginis tutelam ac protectionem, pro totius quidem vitæ decursu, maximè verò pro ejus termino, seu morte, cujus ope Mariani Sodales singularibus donantur gratiis, atque à variis tum animæ, tum corporis liberantur periculis; ad gaudendum, inquam, hoc privilegio requiritur, *ut quis SCAPVLARE benedictum ab aliquo Ordinis nostri Prælato, vel ab illo potestatem habente, ritè ac legitimè suscipiat, nomenque ejus Confraternitatis libro inscribatur.* Ita constat ex variis Pontificum Bullis, & Constitutionibus Ordinis ann. 1625. *Part.* 4. *Cap.* 28. *num.* 7. quæ ita statuunt: *ut quis autem inter Confratres ritè & legitimè sit receptus, duo sunt necessaria: alterum, ut in libro Confraternitatis describatur: alterum, ut Scapulare benedictum ab aliquo Superiore Ordinis, vel ab habente ab illo facultatem recipiat.*

Quid requiratur, ut quis censeatur legitimus Confrater hujus nostri Sodalitij?

366. PRÆTEREA requiritur, *ut sacrum SCAPALARE, tanquam Reginæ Cæli insigne, ob ejus amorem & honorem, religiosè & devotè, semper & continuò, noctu, diuque gestetur*; quo sic sese ejus obsequio specialiter mancipatos esse jugiter recordentur. Quod desumitur ex illis sanctissimæ Virginis verbis, *in quo quis moriens* &c. Ex quibus liquet, quod & recipi, & noctu, diuque gestari debeat sacrum hoc Schema, ut in eo mori quis valeat: cum incertum planè sit, quo loco, ac tempore mors nos sit invasura. Nec etiam videtur probabile, datam à beatissima

Quando, & quomodo gestandum sit sacrum Scapulare?

Virgine

Virginè veſtem, alio conſilio, quàm ut ea indutus, continuò ſingularis hujus beneficij nunquàm ſit immemor, ut ſic promiſſam mereatur protectionem, atque jugiter perpendat, Reginæ Angelorum ſe obſequio eſſe conſecratum.

Dixi *Religioſè & devotè* Marianam hanc veſtem continuò eſſe geſtandam: quia non ſufficit *nudè, materialiter ac phyſicè* illam geſtare. Quod ut faciliùs ac pleniùs percipiatur recolendum hic eſt breviter, quod ſuprà *1. Part. cap. 10. num. 56.* fuſiùs expoſuimus, quod in SCAPULARI tria concipere valeamus. *Primò* materiam & formam ejuſmodi veſtis, quod quid *Phyſicum* appello. *Secundò*, ſignum Carmelitici fœderis cum beatiſſima Virgine, quod apello *Morale* in ea veſte phyſica. *Tertiò*, debitum ex tali fœdere obſequium, quod apello *debitum ritum*.

Scapulare debet geſtari, *phyſicè, moraliter & ritè*: *Phyſicè*, ut pannus: *moraliter*, ut ſignum fœderis cum SS. Virgine: *ritè*, præſtando debitum B. Virg. obſequium?

Qui primo modo gerit Scapulare, is ſolùm *phyſicè*: qui primo & ſecundo modo, is *phyſicè* & *moraliter*: denique qui tribus modis enumeratis, is *phyſicè, moraliter* & *ritè* geſtat Scapulare, dicendusque eſt ſatisfeciſſe pacto, cui ſua ex parte non deerit DEIPARA.

367.

In quo potiſſimum conſiſtat hoc debitũ obſequiũ?

Quæres, quodnam ſit iſtud debitum obſequium adeò neceſſarium, ut eo præſtito, *ritè*: eo non præſtito, *non ritè* dicatur aliquis geſtaſſe Scapulare?

Reſpondeo debere geſtari *1. Animo benè in SS. Virginem affecto. 2. Exercendo bona quædam opera in honorem ejuſdem DEIPARÆ Virginis.* PRIMUM ex natura ſua certum eſt & evidens. SECUNDUM colligitur ex verbis ipſius B. SIMONIS apud Swanyngtonum. *Fratres, conſervando verbum iſtud in cordibus veſtris, ſatagite electionem veſtram certam facere per bona opera, & nunquam deficere: vigilate in gratiarum actione, pro tanta miſericordia, orantes ſine intermiſſione, ut ſermo mihi factus clariſicetur*, &c. idem ſentit Lezana *Lib. de patron. B. M. V. Cap. 5.* & Irenæus *lib. cit. ſect. 1. cap. 3. §. 3.* cum cæteris Ordinis authoribus. Et jure merito; dona namque DEI non conferuntur otioſis, nec verus eſt contractus, ubi mutua non eſt obligatio. *Nemo*, inquit Ambroſius, *ſanatus oſtenditur, niſi qui religioſo officio ſtuduit ſanitati. Non enim dormientibus divina beneficia, ſed obſervantibus deferuntur*, &c.

Lib. 4. in 4 Cap. Lucæ.

Si vero ulteriùs inquiras, quænam ſint iſta opera? Reſpondeo, DEIPARAM Virginem nulla in ſingulari aſſignaſſe, dum B. SIMONI apparuit, ſacrumque SCAPULARE contulit, ac propterea

Quænam pia opera requirantur?

pterea id pendere uniuscujusq; ab arbitrio, quoad hunc sacri SCAPULARIS effectum. Dico *quoad hunc*, nam pro lucro Sabbatini privilegij, aut aliarum indulgentiarum, determinata sunt opera, ut diximus jam in præcedentibus, dicemusque uberiùs in subsequentibus.

368. NON defuère, qui censuerunt, ad gaudendum singulari tutela DEIPARÆ Virginis, tam in temporalibus, quam in spiritualibus necessitatibus, ac periculis, S. SIMONI nostro divinitùs promissa, necessariò requiri observantiam omnium illarum conditionum atque munerum, quæ exiguntur ad fruendum privilegio Bullæ Sabbatinæ: at hoc voluntariè omninò, sineque ratione dictum videtur. Hoc ut demonstretur, supponendum est *primò*: præfatam Parthenium tutelam, ac specialissimam protectionem multum differre ac discrepare à privilegio Bullæ Sabbatinæ, non solùm, quia diversis *temporibus* promissa, seu concessa sunt hæc beneficia, verum etiam, quia in seipsis diversæ valdè, distinctæq; sunt gratiæ, ut penitiùs utrasq; perpendenti patebit: ideoq; Authores passim duo hæc beneficia, ac privilegia semper distinguere solent.

Supponendum *secundò*, obligationes ac conditiones pro obtinendo Bullæ Sabbatinæ effectu, tunc primum fuisse designatas ac manifestatas, quando privilegium hoc à sanctissima Virgine divinitùs revelatum fuit JOANNI XXII. Pontifici: ut satis indè colligi videtur, quod ante tempora hujus Pontificis, nulla prorsus in aliis, de hoc Carmeleo Sodalitio, Pontificiis Diplomatibus, aut aliis de hoc argumento scribentibus Authoribus, harum conditionum sive obligationum mentio habeatur.

369. HIS suppositis, probatur non esse necessariò observanda illa omnia munera, quæ pro Bullæ Sabbatinæ gratia consequenda exiguntur, ad fruendum præfata DEIPARÆ Virginis tutela.

Suadetur 1. Constat ex authenticis, probatisque Historiis permultos mox post datum S. SIMONI Stock parthenio Scapulari, & longè ante editam Bullam Sabbatinam, specialissimam hanc, promissamque eidem B. SIMONI protectionem Virgineam, tam in corporalibus, quàm spiritualibus morbis ac malis divinitùs sensisse, ac promeruisse, sed tunc ad illam non requirebatur à Confratribus recitatio officij, aut abstinentia à carnibus &c. utpotè, quorum obligatio primum inducta fuit per Bullam Sabbatinam &c. Ergò sicut

tunc

tunc frui potuerunt speciali illa DEIPARÆ tutela sine horum observatione, ita & nunc poterunt post Bullæ Sabbatinæ promulgationem.

II. Referunt eædem Historiæ, complures, qui in vita haud gestarant sacrum Scapulare, illud in lethali primùm morbo, aut sub mortẽ petiisse ac suscepisse, quo vel sic præfatæ Partheniæ tutelæ, illo adhuc tempore, participes fierent: sed tunc impotentes erant ad recitandum præscriptum Officium & cæt. præsumendum igitur, tam illos, qui eo tempore sacerrimum hunc habitum conferebant, quàm illos, qui eundem recipiebant sensisse, ac judicasse, has conditiones pro hac singulari tutela ac protectione obtinenda minimè necessarias esse.

III. Ponamus sanctiss. Virginem, aut non eoncessisse privilegium Bullæ Sabbatinæ, aut aliud pium opus, diversum à præscripta recitatione Horarum canonicarum, aut abstinentia &c. statuisse atque exegisse pro illius effectu consequendo. Hac hypothesi data, in tali casu non fuisset necessaria prædicta recitatio, aut abstinentia &c. pro illo privilegio obtinendo, ergò nec modo necessaria erit Ita discurrit nuperus quidam Scriptor, ad probandum minimè esse obligatorium, aut necessarium, ad gaudendum specialissima S. SIMONI nostro à DEIPARA Virgine promissa protectione, cunctisq; eidem connexis beneficijs, observari illa omnia, quæ pro Bullæ Sabbatinæ gratia consequenda exiguntur: sed nobis sufficiat, nec ipsam sanctiss. Virginem, nec ullum summum Pontificem, aut Ordinis Prælatos his conditiones, aut munera à Confratribus pro hac, de qua nunc differimus gratia, exegisse aut postulasse. Quare non apparet, undè hæc, quam tales imponunt, obligationem, oriatur, & vim legis obtineat.

370.

Quodnam censendum sit majus beneficiũ?

Posset tamen in favorem præfatæ, & à nobis rejectæ sententiæ, quis objicere ac dicere: si hæc ita sese habeant, sequetur majus onus, atque difficiliùs munus imponi, & exigi pro minori beneficio obtinendo, quod videtur inconveniens, & rationi dissonum. Nam etsi tutela & protectio specialis à beatissima Virgine divinitùs promissa, minus bonum censeri possit, respectu necessitatum temporalium, quàm adjutorium animabus in purgatorio promissum; attamen tutela illa longè majus bonum est respectu necessitatum spiritualium hujus vitæ, quàm prædictum adjutorium, uti conferenti utrumq;

trumq; constabit. Sed pro tutela illa solùm gestatio Scapularis assignatur; pro adjutorio autem in purgatorio plura alia graviora præscribuntur, ergò &c.

Quænam bona contineantur in promissione facta *S. Simoni?*

Antequam huic objectioni satisfaciamus, animadvertendum est, beatissimam Virginem in prima revelatione non promisisse liberare aliquem ex inferno, sicut JOANNI XXII. promisit eripere Confratres è purgatorio, sed pollicita est juvare Confratres in hac vita, in temporalibus quidem, sed præsertim in spiritualibus; ut videlicet multa spiritualia bona adipiscantur; maximè verò, ut in gratia DEI vivant, aut ut amissam recuperent, in eaq; decedant, ne æterno incendio adjudicentur &c.

371. His præmissis respondetur, videri quidem à B. Virgine gravius onus imponi in actu signato, expresse & explicitè pro minori bono & beneficio: attamen in actu exercito, & implicitè longè aliter rem sese habere. Noverat namque sanctissima Virgo, ad obtinenda primæ revelationis promissa bona (v. g. augmentum gratiæ, conservationem & perseverantiam in ea, sanctam mortem, aliaq; ejusmodi beneficia, ad quæ omnia B. Virgo operam suam pollicita est) fuisse cuilibet media assignata opportuna ac convenientia, scilicet DEI atq; Ecclesiæ præcepta: noverat posse quemlibet per horum se observationem juvare &c. Idcircò non judicavit aliud assignandum, nisi quemq; ad hanc observantiam provocare, promovere, urgere, opem suam offerendo ac pollicendo. Undè in actu exercito, & implicitè prædicta omnia, ipsa quoque assignare, & exigere censetur. Hæc autem longè sunt plura, & graviora, quàm sint ea, quæ ad privilegium Sabbatinum requiruntur. Suam verò singularis auxilij ac tutelæ promissionem, seu curam specialem, qua semper Confratribus adest, censuit sufficienter compensari speciali, reciprocoq; in se affectu, quem per Confraternitatis suæ ingressum, & assumptionem, ac continuam, devotamq; sui sacerrimi habitus gestationem, cæteraque, quibus ut suprà insinuavimus, DEIPARA colitur, affatim Sodales protestantur, &c. Absolutè itaque & simpliciter gravius onus in prima, quàm in secunda revelatione, seu promissione assignatur: sive difficiliùs munus exigitur, & requiritur pro obtinenda gratia seu privilegio S. SIMONI nostro, quàm JOANNI Pontifici promisso.

Quænam observanda sint ad illis fruendum?

Respondetur *secundò*, dato & non concesso, levius onus pro beneficio

neficio primæ revelationis, graviùs pro beneficio secundæ revelationis assignari, & exigi, hoc tamen non esset inconveniens. Nam ad servanda præcepta DEI & Ecclesiæ possunt Confratres per liberum arbitrium, opitulante Divina gratia, semetipsos adjuvare: at in purgatorio nullatenus valent semetipsos animæ juvare, aut liberare; adjutorium enim & subsidium, quod pijssima Virgo Mater pro illo promisit, totum & totaliter ab ipsa præstandum est, ideò in hac vita Confratres illud per onus impositum promereri debent.

CUM autem superiùs dixerim, ad ritè gerendum sacrum SCAPULARE, necessarium esse illud gerere, & animo in sanctissimam Virginem optimè affecto, & exercenda bona quædam opera in ejusdem honorem, consultum admodum videtur, atque rationi congruum, ut ea Confratres virtutum opera exerceant, quæ propria Confraternitatis censentur: puta Castitatem colere, Horas, atque alias preces B. Virginis recitare, sacras ejusdem Festivitates singulari cultu concelebrare, peccatorum confessione, SS. Eucharistiæ perceptione &c. Ecclesias Ordinis frequentare, abstinentiam præscriptam observare, & his similia. Quæ tamen omnia determinatè sumpta, tanto cum rigore exigenda non sunt hac in parte, quantò in Sabbatina, atque alijs indulgentijs. Ratio hujus est, quod ijs locis expressè sint præcepta: hic verò minimè, sed pro ijs alia possunt exerceri: atq; hoc sensu exponit supracitatum P. Lezanam *loc. supracit. C. 5. num. 12.* P. Irenæus à S. Jacobo *sect. 1. Cap. 3.* 372.

CAPUT II.

Quænam requirantur à Confratribus, ut privilegio Sabbatino participes reddantur?

VT Confratres nostri maximo illo, & nulli alteri Confraternitati communi privilegio, Bullæ scilicet Sabbatinæ, de quo uberiùs in *secunda hujus Operis parte* disseruimus, perfrui valeant, requiruntur, præter tria illa superiori Capite indicata, videlicet *Scapulare benedictum, modo supra tradito, suscipere, & continuò ad collum gerere, atque Confraternitatis albo nomen dare*, hæc duo. 373.

PRIMUM, ut *castitatem pro suo quisque statu colat, & promittat; nempè Virgines virginitatem, viduæ continentiam, nuptè castitatem conjugalem.*

SECUNDUM, *ut qui literas norunt Horas Canonicas juxta formam à B. Alberto Patriarcha Hierosolymitano præscriptam, recitent. Nescientes autem literas debent diebus ab Ecclesia præscriptis jejunare, & feria quarta, & Sabbato (nisi quando natalis Domini coinciderit) à carnibus abstinere.* Ita CLEMENS VII. in Bulla, *Ex clementi*, nec non in alia incipiente *Dilecti Filij*, conformiter ad vulgatam JOANNIS XXII. Circà hæc duo munera, & obligationes, nonnulla animadvertenda, observandaque occurrunt, quæ paucis expedire conabimur.

374. Tam viris, quàm feminis castitatis servandæ obligatio imposita.

ADVERTENDUM *primò*, de solis feminis, dum de castitate servanda, promittendaque agitur, nullam verò de viris fieri mentionem. Utrumque nihilominùs sexum hic intelligunt Authores, Cyprianus in *Thes.* 1. *Part. Cap.* 23. Lezana *Lib. de patron. MARIÆ Cap.* 12. *num.* 23. Irenæus, & alij; sive id dicatur devoti sexus esse privilegium: sive è contra, in fragiliori, moneri utrumq; de continentia. Utrumq; enim intelligi indè probatur, quod ratio sit eadem utriusq;: at leges extendi propter identitatem rationis docent Theologi *Prim. secund.* Erga ista lex de continentiæ proposito ad utrumque debet hic sexum extendi. Nihilominùs cum juxta eosdem Theologos aliquando contingat, eandem non esse obligationem, ubi eadem militat ratio; posset fortè quispiam dubitare, num munus istud de continentia, solis feminis sit impositum, quod in feminino Grammaticorum genere est expressum. *Primò*, quia per *feminam* nunquam *vir* solet intelligi, esto *viri* nomine aliquandò cum *viro* intelligatur *mulier* in favorabilibus. Cujus ratio petitur ex eo, quod *caput mulieris vir*: ac proinde *viri* nomine includi potest *mulier*, quemadmodum res quælibet suo cum principio potest numerari: in Rege quoque ac principe continentur subditi; ex quo fit, ut qui cum principe contrahit, cum subditis censeatur contraxisse: & idem de patrefamilias respectu filiorum dicendum. Sed nunquam princeps in subdito, pater in filiis dicitur contineri, ita ut, quod cum subdito, aut filiofamilias fuerit contractum, princeps, aut pater ratum habere teneatur: nec consectariè *femina* vocabulo *vir* erit intelligendus. *Secundò*, dato quod *virgo* possit aliqualiter ad significandum *virum* usurpari, communi quasi appellatione: tamen *vidua*, & maximè *conjugata* eam interpretationem non admittit.

Ad

Ad hæc respondendum, levioris momenti rem esse, quàm ut ampliùs disceptetur: nam ea onera non sunt gravia, ut bonorum ejusmodi operum propositum viri excutiant, imò eadem illa sunt, quæ ex naturæ, DEIque legibus tenentur observare. Præterea probabile non est, tanto cum discrimine egisse beatissimam Virginem, & summos Pontifices, ut cum immediatè anteà de utroque sexu locuti fuissent, iterumque posteà utrumque complectantur, medio insermone relictis viris, soli femineo sexui pensum imponant, nulla omninò istius diversitatis affulgente ratione.

375. Quid per *promissionē* hic intelligendū sit?

ANIMADVERTENDUM *secundò*, per *promissionem* non intelligi *votum*, sed *propositum* duntaxat servandi continentiam, suum intra cujusque gradum. Undè non est quod meticulosum quempiam permoveat, aut absterreat, quasi Sodales ad castitatis observantiam voto illigentur, non intemperantes modo, sed etiam sacrilegi futuri, si se contaminent, delinquentes ea in parte; quod magno oneri à timidis ducitur: *molliri potest*, inquit Theoph. Raynaudus, *ea durities (si tamen durities, & non decus supernaturale Religionis, honestati temperantiæ superadditum) si recolatur, plerumque* PROMISSIONIS *nomen in hujusmodi negotiis, non nisi firmum propositum, à voto longè dversum, sonare: sicut sæpè pœnitentes, inter confitendum, fervore spiritus correpti, tundente animum, adhibitu, quâ minis de Cælo, quâ verbis fortibus Confessarij, promittunt se deinceps abstituros flagitio. Non quod voveant vitæ integritatem, & sceleris illius puritatem: sed quod contestentur, quam cupiant frugi evadere, nec quod vomitu ejecerunt resorbere.* Explicatè id tradiderunt graves Authores, tum antiqui, tum recentiores, è quibus N. Thomas à *IESV lib.* 2. de Confratern. S. MARIÆ de monte CARMELO *Cap.* 4. Cyprianus à S. MARIA in Thesauro Carm. 1. *part. Cap.* 23. Lezana *loc. supra citato Cap.* 12. *num.* 23. Irenæus à S. Jacobo *sect.* 2. *Cap.* 7. §. 2. Gregorius Nazianzenus à S. Basilio in Adoptione parthen. 3. *part. Cap.* 4. & alij cumplures.

Undè ex promissione hac, alia non oritur obligatio, neque hac ex parte aliter augetur offensa, quàm ex cæteris piè, Christianèque vivendi præceptis. Sodalis ergò, si nitorem debitæ castimoniæ inquinet, (quod avertat DEUS) astringitur quidem obligatione explicandi in Confessione noxam intemperantiæ, sicut cæteri Fideles similiter delinquentes: sacrilegium tamen aperire non tenetur, quia nullum

Confrater contra castitatem delinquens quomodo

in Confessione delictum manifestare debeat?

nullum admisit, nullo ad id voto, sed tantùm nudo proposito adstrictus. Propositum autem istud explicatè necessariò faciendum non est (quamvis meliùs & efficaciùs id fieret) sed sufficit sacri habitus susceptio, cum animo servandi ea, quæ sunt præscripta.

376. ADVERTENDUM *tertiò*, præfatam promissionem minimè impedire, quo minùs status mutari queat, sed integra manet (ut priùs) libertas penes virginem aut viduam ad nubendum. Tunc verò prior continentiæ virginalis, aut vidualis obligatio transit in debitum servandæ castitatis conjugalis.

De hac Continentiæ servandæ obligatione, ejusque summa, respectu Sodalium Partheniorum, congruentissimaq; convenientia plura appositè differit noster Gregorius Nazianzenus à S. Basilio in *Adoptione parthen. Cap. 4. partis 3.* & in institutione familiari Confrat. S. Mariæ de monte Carmelo *Cap. 19.*

377. ADVERTENDUM *quartò*, circà obligationem Horas Canonicas recitandi, quod Theologi communiter, nomine *Horarum Canonicarum*, intelligant, & significent Officium Divinum seu Canonicum, in Choro recitari solitum, & ad quod Ecclesiastico jure obligantur Clerici, aut ob sacrum Ordinem, aut ratione Beneficij. Istud si recitetur, haud dubiè satisfiet ex hac parte Confraternitatis muneri. Ad illud nihilominùs Confratres omnes teneri, nemò jam asseruerit post expressam Cardinalium declarationem, à PAULO V. confirmatam, anno 1613. Illi etenim minoris tantùm Officij B. Virginis meminêre; sive, id dixerint, veluti priorum Bullarum Pontificiarum interpretes; sive quod per Horas Canonicas indefinitè sumptas istud officium putaverint intelligi posse: quemadmodum partem esse Canonicarum Horarum censuit Navarrus *de Orat. Cap. 10. num. 4.* Superiori decreto videntur pridem compulsi nostri Ordinis Patres Calceati, ut decernerent an. 1625. *Constitut. 4. part. Cap. 28. Literas habentes Officium saltem parvũ B. Virginis* &c. recitandũ esse. Lezana quoq; *qq. Reg. Tom. 2. C. 15. n. 46.* & *lib.* de Patron. *loc. cit.* constanter affirmat sufficienter satisfieri per *Officium parvum B. Virginis*. Porrò antè præfatam declarationem major esse poterat difficultas: nihilominùs idem quoque tunc sensêre Petrus Lucius in *Compendio Histor. Carmel. in annotat. ad Bullam Sabbatinam*, & Thomas à *IESV loco supra cit.*

Quid nomine *Horarum Canonicarum* significetur?

Recitantes Officium parvum B. Virg. satisfaciunt.

378. ADVERTENDUM *quintò*, non esse necessariò recitandum Officium,

ficium juxta ritum Ordinis Carmelitarum, sive recitetur majus Canonicum, sive minùs B. Virginis. Cum enim beatissima Virgo velit & obliget Confratres, ad recitandum juxta Regulam datam à S. ALBERTO Patriarcha Jerosolymitano, & in illa aliud non decernatur, quàm ut recitetur, *secundùm institutionem SS. Patrum, & approbatam Ecclesiæ consuetudinem* : sequitur, quod illi omnes, qui recitant Officium aut Romanum, aut Benedictinum, aut Dominicanum &c. completè satisfaciant huic muneri; recitant namque secundùm institutionem SS. Patrum, atque approbatam Ecclesiæ consuetudinem. Ita censent unanimiter P. Thomas à JESU & P. Lezana suprà citati, P. Theoph. Raynaudus in *Paræneſi ad Sodales*, P. Gregorius Nazianzenus, & P. Irenæus *loc. supra cit.* P. Franciscus à Puero JESU in *Expositione Bullæ Sabbat.* alijq; complures.

Non obligantur Confratres recitare Officium juxta ritũ Carmelitanum.

Æquum nihilominùs & congruum existimat P. Irenæus, ut Confratres, quantùm in ipsis fuerit, Carmeliticum recitent : eo quod magis sit proprium Ordinis à quo Sabbatinum emanat privilegium. Si quis tamen teneatur ad aliud recitandum, ratione professionis in alio Ordine, aut obsequij in alia Ecclesia, &c. non ideò privabitur Sabbatina gratia. Imò si quis esset assuetus ad Horas B. Virginis secundum formam Concilij Tridentini, nec similem devotionis sensum experiretur in persolvendis Horis ad normam Breviarij Carmelitici, retinere posset priorem usum. Cum enim utraq; sit licita, & permissa, id maximè consulendum, & suadendum, è quo impensior pietas, devotionisque Marianæ ardor percipitur.

Licet hoc uti ritu magis conveniens, consultumque videatur, nisi aliud obstet, &c.

Monent tamen plures è præfatis Authoribus, minimè satisfieri huic muneri per recitationem psalmorum pœnitentialium, Officij defunctorum, &c. quia non sunt Officium B. Virginis minùs, nec majus Canonicum : nec per alia breviora immaculatæ Conceptionis, similiaq; officia, non enim videntur esse approbata ab Ecclesia, sed potiùs privata devotorum exercitia.

Non satisfit huic obligationi per Officiũ minùs Conceptionis immaculatæ, aut alia similia.

Neq; etiam per illa eadem, aut quælibet alia, quantumvis etiam in usum singularem approbata : nam dicitur, debere esse secundùm approbatam *Ecclesiæ consuetudinem* : ita, ut non sit solùm *approbatum*, verum etiam in *Ecclesia sit consuetum*, quod est meo judicio, *in Choro seu Ecclesia aliqua recitari solitum.* Undè si pro Ecclesia aliqua, novum aliquod B. Virginis Officium in Choro recitandum, approbaret summus

Nec per officia pro particulari usu approbata.

Pontifex, crederem per illud etiam satisfieri posse; sive breviùs solitò fuerit, sive longiùs, quia non attenditur Officij quantitas, sed qualitas, seu approbata Ecclesiæ consuetudo: non autem satisfaceret huic Sodalitij muneri, qui recitaret pro usu v. g. Petri in particulari approbatum, ratione ejus devotionis &c.

379. Qui Horas recitant non tenentur ad abstinentiam Feriæ quartæ, nisi ex consilio & laudabili consuetudine, & ad lucrandas indulgentias *Pauli V.*

ANIMADVERTENDUM *sextò*, non teneri ad abstinendum à carnibus Feria quarta ac Sabbato, vel ad jejunandum vi Sabbatinæ, eos, qui Horas recitant. Si tamen Feria quarta abstineant, lucrantur, præter meritum boni operis, concessam à PAULO V. indulgentiam, de qua supra *Part. 4. Cap. 5.* diximus. Laudabilis nihilominùs & antiqua fuit, estq; consuetudo, ex devotione solùm & consilio, non ex præcepto, ut Confratres Feria quarta à carnibus abstineant, etsi Officium recitent. Quod etiam satis apertè insinuatur hisce verbis lectionum Divini officij Commemorationis solemnis beatissimæ Virginis de monte Carmelo: *Non in hoc tantum sæculo, Ordinem* (Carmelitarum) *sibi tam acceptum multis prærogativis B. Virgo insignivit, verum & in alio; (cum ubiq; & potentia, & misericordia plurimum valeat) Filios in Scapularis Societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesq; paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorio expiantur, solatur, ac in Cœlestem patriam obtentu suo quantocyùs piè creditur efferre &c.*

380. An Sodales nostri debeant se appellare *Confratres & Consorores Ordinis Carmelitarum*? Vide de his *Cap. 13. part. 4. n. 274.* Sodales nostri *Confratres Or-*

Nonnulli, ut suprà laudatus Irenæus cum alijs, è CLEMENTIS VII. Constitutione aliam quandam deducunt obligationem à Confratribus servandam: scilicet, ut appellent se *Fratres & Sorores Ordinis Carmelitarum.* Verùm alij Pontifices eam conditionem minimè expressèrunt, licet de facto ijsdem nominibus Sodales appellent. In vulgata quoque JOANNIS XXII. Bulla, eadem legitur nuncupatio, *appellantes se Confratres & Consorores mei Ordinis* &c. ait B. Virgo ad eundem Pontificem: ubi observandum Carmelitarum institutum nuncupari, *Ordinem Fratrum B. MARIÆ Virginis de monte Carmelo:* quem titulum pluribus Diplomatibus summi Pontifices, indulgentias etiam largas impertientes ijs omnibus, qui hoc modo Ordinem nostrum vocarent, confirmarunt.

Hinc consectariè deducitur, Sodales nostros similiter nuncupandos esse, *Confratres Ordinis B. MARIÆ Virginis de monte Carmelo.* Quæ omnia eximium sanè splendorem huic Sodalitio adiciscunt; tum ipsi appel-

appellationis prærogativa, tum quod ipsius appellatio, leges, ritus &c. ab ipsamet sanctissima DEI Genitrice instituta fuerint. Nec est quod æmulum aliquem singulare istud Carmelitarum beneficium provocet ad invidiam, aut displicentiam, cum Christianus omnis appelletur Christi Frater; undè D. Anselmus: *quod tantum Patrem, & tantum Fratrem sortiti sumus, utiq; B. MARIÆ adscribere debemus* &c. vide sis de hoc Raynaud. *lib. cit. 1. part. cap. 3.* & iterum in *Paræneſi ad Sodales.*

dinis B. Mariæ V. de monte Carmelo nuncupari valent; & quàm excellens sit hujus appellationis prærogativa? *Lib. de Excell. B. V. cap. 9.*

PRÆTER suprà enumerata munera, aliud quoddam assignavit CLEMENS VII. in Bulla, cujus initium est, *Ex clementi.* ut nimirùm Ordinis statuta Confratres servent. Quod tamen nec usu receptum, nec intelligendum de ijs statutis, quibus Religiosi professi hujus Ordinis adstringuntur: cum eorum observatio in multis repugnet Sæcularibus, qui in hoc Sodalitium adoptantur. Mendum irrepsisse, Amanuensis incuria, in ipsum Diplomatis textum omninò credendum est; qui sic habet: *Qui Confraternitatem de monte Carmelo ingredi, seu Confratrum Confraternitatis ejusmodi numero ascribi, ipsiusque Ordinis statuta observare, ac habitum dicti Ordinis deferre* &c. cum potiùs legendum sit, juxta aliud ejusdem Clementis Diploma, cujus initium ab his verbis ducitur, *Dilecti Filij.* hoc modo. *Qui Confraternitatem de monte Carmelo ingredi, seu Confratrum Confraternitatis ejusdem numero ascribi, ipsiusq; statuta observare, ac habitum dicti Ordinis deferre* &c. Quæ lectio & cohærens est, & legitima videtur, atque intelligenda de statutis Confratrum proprijs, hoc est, expositis supra muneribus, ad quorum observationem tenentur.

381. Ad Ordinis statuta servanda non astringuntur Confratres.

CAPUT III.

Proponuntur & dissolvuntur nonnulla dubia ac difficultates circa asserta in superiori Capite.

QUÆRITUR *primò*, An Horæ Canonicæ à Confratribus, juxta supra dicta, recitandæ, debeant *quotidiè* recitari? *Respondetur*, summos Pontifices circà hoc nihil determinatè expressisse, sed remisisse ad formam Alberti,

382. Horæ Canonicæ quotidiè à

Confratribus recitãdæ sunt: nisi legitimè impediantur.

quæ solùm meminit institutionis SS. Patrum, & approbatæ consuetudinis Ecclesiæ: juxta hanc verò quotidiana recitatio requiritur. Unde Constitutiones Ordinis ann. 1625. teste Irenæo suprà citato, quotidianam Confratribus recitationem præscribunt. Ut dicam quod sentio, suppono non posse difficultatem esse de iis, qui aliundè tenentur quotidiè Officium persolvere Canonicum, quales sunt Sacerdotes &c. nam solvendo debitum unum, satisfaciunt pariter alteri. Cæteros quoque existimo debere quotidiè recitare, nisi legitimo aliquo impedimento excusentur. Communis enim loquendi modus ac usus, per obligationem recitandi, quotidianam intelligit; sicut per obligationem servandi festa, singulos dies festos intelligit, & quandò præcipitur jejunium in Quadragesima, quotidianum jejunium exigitur, cum indefinita sit locutio.

Petes, quale debeat esse impedimentum ad excusandos Sodales à quotidiana recitatione?

Quale impedimentum illos excusare queat?

Respond. non debere esse tantùm, quantùm exigitur pro eximendis Sacerdotibus, aut similibus &c. personis à Breviarij recitatione. Quare, inquit Irenæus *loc. cit.* si quis per horam tantùm quotidiè orare posset, cujus medium mentali orationi soleret tribuere, eo quod indè spirituales animæ vires augerentur: aliundè Rosarij Dominicani Sodalitio nomen quoque dedisset, ex quo deberet ter in hebdomada dicere Rosarium, vel aliis pietatis operibus, precibusque esset deditus, magno cum affectu & ardore, puto sufficere, si aliquoties in hebdomada, pro majori aut minori impedimenti ratione, Horas B. Virginis recitaret, ita ut tunc dicenda non foret dispensatio, sed major non esse ex natura rei, atque ipsius institutionis obligatio. Id colligo ex ipsa Bulla, reducendo utramque partem, *legentium* & *non legentium*, uti par est, ad æquitatem. Etenim quotidiana recitatio tanto cum rigore præcepta, ut omne aliud exercitium, precesque reliquas excludat, longè gravior est abstinentia carnium per diem unum, (si quidem Sabbati abstinentia, aliaque jejunia sunt de necessitate Ecclesiastici præcepti:) Ergò cum in Bulla tantus rigor non sit expressus, induci non debet latum adeò discrimen inter Confratres legentes, & non legentes, quo sanè deterioris conditionis evaderent Literati. Ita Irenæus. hæc tamen ejus expositio quoad omnia non probatur ab omnibus.

ALTERA quæstio primæ est affinis: utrùm scilicet, integrum sit recitandum officium? 383.

Officium integrè recitandum est.

Respond. Affirmativè: Horarum enim Canonicarum nomine includuntur Matutinum cum Laudibus, quatuor Horæ minores, Vesperæ & Completorium: quæ septem sunt numero, ex præcepto, rituque Ecclesiæ. Confirmatur hoc ipsum. Bullæ loquuntur indefinitè; ergò non est ratio, cur ad certas solùm Horas, aut has potiùs quàm illas, aut plures, aut pauciores sis obligatus: Ergò vel ad omnes omninò teneris, vel ad nullas.

Simili argumento probari potest *quotidiana* recitatio, cum ad certos dies non adstringat Bulla, sed loquatur indefinitè. Nec obstat superiùs adducta compensatio, seu reductio ad æquitatem, de qua, ex sensu P. Irenæi, in priori dubio. Nam ea reductio locum habere non videtur, nisi quatenus gravitas obligationis augetur per hoc, quod omnes aliæ preces essent in suprà memorato casu interdictæ seu intermittendæ: in quo supponitur esse aliquod impedimentum; quo existente idem erit sentiendum de *integritate* Horarum, quod de *quotidiana* recitatione: eo autem cessante, integrè quotidiè recitandæ erunt.

QUÆRITUR *tertiò*, utrùm is, qui ratione Ordinis sacri, Beneficii, aut alia ex causa recitat majus Officium, teneatur etiam ad Officium minus B. Virginis, ut fruatur Bullæ Sabbatinæ privilegio? 384.

Respond. Non teneri: nam alterutrum sufficit, majus quidem officium ex Diplomate JOANNIS XXII. ALEXANDRI V. & CLEMENTIS VII. minus verò B. Virginis ex decreto Sac. Inquisitionis Romanæ ann. 1613. Ordinis Constitutionibus, Authoribusque universis, qui ea de re scripsêre. Quod etiam tales unica recitatione sive majoris, sive minoris B. Virg. officij satisfaciant, indè patet ac probatur; quod unico actu potest quis pluribus, ac diversis obligationibus satisfacere. v. g. unico jejunio obligationi præcepti Ecclesiastici, & voti specialis, vel pœnitentiæ in confessione impositæ.

Non tenetur ad Officium parvũ B. Virginis qui ex alia quacunque causa recitat Officiũ majus Divinum.

QUÆRES *quartò*, Utrùm recitans Officium parvum B. Virginis, animo lucrandi privilegium Sabbatinum, & omittens culpabiliter Officium Divinum, ad quod obligatur ratione Ordinis sacri, Beneficii, aut alteriùs tituli, illud de facto consequatur?

Quæstio cùriosa.

Negativam sententiam subjectæ videntur suadere rationes. I. Nemo lucratur indulgentiam, ex Theologorum sententia, per opus in lethali peccato patratum: homo autem ille recitat Officium B. Virginis lethalis culpæ reus, ob neglectum Breviarium; Ergò &c. II. Videtur ille agere contra mentem & voluntatem Sanctiss. Virginis, in concessione Sabbatini privilegij expressam. Cum DEIPARA Virgo omnem in eo videatur posuisse solicitudinem, ut præcepta Divina, Ecclesiæque servarent Confratres; undè vix aliquid præter illa præscriptum voluit v. g. continentia, jejunium &c. Ergò signum est, noluisse cum eo contrahere, qui præceptis neglectis, leviora præstat opera, quibus adipisci possit illud tam singulare privilegium.

Contractus natura, quæ sit? Sabbathinum privilegium an contractus dici possit?

Pro affirmante sententia hæc militant argumenta. I. Natura contractus: cui, si pars una satisfaciat, deesse non debet altera. Sabbatinum verò privilegium fœderis, & contractus induit rationem, mutua ex promissione, cui satisfieret per recitationem Officij B. Virginis, (positis alijs de continentia &c. de solo quippe Officio hic disputamus,) piè ergò præsumendum ac dicendum videtur, piissimam misericordiæ Matrem sua quoque ex parte Confratri tali nunc minimè defuturam. II. Par videtur argumentum de hoc sacri Scapularis beneficio, quoad Sabbatinam è purgatorio ereptionem, ac de primo, quoad immunitatem ab æterno incendio: at hoc probabiliter consequetur, qui continuò gestat ex devoto in sanctissimam Virginem affectu ejus Scapulare, debitumque illius cultum minimè negligit; esto aliundè à lethalibus sit culpis haud omninò immunis. (Non quod ejusmodi peccator eo in statu sit DEUM visurus, quod asserere, impium esset & hæreticum, sed misericordissima Virgo Scapularis intuitu, pactique fœderis, cui ille satisfecit, ejusmodi gratiarum auxilia ipsi, alioquin indigno, obtinebit, quibus convertatur, ut conversus salvetur.) Similiter ergò, qui legendo Officium B. Virginis Sabbatino muneri satisfecerit, licet aliundè lethali culpæ obnoxius, videtur id præstitisse, quo post mortem sperare possit Sabbatini privilegij effectum: (si tamen antè decessum remissa fuerit noxa mortalis, alioquin nullum haberet quæstio locum.)

386. Ad Primum oppositæ sententiæ argumentum respondetur primò: nolle Theologos omnia opera fieri in gratia, sed sufficere, si ali-

si ultimum, quo quispiam lucraturus est indulgentiam, eo in statu peragatur. Qua ex doctrina Sabbatino privilegio nullus erit privandus ex eo præcisè, quod quædam Confraternitatis munia exercuerit lethali culpæ obnoxius, dummodo in gratia ultimum perfecerit. II. Non desunt, qui velint acceptam in peccato indulgentiam valere recedente fictione, quorum ex sententia valebit Sabbatina, saltem expiatis per contritionem, aut Sacramentalem pœnitentiam peccatis. III. Aliquod etiam discrimen ponendum est eam inter indulgentiam, quam suis operibus Fideles adipiscuntur, & Sabbatinam, de qua agimus. Nam in priori illa habetur immediatè operum ratio, quorum intuitu dispensantur merita Christi, & ex aperto Ecclesiæ thesauro id assumitur, quo satisfiat pro pœnis peccatorum ejusmodi hominis. In posteriori ipsius hominis opera immediatè non spectantur, sed DEIPARÆ Virginis suffragium, intercessio atque protectio. Unde mirum videri non debet, quod SS. Virginis merito hic obtineat, quod malis suis operibus, neque hic, neque alius ullus fuisset assecutus.

Utrum omnia opera pro indulgent. lucro requisita debeant fieri in in gratia?

Quodnam intercedat discrimen inter Bullæ Sabbathinæ, cæterasq; indulgentias?

Nec refert, si objicias, SS. Virginem operi peccatoris non moveri, ut pro eo intercedat, uti per opus pravum Christus Dominus non movetur ad applicandum suæ Passionis meritum. *Respond.* Neutrum quidem excitari intuitu operis mali, utrumq; nihilominùs misericordia moveri ergà peccatorem: sanctiss. verò Virginem, eo quod miseris ac destitutis peccatoribus data sit in singulare refugium, materno prorsus affectu eorum omnium saluti consulere, ac de Confratribus suis magis esse solicitam, quos sui fœderis tessera cum viderit insignitos, specialibus adjuvabit auxilijs, inito fœderi, ut satisfaciat. Nec propterea opera reijcimus, sed modo jam tradito misericordissimæ Virginis potentissimam intercessionem potissimum consideramus, quæ necessariam nobis gratiam pro exercendis bonis operibus, nobis impetret, & obtineat.

Curbeatiss. Virgo magis solicita sit de suorum Confratrum salute?

387.

Ad Secundùm respond. sanctissimam Virginem intendisse quidem DEI & Ecclesiæ mandatorum observationem, verùm omnia eodem omninò rigore non præcepisse; quasi irritum esse voluerit suæ Confraternitatis pactum eo ipso, quod semel, aut iterum unum mandatorum ejusmodi Confratres transgressi fuerint. Sed ex ijs Regina Virginum elegit præcipuè virginitatem, & continentiam, qua

Quomodo SS. Virgo intenderit Dei & Ecclesiæ mā-

datorũ observationẽ in designãdis muneribus suis Confratribus?

qua maximè delectatur, eamq; Confratribus proposuit, atque media, quæ ad continendum juvarent, hinc orationem, indè jejunium adsignavit. Istam autem orationem esse Ecclesiasticum, aut parvum B. Virginis Officium, interpretati sunt Pontifices, Cardinales, ceterique Authores, qui ea de re scripsêre. Putandus est igitur fuisse satisfeciisse, qui, omisso culpabiliter majori, parvum B. Virginis recitavit Officium: quod tamen absolutè non ausim asserere; sed prudens Lector perpendat accuratiùs, quid sit securiùs ac probabiliùs. Ex dictis,

Utrum debeat esse in gratia, qui Confraternitatis opera exequitur? Vide de his P. *Dominicum à SS. Trinitate* Tract. de Jubilæo *controvers.* 13. *Cap.* 6. Gabrielé à S. Vincentio *p.* 3. *de Sacram. pœn. d.* 13. *quæst.* 3. Stephan. à Paulo *Tract.* 5. *d. dub.* 12. *n.* 292.

Colligere licet, illum pariter non debere esse in gratia, qui jejunat, abstinet, aut alia exequitur, ut Sodalitij legibus satisfaciat. Quæ doctrina complures habet patronos in simili materia, cum agitur de jejunijs in Jubileo præscriptis, alijsq; similibus. Quanquam iterum, qui v. g. dum jejunat ex præscripto Confraternitatis, reus est lethalis furti, videri possit differre ab alio, qui dum recitat Officium B. Virginis omittit Horas Canonicas. Prior etenim debitum Confraternitatis solvit integrè, esto delinquat in alio. At posterior peccat in ipsomet Confraternitatis opere, nempè vitiosa Horarum recitatione. Nisi dixeris, eum in rigore non peccare circa opus Confraternitatis, cum non Canonicum Officium duntaxat, sed disjunctivè istud, aut B. Virginis parvum Officium debeat recitare. Tunc verò recitatio Horarum beatiss. Virginis dici nequit vitiosa, cum non sit causa negligendi Horas Canonicas, in quarum negligentia atque omissione est culpa: at nec censeri potest meritoria, nisi de congruò, cum sit opus mortuum: sed dici debet, aut pœnale, aut melius conventionale opus, de quo, & pro quo cum sanctiss. Virgine initum est pactum. Conventionale autem opus valere, etsi factum in peccato, suadet contractus natura: nam qui aliquid promisit, puta eleemosynam, verè stat promissis dando eleemosynam, esto peccaret aliundè, si prava intentione hoc faciat, vel ex aliena eroget &c.

388. Alia tamen, inquit Irenæus *loc. cit.* occurrit ratio, quæ vincat præfatum Sacerdotem Sabbatinam non lucrari. Si videlicet Horarum obligationem pro Confratribus sic interpreteris. CLEMENS VII. Horas præcepit juxta formam ab Alberto præscriptam. Albertus verò in Regula aliam non assignavit præter istam: Hi qui

Horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundum institutionem SS. Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui verò eas non noverint, viginti quinq; vicibus Pater noster dicant &c. ubi observandum, non dixisse simpliciter : *Qui norunt literas, dicant cum Clericis* &c. sed *qui cum Clericis dicere norunt*, id est, qui inter Clericos fuerint cooptati, cum Clericis &c. undè tria deberent confectariè Confratrum genera distingui. Alij enim norunt legere cum Clericis, id est, sunt Clerici, quibus præscriptum est Officium Canonicum : Alij norunt quidem legere, sed non cum Clericis, quia ad Clericatum sunt inepti, ut fœminæ, vel non sunt promoti, ut viri laici, ad quos videri potest spectare obligatio recitandi Horas beatiss. Virginis: Alij demum nullo modo sciunt literas, quibus jejunium & abstinentiam B. Virgo assignavit. Hæc sententia (cujus examen Lectori committo) si admittatur, nihil proderit Sacerdoti Horarum B. Virginis recitatio, si Breviarium omittat, quia Horæ illæ ad eum non magis pertinent, quoad hoc Sodalitij munus, quàm jejunium & abstinentia ignaris literarum imposita.

Nota tria Confratrũ genera.

Ex quo prætereà infertur, Sacerdotem, qui propter legitimum impedimentum excusaretur à Breviario, haberet tamen copiam recitandi Horas B. Virginis, non teneri ad eas recitandas : sicut sublata legendi quascunq; Horas, etiam B. Virginis, opportunitate, non tenetur jejunare aut abstinere, ut satisfaciat Scapulari. Nam in ea sententia tria ejusmodi munera essent omninò disparata pro triplici Confratrum statu. At si existimes disjunctivè proponi Breviarium & Horas B. Virginis universaliter pro omnibus, qui norunt legere, sive sint Clerici, sive alij, tunc Sacerdos Breviarium recitans, satisfaciet quidem, quia implet partem alteram disjunctionis : at excusatus à Breviario, si supetat facultas recitandi Horas B. Virginis, ad eas tenebitur lege Confraternitatis ; quia quantumvis impeditus sit quoad unam disjunctionis partem, liber tamen est quoad alteram. Deniq; si ne quidem Horas B. Virginis possit legere, ad jejunium & abstinentiam nullatenus tenebitur ; quia id munus nullo modo respicit eos, qui norunt legere, nec sub determinato, nec sub hypothetico, aut disjunctivo præcepto.] Hucusq; Irenæus.

Utrum Sacerdos legitimè excusatus ab Officio Divino teneatur ratione Bullæ Sabbatinæ ad Horas B. Virg. persolvendas?

QUÆRES *quintò*, utrum nescientes literas possint lucrari privilegium Sabbatinum recitando preces à B. Alberto in Regula Fratribus 389.

tribus nostris Laicis præscriptas? Non desunt, qui censuerunt id fieri posse, & tales ad hoc teneri. Ex his fuit R. P. Thomas à JESU *lib. 2. de Confratern. S. MARIÆ de monte Carm. cap. 4.* Et videtur id colligi & deduci ex Diplomate JOANNIS XXII. prout ab aliquibus refertur.

Nescientes literas non tenentur ad preces Fratribus Laicis in Regula N. præscriptas, sed ad jejunia & abstinentiam.

Sed contraria sententia absolutè tenenda est cum R.mo Theodoro Stratio, Lezana, Gregorio Nazianzeno à S. Basilio, Irenæo à S. Jacobo, & alijs. Ratio hujus est, quod nulla omninò hujusce obligationis in Bullis Pontificijs mentio habeatur. Et ipsamet sanctissima Virgo pro ignorantibus literas apud JOANNEM XXII. jejunia & abstinentiam assignavit: quod autem ad Regulam Albertinam mittat, intelligendum est, de recitantibus Horas Canonicas, & literarum gnaris.

Nec refert, quòd vulgata JOANNIS XXII. Constitutio reperiatur apud nonnullos cum isto onere, illa enim lectio legitima non est, cum nec in authenticis, nec in alijs Pontificum Diplomatibus, ullum ea de re verbum reperire sit.

390. Utrum liceat Confratrib⁹ pro libitu aut officiū recitare, aut abstinentiā servare?

QUÆRES *sextò*, An sit integrum & licitum Confratribus pro libitu, aut recitare Officium majus, aut parvum B. Virginis, aut præscripta jejunia atq; abstinentiam servare?

Affirmativè ad hoc respondet præfatus P. Thomas à JESU *loc. supra cit.* & id deducere nititur, ex pia præsumptione atque interpretatione verborum, ac mentis, SS. Virginis, ac summorum Pontificum, qui videntur reliquisse liberæ Sodalium electioni, alterutrum ex his seligere ac præstare posse. Non enim censentur ita assignasse pro literarum peritis Officij recitationem, ut illos determinatè huic uni adstrinxerint &c.

Non licet,

Sed negativè respondendum esse, docent communiter omnes ferè, qui hanc difficultatem attigerunt. Ita P. Cyprianus à S. MARIA, P. Leo à S. Joanne, P. Irenæus, P. Daniel à Virg. MARIA, & alij permulti, ipsæque Ordinis Constitutiones ann. 1626. *Part 4. Cap. 28. §. 6.* & non minùs facilè quam validè probari posse videtur ex ipsissimis SS. Virginis verbis ad JOANNEM XXII. Pontificem, quibus manifestè atque absolutè suum quibusque, tam noscentibus quàm nescientibus literas, munus atque obligationem determinatè assignat. Ab his enim signatim jejunia & abstinentiam, ab iis serv-

lis verò Officij recitationem pro Bullæ Sabbatinæ lucro requirit ac repoſcit. Idem ſtatuunt & exigunt ſummi Pontifices, maximè PAULUS V.

391. Neque etiam alternativè.

Ex quo etiam facilè patet alteriùs, huic jam dictæ affinis, quæſtionis reſolutio: utrùm ſcilicet liceat Confratribus alternativè ſeu indifferenter pro ſuo beneplacito, nunc recitando, nunc abſtinendo &c. huic muneri ſatisfacere? Ven. P. THOMAS ſupra laudatus reſpondet probabile videri, hoc fieri poſſe à Confratribus pro ipſorum beneplacito ac commoditate. Sed nobis, & illis omnibus, qui negativam ſententiam amplectuntur circà ſuperiorem quæſtionem, quoad hanc etiam negativè reſpondendum eſt, ob ſuprà inſinuatam rationem. Nec cenſentur Confratres contrarium agendo mnneri ſuo plenè ſatisfacere, ac proindè periculo ſeſe exponere non fruendi privilegio Sabbatino.

392. An noſtri Fratres laici, qui legere norunt, teneantur recitare Officium parvum B. Virg.?

QVÆRITUR *ſeptimò*, vtrùm Fratres noſtri Laici, qui norunt legere, non tamen cum Clericis, obligentur recitare parvum B. Virginis Officium, ut gratiam Sabbatinam lucrentur?

Reſpond. *primò*, probabilem videri ac ſecuram affirmativam ſententiam. Probatur: nam cum lex univerſalis ſit & indiſtincta, nec ullum afferri poſſit rationis diſcrimen, quod Fratres noſtros ab hoc onere eximat, cenſebuntur pariter ad hoc obligati: ne fortè aliàs tanti beneficij expertes fiant. *Idem ferendum judicium*, inquit Irenæus, *de noſtris Sacerdotibus profeſſis, ſi officium omiſerint, aliaque præſcripta non ſervaverint.*

Probabilis eſt ſententia affirmans: nec minus probabilis ſecuraq; ſententia negans.

Reſpond. *ſecundò* negativam non carere ſua probabilitate ac ſecuritate. CLEMENS enim ſeptimus apertè ſatis in utraque ſua Conſtitutione *Dilecti Filij* & *Ex clementi*, eos ab onere recitandi eximere videtur. Dum primò ait, animas Fratrum, ſeu Religioſorum ac Sororum adjuvandas poſt mortem, &c. ac deindè ſubjungit pro Confratribus, *quodque Confratres ipſi gratiarum earundem participes fieri volentes, Horas Canonicas, juxta formam ab Alberto Patriarcha* &c. Ex quibus liquet, iſtud onus Officij perſolvendi Confratribus duntaxat, non Fratribus Laicis Ordinis impoſitum videri.

Satisfaciunt prædicti Fratres

Hanc quoque tuetur ſententiam prædictus venerab. P. Thomas à JESU *loc. ſupra cit.* ubi docet Fratres laicos Ordinis ſatisfacere huic muneri, & lucrari Bullæ Sabbatinæ gratiam recitando illum numerum

huic debito recitando assignatum in Regula numerum *Pater noster*, & observando præscriptam abstinentiam & jejunia.

merum *Pater noster*, seu orationis Dominicæ, in Regula Alberti pro Matutino, Laudibus, Prima & Horis reliquis assignatum. Præterquam quod alio titulo ac ratione satisfacere videantur, observando præscripta à Regula, & Bulla Sabbatina jejunia & abstinentiam.

393. Conditiones Carmelitis necessariò observandæ pro lucro Bullo Sabbatinæ Admonitio bene perpendenda.

Hos Fratres, ac omnes Ordinis professos, agendo de conditionibus requisitis à Carmelitis, pro adipiscendo Bullæ Sabbatinæ privilegio, subjectis verbis pijssimè exhortatur R. P. Daniel à Virgine MARIA in sua laudatissima *Vinea Carmeli 5. Part. Cap. 7. num. 811.* [PORRÒ hujus nostri Ordinis Fratribus professis ipsa B. Virgo has præscripsit conditiones; ut scilicet *Regulam suam servent, & inviolatam teneant: atque in sancta perseverent obedientia, paupertate, & castitate.* Ista præstantibus duo promisit clementissima hæc Mater, nempè *salvabuntur*, & quod post obitum suum liberati à supplicio purgatorij, *in montem sanctum vitæ æternæ* sint *adducendi.* Ita habetur ex ipsa *Bulla Sabbatina.* Ne igitur gloriemur de tanta nobis promissa gratia, nisi istas pacti conditiones servemus, & Regulæ ac votorum nostrorum religiosæ observantiæ insistamus. Quapropter quilibet nostrum *attendat studiosè* (verba sunt in simili subjecto Ivonis Carnotensis) *ut signum sine significato non ferat, & vestem sine virtute non portet, ne fortè sit similis sepulchro deforis dealbato. Itaque gloriam non tantùm hanc commendet vestium sed splendor animarum.* Liceat itaque sic alloqui Religiosos hujus Ordinis, verbis S. SIMONIS STOCK, superius Swanington relatis: *Fratres conservando verbum istud in cordibus vestris, satagite electionem vestram certam facere per bona opera, & nunquam deficere, &c.*] Hactenus præfatus Daniel.

In Excerpt. Eccles.

CAPUT IV.

Quænam præstanda sint Confratribus, ut recensitis in tertia, quarta, quinta & sexta *hujus Operis Partibus, beneficiis ac privilegiis gaudere queant?*

394. CUM jam sufficienter necessariò præstanda, pro *primò ac secundò* Confraternitatis nostræ beneficio, privilegioque in superioribus exposuisse videamur, superest, ut de requisitis pro *tertiò*, quod comprehendit plenam meritorum

rum seu bonorum operum participationem: & *quartò*, per quod conferuntur de Ecclesiæ Gazophylacio uberrimi ac ditissimi indulgentiarum thesauri: & *quintò*, quod multiplices à Sede Apostolica collatas continet facultates exsolutionis à votis, juramentis, peccatis, censuris, pœnis &c. compendiò nonnulla dicamus.

Nonnulli, è quorum numero est P. Cyprianus à S. MARIA, ad fruendum his omnibus beneficiis, maximè tertiò, exigunt ea, omnia, quæ necessaria esse asseruimus pro Sabbatini privilegij lucro. P. Simon à Spiritu sancto idipsum innuit in suo opusculo *de Confrat. sac. Scapul. pag.* 60. editionis quintæ Neapol. Henriquez *Tom.* 2. *lib.* 13. *Cap.* 54. & ex illo Rodericus *Tom.* 2. *quæst.* 117. *art.* 7. expressè quoque testantur Confratres nostros tempore interdicti, seu cessationis &c. interesse posse Divinis, ac recipere Sacramenta ab idoneo Sacerdote &c. (quæ sunt de numero privilegiorum CLEMENTIS VII. de quibus disseruimus suprà *Part.* 5.) *si tamen*, inquiunt, *à carnibus abstineant feriis quartis & Sabbatis* &c.

In Thesau. Carm. 1. *part. c.* 23.

Referuntur variæ circa hoc sententiæ.

Hoc quoque non absque fundamento colligi videtur ex ipsa Bulla CLEMENTIS VII. incipiente *Ex clementi.* per quam conceduntur hæc privilegia. In ea enim præmittit Clemens sibi pro parte Superiorum &c. necnon Confratrum propositum fuisse privilegium Sabbatinum, Confratribus *ibidem* præscripta servantibus concessum. Quare cum infrà idem Pontifex privilegia illa Confratribus concedit, concedere videtur consideratis illis, prout de ijs mentio facta fuerat in principio ipsius Constitutionis, at mentio facta fuerat de illis intuitu gratiæ Sabbatinæ, requirentis certa illa onera, seu Sodalium ad hæc obstrictorum munia &c. consequenter dicendum videtur Clementem concessisse hæc Confratribus privilegia cum eodem onere ac respectu consideratis. His accedit, quod idipsum ex eodem Diplomate CLEMENTIS deduci, & suaderi posse videatur: ille enim hæc privilegia, juxta non ignobilis Authoris sententiam, indulsit liberalissimè, ut parthenios Sodales efficaciùs alliceret, ad observationem tertiæ conditionis operum pro Bullæ Sabbatinæ gratia necessariò requisitorum, quæ aliàs nimis gravia quibusdam esse videbantur.

ALII non absolutè & determinatè, præter sacri Scapularis legitimè susceptì piam gestationem, Officij recitationem, aut absti- 395.

nentiam &c. sed disjunctivè vel hæc, vel alia pia ac consueta Confraternitatis opera, pro præfatis tribus beneficiorum generibus exigunt. Hoc suadere nituntur argumento à simili ducto. Videmus enim in Jubilæis & Bulla Crúciata non aliter concedi ejusmodi privilegia, quàm propter similia pietatis officia.

Docent præterea complures Theologi, quorũ nonnullos refert *Parte 3. Cap. 4. & 6.* citavimus receptionẽ ad merita Ordinis non posse ei, qui non est benefactor, &c. Similiter ergò præsumendum, & consectariè inferendum videtur, summum Pontificem non impertiri præfatam meritorum participationem, nisi pro certis operibus pijs peragendis. Et si hoc dicendum videatur de hac meritorum communicatione à CLEMENTE VII. facta in supracitata Constitut. *Ex clementi.* idem asserendum erit de alijs omnibus facultatibus ac privilegijs ab eodem *Clemente* in eadem Bulla concessis.

His addendum, quod Pontifices privilegia ejusmodi concedentes, soleant ordinariè semper supponere pia opera, quorum maximè intuitu illa conferunt. Quod etiam luculenter ex principio Diplomatis GREGORII XIII. cujus est initium, *Vt laudes.* constare videtur. Nec refert, si dicas gestationem ipsam sacri Scapularis opus esse pium &c. Nã esto hoc admitterem, nihilominus cum præfata beneficia, perampla, eximiaq; sint privilegia, non videntur concessa pro nuda & sola gestatione parthenij Scapularis: sicut nec Regularibus censentur concedi privilegia sua pro solo Religiosi habitus gestatu, sed simul ac potiùs pro alijs Religionis operibus: ita ut non desint, qui doceant Religiosos non viventes regulariter, suis privari, saltem in foro conscientiæ, privilegijs: nec ad regulariter vivendum sufficit ipsa nuda duntaxat Religiosi habitus gestatio; Ergò similiter non gaudebunt privilegijs sibi aliàs concessis Sodales habitum sacrum seu Scapulare tantummodò portantes, nihilque aliud præstantes.

396. Verior & tenenda sententia.

His omnibus non obstantibus, cum communiori sententia asserendum est, quod ad fruendum præfata triplici beneficiorum & privilegiorum specie, sufficiat, & aliud non requiratur, quam esse *Sodalem Partheno-Carmeliticæ Confraternitatis.* Ad hoc autem, ut quis sit Confrater, non alio opus est, quàm *Confraternitatis albo nomen dari, SCAPVLARE benedictum ab aliquo Ordinis Prælato, vel ab habente ab eo authoritatem suscipere, & continuò ad collum religiosè gestare.* ita communiter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

fermè omnes de hac materia scribentes : ideoq; nullum in particulari refero.

Hoc unum tamen addendum , & notanter observandum est, quod præter jam dictam legitimam susceptionem,& religiosam gestationem sacri Scapularis , necessarium omninò sit pro lucrandis actu indulgentijs , de quibus fusiùs suprà *IV. Parte* disseruimus , adimplere & præstare ea omnia , quæ summi Pontifices in earum concessione præscribunt : quæ etiam *ibidem* sufficienter exposuimus.

Quid in specie pro indulgentijs requiratur?

Hæc sententia probatur ex ipsis Pontificijs Constitutionibus ; quæ pro adipiscendis dictis privilegijs aliud omninò exigere non videntur, ut satis constabit accuratiùs perpendentibus earum tenores & contextum ; & ita illas intellexisse , exposuisseque reperimus communiter Authores. Prætereà videmus diversos Pontifices complura concessisse famulis , & familiaribus Regularium non dissimilia privilegia,propter solam cohabitationem &c. non requisitis alijs particularibus pijs operibus : Ergò idem sentiendum,ac dicendum erit de Confratrum nostrorum privilegijs. Ex his etiam liquet, quomodò obviandum ac respondendum sit prioris sententiæ argumentis.

397.

Qnidnam præstandũ Confratribus cupientibus frui beneficijs *VI. parte* enumeratis ?

Ad obtinenda beneficia , de quibus in *VI. Parte* disseruimus, quæ sicut non passim ac promiscuè Confratribus omnibus , sed solùm specialiter dilectis à DEO , DEIPARAq; divinitùs conferuntur, ita non potest generalis pro illis consequendis lex assignari. Licet autem nonnunquam etiam positivè indignis,atq; immeritis propitiùs concedantur, ordinariè tamen ex nostra quoq; parte congruam, debitamque dispositionem requirunt. Non parum verò ad illa promerenda disponunt; *primò* eximia in DEUM , DEIq; Parentem fides ac fiducia : hæc quippè in receptione similium beneficiorum , quæ suprà omnem naturæ cursum divinitùs concedi solent , vel maximè exigitur & concurrit , juxta illud Christi Domini dictum Marci 2. *Habete fidem DEI. Secundò* Marianum Scapulare gestare non modo physicè & moraliter , verùm etiam ritè & devotè : quod quomodo intelligendum sit,& quid sit *physicè* , quid *moraliter* , quid *ritè* gestare suprà *Capite* 10. *primæ Partis* latiùs exposuimus.

398.

Denique observandum, quod , sive ratione habita supradictorum privilegiorum , sive absolutè & simpliciter , ob spirituale Sodalium bonum , & in recognitionem Carmelo-partheniæ Confrater-

An & cur Confrarribus certum quotidianumque pensum persolvendum sit?

fraternitatis, qua dignati sunt, aliquid Confratribus, præter nudum sacri SCAPULARIS, gestationem præstandum sit, quod aliarum Confraternitatum exemplo comprobari valet; quæ certum quotidianumque pensum (præter signum aliquod sibi proprium, quod gestant Confratres, e. g. Cingulum, Rosariũ, aut Chordam &c.) præscribunt: uti etiam observavit noster Cyprianus à S. MARIA *loc. supra cit. pag.* 275. his verbis: *præterea sicut aliarum Sodalitatum Confratres pensum aliquod quotidianum habent, ut Confratres sacri Rosarij apud Dominicanos &c. per quod sese membra viva ejusmodi Confraternitatum profitentur, aliquid de se quotidie toti corpori, & massæ addendo: non absimili modo nostri Confratres per illa septem* PATER, *& AVE, quotidiè aliquid totius Confraternitatis massæ addentes sese viva membra profitentur.* Præmiserat ideò in morem jam olim inductum fuisse hunc ob finem, ut Confratres quolibet die septem *Pater & Ave* recitarent, & non ad lucrandam gratiam & privilegium Sabbatinum, pro quo non sufficiunt; & hoc etiam tempore hæc recitatio à PAULO V. 40. dierum indulgentia dotata fuit. Consulatur etiam noster Gregorius Nazianzenus *Lib.* de Adoptione partheni. *Part.* 3. *cap.* 5. *num.* 2.

Cur in morem inducta videatur recitatio septẽ *Pater & Ave*?

CAPUT V.

Utrum in prædictis muneribus atque obligationibus dispensari, aut illæ commutari valeant: & quomodo, & à quo?

399. Nulla Confraternitatis observantia ad peccatum obligat.

PRIUSQUAM ad propositam respondeamus quæstionem, supponendum & sciendum est, nullum ex supra expositis muneribus Confratres sub peccato ullo obligari, nisi contemptus accedat, qui in nulla re sacra ac religiosa tolerandus est. Ita cõmuniter Authores omnes de his differẽtes, nullo quem legerim, dissentiente. Colligunt, probantque hoc ex Constitutionibus Pontificiis, quæ non præcipiunt absolutè, sed ex hypothesi præfatorum privilegiorum consequendorum. Hinc studiosè Confratribus animadvertendum, & cavendum est, ne occasione, aut prætextu hujus, aut similis Sodalitij, officia vel exercitia prætermittant, vel negligant, ad quæ ex voto, obedientia, aut alio titulo forte obstringuntur, quæ illos in conscientia reos faciant.

Perpendenda quoque accuratius, maximique à Confratribus facienda, planè eximia misericordissimæ Virginis-Matris benignitas ac benevolentia, quæ dignata fuit ita propitiùs cum iis contrahere, ut plectendos noluerit, si deficiant, initisque fœderibus renuntient: privandos tamen pacti effectu, fructuque, æqui, justique ratio exigit.

Utrum expediat in confessione de horum omissione, aut neglectu se accusare.

Complures reperiuntur, qui in Sacramentali pœnitentiæ foro se reos confitentur, quod præscripta Sodalitij munia omiserint, aut neglexerint: quod quidam faciunt ex conscientia erronea: nonnulli ex nimium religiosa: alij verò ex timorata ac laudabili, cognoscentes sua se culpa ac negligentia illa omisisse; in quo (uti censet Irenæus *sect. 2. Cap. 7. §. 5,*) est saltem venialis macula; quod promissis non steterint, susceptumq; SS. Virginis cultum neglexerint: quemadmodum veniale esse potest (inquit idem Author) quod bonum aliquod conceptum propositum omiseris, e. g. abstinere à licita recreatione &c. quare discernendum erit in his Confessario, utrum Confratri expediat, de his se in Confessione accusare necne; pensata uniuscujusque conscientiæ ratione: utrum scilicet sit scrupulis, erroribus, divinis inspirationibus, &c. impulsa. Ita ille.

400.

Dispensari nequit in illis, quæ necessaria sunt ad constituendum quempiam Confratrē hujus Sodalitij: & quænam sint illa?

His præmissis & suppositis, ut nunc quæsito respondeamus, Dicendum est *primò*: non posse dispensari, aut commutari illa, quæ requiruntur ad constituendum quempiam Confratrem hujus Carmelo-parthenij Sodalitij. Confrater verò quis efficitur, juxta superiùs tradita, per legitimam Scapularis benedicti receptionem, continuamq; gestationem, atq; in Confraternitatis libro descriptionem. Et hæc sunt, quæ universim pro omnibus omninò hujus Confraternitatis beneficijs ac privilegijs indipiscendis requiruntur, ac pro quibusdam quidem sola sufficiunt, pro alijs verò plura alia necessaria sunt, ut in superioribus latiùs exposuimus. Quod verò in his dispensari nequeat, aut hæc commutari, probat Religiosissimus P. Thomas à JESU ex antiquissimo, inviolabiliq; usu, ac statutis Confraternitatis nostræ, & ex Bullis Pontificum CLEMENTIS VII. PII V. GREGORII XIII. & SIXTI V. atq; ex ipsis verbis SS. Virginis, quibus sacrum B. SIMONI nostro SCAPULARE conferendo, illud appellavit suæ *Confraternitatis signum.* Undè infert, non esse ampliùs in potestate Ordinis, aut etiam ipsius Generalis, Confratres ab hac obligatione gerendi Scapulare absolvere. P. Irenæus probat hoc ipsum

In Compend. obligat. Confrat.

Sect. 2. C. 7. §. 6.

ex eo, quod hæc præcipuum Confraternitatis fundamentum sint: quo sublato, eadem consistere nequit, sed in aliam Confraternitatem tota immutatur.

401.

An Scapulare cum primò recipitur debeat necessariò esse benedictū?

PETES, Utrum sit absolutè necessarium Scapulare esse benedictum, quod primò recipitur, ita ut aliàs Confrater minimè fruatur supradictis Confraternitatis privilegijs?

RESP. Negativè: Id enim nullo beatissimæ Virginis (quæ prima hunc Habitum tradidit, ejusq; Privilegia præcipua revelavit) præcepto, aut diplomate Pontificio demonstrari, aut confirmari potest. Verum quidem est, ut inquit P. Irenæus, quod in Confraternitate Chordæ S. Francisci benedici debeat Chorda ex præscripto SIXTI V. cujus Bullam refert Roderic. *Tom. 1. qq. Reg. q. 58. art. 1.* nos verò simile præceptum de necessitate benedicendi Marianum Scapulare non habemus.

Nec obstat, quod in Constitutionibus Ordinis, supra *Cap. 1. hujus VII. Partis* adductis benedicendum dicatur: in eis quippè præter essentialia, exprimuntur alia, quæ ad consuetudinem, decentem, religiosamq; sacri hujus Habitus collationem pertinent.

Instabis ulteriùs, dicesq; videri necessariam esse benedictionem, ex eo quod Confratres *habitum Ordinis* assumant, ut summorum Pontificum Bullæ attestantur. Dum verò Professi post nuncupata vota induuntur, vestes sunt benedicendæ (quod singulare est, ait idem Irenæus, apud nos discrimen indumenti Professorum à Novitijs,) Ergò eadem erit necessitas benedicendi Confratrum Scapulare. *Respond.* Nihil indè efficaciter concludi: nam ne quidem ista indumentorum benedictio, ad Professionem absolutè est necessaria: nec illius defectu potest contra solemnem votorum nuncupationem Professus apud nos reclamare: nec illius beneficio, (si adhibeatur in prima Novitij receptione) Novitius inter Professos annumerari; sed pertinet ad sacros ritus, qui omninò sunt extrinseci, & accidentales ad Professionem.

Benedictio habitus induendi post solemnem professionē non est absolutè necessaria.

Benedictio Scapularis, cum primùm recipitur, etsi absolutè

Etsi verò benedictio, in tradendo Confratribus Scapulari, absolutè necessaria non sit, omittenda tamen minimè est. 1. Quia praxis obtinuit, ut adhibeatur. 2. Constitutiones Ordinis suprà allegatæ id decernunt. 3. Plurimum habet momenti, maximèq; conducit, uti quælibet alia Ecclesiastica Benedictio: ex quo fit, ut nec invalide omitti,

omissa, nec inutiliter adhibita dicatur. Hinc si Scapulare solemni ritu semel acceptum, usu detritum, aut amissum fuerit, novum assumi, seu suffici poterit absq; nova benedictione: tum quia absolutæ necessitatis non est benedictio: tum quia reliquis ea sufficit, quæ primo fuit impertita; haud secus quàm in habitu Religiosorum, qui peracta semel solemni professione benedici non amplius solet.

necessaria non sit, omittenda tamen non est: & quas ob causas?

Quæres, quomodo uetus illa benedictio ad novum habitũ derivari possit?

402. Quomodo novũ Scapularecum priore unũ & idem sit, exemplis docetur. An primũ Scapulare benedictũ conferat homini aliquem sanctitatisgradũ, quem ille conferat novo, seu in ejus locũ assumpto Scapulari.

Respond. Hoc indè procedere, quod novus ille habitus, licet physicè distinctus sit à priori, in genere tamen moris unum & idem ens morale cum priori censetur, eo ipso quod assumitur in supplementum prioris: quemadmodum unus idemque est fluvius, licet aqua non sit eadem physicè. Sic aqua benedicta, si alia infundatur non benedicta, evadit benedictionis particeps, etsi non repetatur benedictio, priori aqua per contactum conferente dignitatem illam novæ aquæ, sive moraliter solùm, sive physicè ad hoc concurrat. Quod autem in ejusmodi aqua, vel similiter in oleo fatentur Theologi, propter physicum contactum, realemque unitatem: hoc nos de habitu asserere possumus ob moralem identitatem. Idem dici solet de numismate in vicem prioris deperditi suffecto, quando hoc Pontificis permittit indultum & facultas.

Hæc sententia longè probabilior est altera illa, quæ affirmat primum habitum benedictum conferre homini novum aliquem, sive dignitatis, sive sanctitatis splendorem, quem eundem homo ille novo habitui conferat. Quemadmodum Cæsareum diadema Duci impositum, Ducem nobilitat, atque Imperatorem creat: ille verò creatus Cæsar, si novum capiti imponat diadema, novo isti dignitatis splendorem communicat (proportione servata) quem à veteri nobilitato diademate acceperat.

403. Non potest dispensari in illis, quæ requiruntur pro 1. beneficio.

Dico *secundò*: non posse dispensari in ijs, quæ necessaria esse asseruimus *Capite* 1. *hujus VII. Partis* ad gaudendum singularissimo illo beneficio specialissimæ DEIPARÆ Virginis protectionis ac tutelæ, cum in vita, tum in morte, &c. Hoc sufficienter constare ac probari videtur ex his, quæ *ibidem* diximus.

Dico *tertiò*: Non minus certum est, quod non possit dispensari, aut commutari Continentia requisita pro lucro privilegij Sab-

404.

Neque in Continentia Sodalibus à B. V. præscripta.

batini, de quo *Cap. secundo* egimus: cum jus naturale ac Divinum eandem præscribant. At quantum ad promissionem continendi, juxta modum *loco cit.* expositum, licet expressa illius nuncupatio non fiat, tamen implicitè semper involvitur, in receptione Scapularis: quia ut ritè suscipiatur, debet acceptari ijs vestitum circumstantijs, quas sanctissima Virgo præscripsit, atq; animo satisfaciendi impositis muneribus. Sed propositum continendi comprehenditur inter tas circumstantias ac munia, ut *ibidem* tradidimus: Ergò semper involvitur in receptione Scapularis parthenij.

De altero munere seu obligatione ad consecutionem gratiæ Sabbatinæ necessaria, scilicet recitatione Horarum, aut abstinentia, à jejunio major est difficultas.

405. In recitatione Horarum & abstinentia &c. dispensatum censetur, quãdo manifesta adest causa, seu necessitas?

Dico *quartò*: quando manifesta, sufficiensq; intervenit necessitas, censendum est in hoc munere esse dispensatum. Tum, quia necessitas non habet legem, nec ulli legi subjacet: tum, quia beatissima Virgo id apertè satis declaravit de jejunio JOANNI XXII. ut constat ex ejus Bulla, *Sabbatinæ* vulgò nuncupata: de recitatione autem Horarum, & abstinentia, cum sit par ratio, videtur quoque idem esse statuendum ac dicendum. Monet tamen supra laudatus Irenæus, quod si adiri, & audiri possit Superior, id maximè consulendum forè, pro majori timoratæ conscientiæ tranquillitate, atque privilegij securitate: cum non parùm prosit Superioris authoritas, etiamsi is decipiatur, &c.

406. Quando illa abest, non habet in his locũ dispensatio sed commutatio.

Dico *quintò*: Dispensatio, quæ ab homine procedere debet, & non ab ipsa procedit necessitate, non videtur locum habere posse in hac obligatione. Nam si neque istud, neque aliud pietatis exercitium tibi sit liberum, jam necessitas ab obligatione exemit: si verò aliquid aliud exercere valeas, debet in illud fieri commutatio, non verò simpliciter & absolutè dispensari: ingratus quippè & iniquus videretur, qui tantum Virginis Matris beneficium gratis, & absque ullo opere optaret aut speraret.

407. Quid de jejunijs, alijsque

Dico *sextò*: Jejunij singularem esse rationem, uti & quorúncunque aliorum, quæ præcipit Ecclesia: si enim illa in ijs nunquam, vel nonnisi perrarò dispenset, pro Scapulari pariter dispensari non poterunt: si verò de jure Ecclesiastico dispensari in ijs queat, tunc recurrendum erit pro debito Scapularis ad ea, quæ infrà dicentur, &c. Ita *loco cit.* P. Irenæus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cum verò inter præscripta nostræ Confraternitatis munia contineantur quædam Ecclesiæ mandata, ut jejunium, & abstinentia &c. QUÆRITUR, Utrum, quandò cum cæteris Fidelibus in ijs dispensat Ecclesia, etiam cum Confratribus nostris dispensatum censeatur? v. g. Ecclesia permittit quibusdam in locis, ut diebus abstinentiæ comedantur intestina animalium, vel quid simile, utrum tunc Confratribus liceat eadem comedere Feria quarta ac Sabbato? Ecclesiæ præceptis dicendum sit?

RESPOND. Duplicem esse distinguendam rationem absolvendi à præcepto Ecclesiastico. *Prima* est necessitas tanta, quantam unusquisque in moralibus pro sua sententiâ statuit: atque hæc, ut supra diximus, cum Confratribus etiam dispensat; eo quod necessitati nulla lex imposita sit; quod expressum habemus in sæpiùs citato JOANNIS XXII. Diplomate. *Secunda* oritur ex privilegio, atque favorabili dispensatione facta ab ipsa Ecclesia, & de hac major est difficultas: quæ ut solvatur, statuitur ut certum, dispensationem comedendi carnes in die Nativitatis Domini, quando incidit in Feriam quartam, aut Sabbatum, extendi ad Confratres id enim declarant Pontificiæ Constitutiones. Hac sola dempta, cæteræ non videntur Confratribus favere. Pro hac sententia refert Irenæus R.mum Theodorum Stratium *lib. de Confratern.* & Lezanam *lib. de patronat. Marian. Cap.* 12. & Tom. 5. qq. Regul. *Cap.* 7. *num.* 26. *&* 27. ubi pari argumento concludit Fratres nostros juniores professos, qui vigesimum primum ætatis annum non attigêre, teneri vi Regulæ ad jejunia Ecclesiastica; idq; colligit ex *Cap.* fin. *de observat. jejunij.* ubi à privilegio comedendi carnes in Feria sexta propter festũ Nativitatis Domini, excluduntur, qui voto, aut Regulari observantia tenentur ad abstinendum. Obligari juniores ad jejunia ante 21. ætat. annum sentit Bordonus *Resolut.* 18.

Probatur supradicta sententia 1. Quia exceptio firmat regulam in contrarium: atqui beatiss. Virgo solùm Nativitatis diem excepit & expressit: Ergò noluit in cæteris esse dispensatum. Cur enim Nativitatem expressisset, si parem illius cum cæteris rationem esse voluisset? II. Dispensat quidem Ecclesia in suis præceptis; at de privatis ejusmodi muneribus, ac Confraternitatibus agere non censetur, dum id manifestè non declarat. III. Par est argumentum in Jubilæis, pro quibus quando præcipitur jejunium, juxta communiorem, magisque securam sententiam, ad ipsum tenentur adolescentes, De Jubilæo id docet Bona-

Sina *de indulg. disp. 6. q. 1. punct. 5. num. 16.*

centes, qui illo frui voluerint, etsi vigesimum primum ætatis annum nondum attigerint: eo quod præceptum istud sit distinctum ab altero Ecclesiæ, nec propterea unius dispensatio extendenda est ad alterum, nisi Pontifex id expresserit; quod si non fecerit, non dicetur habere intentionem concedendi indulgentiam per modum Jubilæi, nisi jejunantibus. Idem prorsus de Sabbatina nostra sentiendum, dicendumve videtur.

408. Ratione Bullæ Sabbatinæ tenentur Confratres ad jejuniū, etsi vigesimum primum ætatis nondū compleverint: & quid de abstinentia à carnibus in Sabbato ijs in locis, in quibus &c.

Hinc tenentur Confratres I. ad jejunandum, etsi vigesimum primum ætatis annum nondum attigerint, si tamen vires id permittant. II. Ad abstinendum à carnibus, etiam diebus, quibus dispensat Ecclesia; ut de Sabbato quibusdam in locis est consuetudo. Non uti Feria quarta præter commune jus obligantur ad abstinentiam; ita & in Sabbato præter privilegium. III. Ad abstinendum iisdem diebus ab intestinis, aliisque ejusmodi, quæ abstinentia carnium minime permittit: etiamsi quibusdam in locis, quoad similia dispensetur; quia dispensatio ad Confratres, ut diximus, non extenditur. IV. Videntur quoque iisdem interdicta pulmenta cocta cum carnibus: quippè qui carnes prohibet, censetur eadem illa pulmenta prohibitione sua includere.

Qui Officiū recitant, uti possunt Ecclesiæ dispensationibus circa jejunium & abstinētiam.

409. Nec obest, si dicas, Regulam ALBERTI eadem permittere. I. Quia hæc dispensatio solùm concernit Religiosos nostros iter facientes, ne sint hospitibus onerosi. II. Quia Confratres non remittuntur ad Regulam ALBERTI, quantùm ad jejunium & abstinentiam (alioqui sæpiùs illis jejunandum, abstinendumq; esset &c.) sed solùm, quantùm ad Horas Canonicas. Cæterùm, qui norunt literas, & Officium recitant, uti possunt Ecclesiasticis dispensationibus de jejunio, & abstinentia datis, quia onus illud non est horum proprium, verùm aliorum, qui literas ignorant.

OPPOSITA nihilominùs sententia defendi quoque posse videtur; cui favet Bonacina *de indulg. disp. 6. q. 1. punct 5. num. 16. §. observa tamen.* Ubi tradit satisfieri jejunio pro jubilæo lucrando requisito, esto comedantur ova ac lacticinia, secundùm locorum consuetudinem: Ergò videtur locorum consuetudo tenenda in modo jejunandi & abstinendi &c. Quapropter cum utraque opinio satis habeat probabilitatis fundamenta, existimo alterutram tutò posse eligi, etsi prior sit magis secura.

Pro-

Probabilitatem posterioris sententiæ, hæ rationes asserere videntur. I. Pro Feria quarta ac Sabbato sanctissima Virgo dispensavit cum Confratribus iis diebus, quibus coinciderit Nativitas Domini: at non aliam ob causam id facere censetur, quàm quod Ecclesia cum omnibus Fidelibus dispenset: Ergò si alia de causa iterùm dispenset Ecclesia universalis cum omnibus, aut particularis cum Fidelibus illius regionis, vel loci, dicendum erit beatiss. Virginem velle cum suis Confratribus pariter esse dispensatum. II. Quoad licentiam comedendi intestina, aliaque similia, in locis, quibus permittuntur, sic probatur pro nostris Confratribus. Præcipitur illis abstinentia ad modum, quo abstinent cæteri Fideles totius Ecclesiæ, aut loci in quo degunt ac commorantur, sicut præcipitur illis jejunium ad modum quo jejunant cæteri Fideles. Non aliter quippe præcipitur abstinentia, quàm jejunium; nec majori cautione aut rigore. Atqui jejunium non aliter obstringit Confratres, quàm cæteros: fruuntur enim Ecclesiastica dispensatione quoad serotinam refectiunculam, esto lex olim esset jejunij, ut semel tantùm, idque vesperi comederetur; undè adhuc appellatur *Cœna*, atque in Quadragesima sumitur post vesperas. Ergò si quæ sit dispensatio circà abstinentiam à carnibus, poterunt pariter Confratres eadem illa gaudere, absque Confraternitatis præjudicio, sicuti fruuntur dispensatione circà jejunium quoad refectiunculam concessa: & per consequens comedere poterunt intestina animalium, aliaque ejusmodi iis in locis, in quibus eadem permittuntur Fidelibus. Indè tamen non rectè infertur, pulmenta cocta cum carnibus Confratribus esse permissa, ex eo quod itinerantibus Carmelitis ex supradicta ALBERTI Regula sint concessa: nam ista dispensatio est privata, non universalis, personas respiciens non locum: proindeque dici nequit, eum esse abstinendi modum inter Fideles alicuius regionis, quorum privilegio gaudeant Confratres, ratione territorij, & universalis dispensationis.

Quid de pulmentis coctis cum carnibus sentiendum?

410. Dico *septimò*, posse fieri commutationem in duabus præfatis obligationibus, recitationis scilicet Horarum, jejunij & abstinentiæ, necessariis pro privilegio Sabbatino, justis de causis in alia opera pia æquivalentia. Ita venerab. P. Thomas à IESU *lib. 2. de Confratern. S. MARIÆ de monte Carm. Cap. 4.* Theod. Stratius in *Instruct.*

Commutatio locũ habet in obligatione recitationis Horarum, abstinentiæ & jejunij.

Instruct. sæpius citata, Lezana *lib. de Patronat. Marian. Cap.* 12. num. 24. Marcus de Guadalaxara in *Thesaur. Spirit. Cap. penult.* Gregorius Nazianzen. à S. Basil. *Part.* 3. *Partheniæ Adoptionis Cap.* 5. Leo à S. Joan. in *Fœdere Mariano*, Irenæus à S. Jacobo *loc. cit.* Daniel à Virg. MARIA in *Vinea Carmeli*, *num.* 846. Franciscus à Puero JESU in *Explicat. Bullæ Sabbatinæ*, *num.* 12. Theoph. Raynaud. in *Paræn. ad Confrat.* & alij. Nec deest ratio, quæ hoc convincere videatur. Quod enim in omni morum regimine videtur summè necessarium, non est censendum à benignissima Virgine fuisse suis Confratribus denegatum: at facultas commutandi est summè necessaria, ob varios, frequentesque casus, quibus homo nonnunquam exponitur, & appetitur: Ergò piè credendum est, illam à DEIPARA & misericordissima Virgine in institutione suæ Confraternitatis clementissimè fuisse concessam, nec denegatam. Prætereà existimandum non est, quod benignissima ac liberalissima Virgo sui amoris pignus, et cum austeritate impertita fuerit, qua princeps maximè rigidus pensa atque subsidia à subditis usque ad novissimum quadrantem exigeret, sed summa cum benevolentia nobiscum contrahere ac procedere, nec tam operis rationem, quam sincerum animum attendere, ac perpendere, credendum est.

His adde, quòd videamus summos Pontifices, quoties pro lucrando jubilæo quædam opera pia imponunt, Confessariis dare facultatem, ut pro infirmis, aut legitimè impeditis, illa possint in alia opera pia æquivalentia commutare: Ergo idem de nostra Sabbat. indulgentia affirmare licebit. Quibus vero competat hæc cõmutandi potestas, quæ est altera hujus Capitis controversia, nunc decidenda est.

411. In prædictis commutandi potestas competit summo Pontifici, Prælatisq;

DICO ergo *octavo*, summo Pontifici, ac Prælatis Ordinis nostri, scilicet Præposito seu Priori generali, Provinciali, ac locali Prælato competere hanc commutandi facultatem: cum hoc tamen discrimine, ut solus Papa possit opus præscriptum universaliter in aliud commutare: verb. caus. statuere, ut deinceps pro Horis Canonicis dicatur Corona B. Virginis: cæteri verò Prælati Ordinis solùm commutare pro privatis personis toties, quoties opportunum judicaverint. Ratio hujus disparitatis est, quod prior commutatio sit de numero rerum universalium in Ecclesia, quarum proindè judi-

cium

cium ad solùm duntaxat spectat summum Pontificem, adeò, ut ne quidem Episcopis (si tamen, quod quidam affirmant, illis etiam competat prædicta commutandi potestas) in sua Diœcesi liceat exercere universaliter talem commutationem (nisi eo modo, quo in alijs agit tanquam Delegatus summi Pontificis) cum Episcopus nihil valeat circà leges sui Superioris; atqui summi Pontifices jam ea munia sua probarunt, confirmaruntq; authoritate: Ergò in ijs commutandis universaliter nihil poterunt Episcopi, nisi eo modo, quo diximus. Ratio verò nostræ assertionis, quoad Prælatos Ordinis, est; quod ipsi videantur ex natura rei constituti custodes, judices atque dispensatores hujusce beneficij, ac per consequens eorum omnium, quæ ad illud pertinent.

Ord. Carmelit. sed diversimodè.

D I C O *nono*, eandem obtinere facultatem Præfectum Sodalitii, iis in locis, in quibus consuevit Sacerdos unus nominari, qui Confraternitatem administret, Confratres recipiat, &c. Hoc patet ex eo, quod Præfectus nequeat ritè munus suum obire, nisi hac gaudeat facultate: at in necessarijs quantùm ad conscientiam nunquam deest humanum regimen, ac proindè censetur à Superioribus ea concessa potestas &c.

412. Præfectis quoq; Confraternitatis quibusdam in locis;

De Confessarijs major videtur esse difficultas, utrùm ijs censeatur delegata à Superioribus facultas ad prædicta onera commutanda? dixi *delegata*, cum de se, & ex officio nullam in ijs habeant potestatem. Affirmativam sententiam tuentur complures ex supra laudatis Authoribus, è quibus Thomas à JESU, Theod. Stratius, Daniel, Irenæus, & alij. Et eadem, quàm suprà produximus, necessitatis ratio, id non minus efficaciter suadere videtur. Ita tamen, ut de legitima necessitate id intelligatur: nam si Confrater possit ad Superiorem, aut Præfectum Confraternitatis per se, vel per alium recurrere, non existimant posse commutari à Confessario; quia Superiores tunc minimè præsumuntur illi concedere talem facultatem, utpote minimè necessariam.

ac Confessarijs in casu necessitatis.

S I M I L I T E R existimandum prius delegari hanc facultatem ad Confessarios nostri Ordinis, quàm ad extraneos: rectè quippè dispensationis atq; communicationis ordo id postulare videtur; quamdiu Superiores majores aliud non decreverint. Præterquam quod nostri potiùs ac meliùs censeantur nosse petitæ commutationis

413. Quid de Confessarijs extraneis &c.

motiva, regulas ac momenta &c. Cum autem ad nostros recurrere nequit, urgetq; nihilominùs commutationis necessitas, existimat eam esse licitam P. Irenæus *loc. suprà cit.* quibuslibet Confessarijs, tum Regularibus, tum Sæcularibus: attamen præferendus erit ordinarius, eo quod melius cognoscat pœnitentis conscientiam, itemque salubrius consulere ipsi valeat.

Quis Confessarius præferendus sit?

Per necessitatem verò non est intelligenda extrema, quia tunc censetur dispensatum ex natura rei, sed ejusmodi necessitas, quæ a moralibus commutationem mereri videatur. Potest autem ea fieri commutatio extra Sacramentum pœnitentiæ, seu peccatorum confessione minimè audita.

Quæ necessitas hic intelligenda sit?

De cætero reliqui, sive sint nostri Ordinis, sive extranei, nihil possunt, meo judicio, in præfatis commutationibus; quia jus communem, ordinariumq; procedendi stylum ijs delegata non consetur hæc, aut similis in moralibus potestas.

Reliqui sive nostri, sive extranei &c. in his commutationibus nil possunt.

CONTRA jam dicta objicies ac dices, *Indulgentiæ*, juxta commune, tritumq; Theologorum axioma, *tantùm valent, quantùm sonant*, ac consequenter ad literã complenda, perficiendaq; erunt omnia, quæ pro illarum adeptione præscribuntur, ergò nulla in his fieri commutatio poterit.

414.

RESPOND. Dictam Theologorum regulam, atq; axioma intelligendum esse, & verificari de indulgentijs ordinarijs, & communi, ordinarioq; stylo concedi solitis, non verò de extraordinarijs, & supra communem indulgentias impertiendi modum, concedi solitis, quæq; requirunt conditiones, oneraque prorsus extraordinaria, quale est nostrum Sabbatinum privilegium, seu indulgentia; sive attendas modum, quo concessa fuit: sive opera per quæ consequenda est. Concessa namq; fuit cœlitùs ab ipso CHRISTO Domino ob Virginis Matris suæ glorioſa merita, solumq; acceptata ac confirmata ab ejus Vicario JOANNE XXII. Pontifice; in quo plurimum discrepat ab alijs indulgentiis à Romanis Pontificibus largiri consuetis. Aliæ quoque Pontificiæ indulgentiæ completo particulari opere, quod pro illis exigitur, mox adipisci queunt: vel saltem posito primo ad illarum consecutionem necessario opere, si plura opera aut onera præscribantur, ut in Jubilæis &c. sed nullas novi ego in Ecclesia DEI, inquit noster Thomas à JESU, indulgentias, per quas

Quomodò intelligendum illud, *indulgentia tantum valent quantum sonant?* & de quibus indulgentijs? Indulgentia Sabbatina ab ipso Christo D. cælitùs concessa fuit, & confirmata atque publi-

quarum consecutione certa opera, atq; onera non levia per omnem vitæ decursum præstanda sint, quæque lucrari nequeant in hac vita, verùm solummodo post mortem, nisi indulgentiam Bullæ Sabbatinæ: ideoq; certum videtur, non esse de illa differendum illo cum rigore, quo de aliis ordinarijs, aut communibus indulgentijs; quia aliàs pauci admodum illam obtinere valerent: cum sit satis difficilè aut fortè (sicut nonnemo ait) ferè impossibile toto vitæ tempore inviolabiliter conditiones omnes observare, ad ejus adeptionem præscriptas. Quare sufficientissimo cum fundamento Doctores commutationem in his muneribus, aut obligationibus, cum legitimè impeditis &c. permissam esse censent.

cata à Pontifice, in quo multum differt à cæteris.

Quoad indulgentias verò à Sede Apostolica concessas, atque *Quarta* hujus Operis *Parte* recensitas, dicendum est, pro illarum lucro fideliter, completeq; ea omnia præstanda esse, quæ à summis Pontificibus pro ijs exiguntur: nec in his admittendam esse ullam commutationem, aut dispensationem; cum pro his verissima sit præfata regula, quod scilicet *tantùm valeant, quantùm sonant.*

Circa indulgentias cæteras nulla facienda est commutatio.

CIRCA modum autem in prædictis commutationibus observandum, hoc statuendum est, debere in illis attendi & servari easdem omninò regulas, quæ in alijs commutationibus votorum &c. præscribuntur. Quarum (suppositâ in commutante legitima, vel ordinaria, vel delegata potestate) duæ præcipuæ sunt. I. Rationabilis, urgensque causa, quæ commutationem suadeat. II. Ut commutatio fiat in alia non minoris momenti opera, verùm in meliora, aut saltem evidenter æquivalentia: ne utilis adeò beatissimæ Virginis Matris cultus in futilia abeat.

415.

Quis sit in præfatis commutationibus modus tenendus? Quando possit abstinentia commutari, & permitti pulmenta cocta cum carnibus? Huc facit argumentũ Cap. *licet.* de pœnit. & remiss.

Reverendissimus P. Theod. Stratius sufficientem commutandi rationem in *abstinentia* existimat, quod Confrater aliquis sit Filiusfamilias, vel quocunque alio modo sic vivat in communi, ut præter carnes cibum non habeat; cui tunc concedit pulmenta cocta cum carnibus. Carnes etiam tunc posse manducari, arbitratur R.P. Irenæus, compensato eo munere per alia pietatis exercitia, de consilio Confessarij.

Consulendum hoc videtur non modo propter inopiam alterius cibi, verùm etiam quoties singularis mensæ distinctio animos divideret, pacis ac tranquillitatis vincula dissolveret: Charitas enim

Charitati cuncta aliarum virtutum exercitia cedere oportet.

verò princeps est virtutum, atq; exercitiorum omnium; quare ceteris potiùs remitti debet nuntius, quàm vel minimum Charitati detrimentum inferatur.

Quod de filiisfamilias, conjugibus, alijsque communem mensem habentibus asserimus, debet quoque intelligi de operarijs, qui ab alijs conducti, quotidiano vivunt stipendio, eaque comedere debent, quæ apponuntur.

Idipsum quoque sentiendum de Religiosis aliorum Ordinum, ac de ijs, quibus frequentior carnium abstinentia, vires non suppeditaret labori, aut muneri suo necessarias; ij etenim per alia pietatis officia abstinentiam supplere poterunt.

Ad quos alios supradicta commutatio & permissio extendenda videatur?

416. Simili ratione procedendum cum ijs, qui officiū quotidiè recitare nequeunt. V. P. Thomæ circa hæc doctrina.

NON dissimili ratione procedendum cum ijs, qui Horas, ut Officium quotidiè recitare nequeunt: nollem tamen totum & integrum remittere; sed ita componere, ut vel alternis, aut intercalatis diebus illud persolvant; vel ut singulis diebus aliquid recitando, totum aliquoties in hebdomada absolvatur, pensata impedimenti gravitate.

V. P. Thomas à JESU existimat, abstinentiam & Officij recitationem, quando hæc præstari nequeunt, commutari debere in preces in Regula ALBERTI Fratribus nostris Laicis præscriptas; certum scilicet numerum orationis Dominicæ pro Matutino, Prima, Tertia, aliisque Horis statutum, illis, qui hæc recitare valent: sic enim periculo non exponentur minimè obtinendi hoc Sabbatinum privilegium: & pauci erunt, inquit, qui has preces persolvere non valeant. Sed de hac sententia quid censendum sit, suprà *Capite tertio num.* 389. jam diximus.

Item R. P. Irenæi.

Pro divitibus optimam compensationem putat esse P. Irenæus, si pauperem eligant, pupillum maximè atque destitutum, quem sustentent sumptibus, erudirique procurent in rebus ad salutem necessariis, singularique sanctissimæ Virginis cultu &c. necnon in arte aliqua, qua deindè vitam sustentet. Hæc namque solicitudo & pietas, misericordiaque in mystica Christi membra, non poterit non esse sanctissimæ illius Genitrici perquam accepta compensatio pro Horis ac similibus.

417. ALIUD præterea hic est animadvertendum, circa modum in his commutationibus servandum: quod scilicet, dum commutantur

opera ex duplici titulo obligatoria v. g. ex præcepto Ecclesiæ, aut voto, vel statuto Confraternitatis, ut jejunium: vel in Sacerdote officij recitatio &c. videtur posse commutatio fieri in opus aliud, cujus jam adsit obligatio alio ex capite. Hoc enim familiare admodum est Confraternitati nostræ, ut uno opere duplici satisfiat debito E. C. præcepto Ecclesiæ, & Sodalitij. Secus dicendum videtur de opere supererogationis Confratribus præscripto; verb. caus. abstinentia Feriæ quartæ; nam tunc in novum opus pœnale mutandum erit. Etsi absolutè non reprobarem commutationem factam in aliud opus, ad quod aliundè is, cui fit, esset obligatus.

Quid observandū in commutatione operum ex duplici capite obligator.? Quid de operibus supererogationis, &c.?

CAPUT VI.

Satisfit aliis quibusdam controversiis, ac difficultatibus, ac terminantur hæc Pars, & Caput quadam ad Confratres paræneſi.

418. Utrum inscriptio Confratrū in album Sodalitatis sit absolutè necessaria?

CUM in superioribus non semel asseruerimus, recipiendorum in parthenium nostrum Sodalitium nomina Confraternitatis albo inscribenda esse, quæritur, utrùm hoc sit ita absolutè necessarium, ut nisi id fiat, Sodalis privandus sit Confraternitatis beneficiis?

Probabilis videtur sententia affirmativa.

Affirmativa sententia videtur haud levi niti fundamento, ob Diplomata Pontificia CLEMENTIS VII. GREGORII XIII. & PAULI V. illi plurimùm suffragantia.

CLEMENS in Diplomate suo incipiente, *Ex clementi.* hæc habet: *Qui Confraternitatem de monte Carmelo ingredi, seu Confratrum ejusmodi Confraternit. numero adscribi &c.* GREGORIUS in Bulla, cujus initium est, *Vt laudes.* hæc tradit: *Qui habitum hujus Religionis gestarunt, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero adscripti* &c. PAULUS verò in Constitutione Bullata, quàm edidit anno 1606. initium ejus ab his verbis ducitur, *Cum certas unicuique.* sic loquitur de hac inscriptione: *Tam ipsis pro tempore describendis, quàm jam descriptis,* &c. Hanc Confratrum inscriptionem in albo Confraternitatis necessariā esse pro Confraternitate Chordæ S. Francisci affirmat Rodriquez *Tom.* 1. *qq. Regul. q.* 58. *art.* 1. & Francisc. Bor-

donus *Tom. 3. Resolut. 72. num. 14.* Pro omnibus Confraternitatibus id tradit Flavius Cherubinus in *Compend. Bullar. in* Sixto V. *num. 13. Schol. 2.*

Sed longè probabilior opposita.

Probabilior tamen, & absolutè tenenda videtur oppositu, cui subscribunt Cyprianus à S. MARIA in *Thesaur. 1. part. Ca.* 13. Theod. Stratius, maximè quoad Sabbatinam (esto aliter sentiat de reliquis indulgentijs) in suo *Tractat. de Confratern.* Irenæus à S. Jacobo in pluries *citato Tractatu Theologico*, de singulari Virginis immaculatæ protectione, *Section. 2. Cap. 7. §. 1.* Lezana *Tom. 2. qq. Regul. Cap. 15. num. 44.* & in lib. *de patronat. Marian. Cap. 12. num. 22.* qui id rectè colligit ex eisdem GREGORII verbis disjunctivè pronuntiatis, nec per consequens absolutam, determinatamque obligationem inducentibus. Nec mens, intentioque tum GREGORII, tum aliorum Pontificum videtur fuisse alia, quàm exprimendi receptionem Confratrum, sive de cætero per solam habitus traditionem, sive per ipsam nominis descriptionem, aut alio modo ea fieret: at quia frequens est similibus in Sodalitiis nomen describi, hinc communis illa recipiendi ratione specificam, qua utimur enuntiarunt.

Aperitur & exponitur circà hoc mens Pontificũ.

419. Cæterum PAULUS V. ad rem non adducitur in præfata Bulla, *Cum certas.* nam ibi non loquitur generaliter de omnibus Confratrum privilegiis, sed solùm de indulgentiis, quas ipse Confratribus fuit elargitus. Ex quo ad summum sequeretur, debere describi pro lucro ejusmodi indulgentiarum, de quo suprà *Part. IV. Ca. 6. num. 251.* diximus. Alij verò Pontifices pro eodem usurpant, *habitum Religionis gestare, Confraternitatem ingredi*, & *Confratrum numero adscribi*, nec tam attendenda est verborum litera, quàm sensus, juxta illud juris axioma, *non mens verbis, sed verba menti debent inservire.* Ad intentus mentis sensus est, ut intelligantur Confratres Carmelitici Scapularis, sive per descriptionem, sive per habitus traditionem, tales evadant: neque enim ibi quæritur, quomodo recipiendi sint Confratres, sed quid recepti lucrentur: nec Pontifices declarare intendunt recipiendi modum, verum privilegia consequendi &c. Lezana nihilominus, & cum illo Irenæus *supracitati*, licet admittant essentialem minimè esse conditionem, fatentur tamen tutius describi, cum propter consuetudinem, tum propter Ordinis Constitutiones, id præcipientes, tum vel maxime, quod sic plenius præfatis Pontifi-

Licet necessaria omnino nõ sit inscriptio, tutiùs ta-

cum Constitutionibus satisfiat. Quod ego quoque non diffiteor. Et juxta asserta hoc loco intelligenda sunt, quæ in superioribus de hac inscriptione diximus.

men & consultiùs adhibetur: & quare?

QVÆRITUR *secundò*, utrum infirmi Bullæ Sabbatinæ privilegium lucrari valeant?

420. Quomodo & quinam infirmi lucrari valeant privilegium Bullæ Sabbatinæ

Respond. affirmativè, modo tales ante ægritudinis statum, legitimè suscepto sacro Scapulari, Confraternitatis muneribus, maximè requisitis pro privilegio Sabbatino fideliter satisfecerint; etsi illo tempore, nec Horas persolvere, nec jejunare, aut abstinere à carnibus possint. Nec enim præsumendum est, clementissimam Virginem Matrem voluisse Confratres suos tali in statu, ad tale recitationis, jejunij, aut abstinentiæ &c. onus obstringere. Et si non sufficeret valetudinis tempore hæc præstitisse, pauciſſimi, aut forsan nulli omnino, hujus Sabbatinæ gratiæ participes fierent: cum vix reperire sit, qui tali in statu ac tempore his satisfacere queat.

Si quis autem morbi primùm tempore partheniam hanc vestem suscipiat, ejusque Sodalis efficiatur, cum tunc nequeat neutrum ex prædictis muneribus obire, nec Sabbatinæ gratiæ particeps fieri posse videtur: nec tamen propterea frustrà sacrum assumet Scapulare, cum alijs Confraternitatis beneficijs, privilegijs, atque indulgentiis gaudere valeat: nisi huic ægro Sodali hæc munera in alia pietatis opera, infirmo possibilia, ab habente facultatem, juxta suprà dicta, legitimè commutentur; tunc enim Sabbatino privilegio etiam potiretur. Hanc tamen commutationem necessariam non judicamus cũ P. Thoma à JESU pro illis, qui incolumitatis tempore hunc habitum Parthenium suscepêre, & præfatis muneribus tunc ritè satisfecêre.

Quidnam consequantur illi, qui primùm tempore ægritudinis Scapulare recipiunt. *Loc. supra citat.*

421. Illi, qui nolunt aut nequeunt præstare requisita pro privileg. Sabb. possunt nihilominùs frui cæteris privilegijs & indulgentijs.

Ex his patet nullo negotio responsum ad aliam, seu *tertiam dubitationem*, quàm movet idem P. Thomas à JESU, utrùm scilicet illi, qui vel nolunt, vel nequeunt munia præstare necessaria pro Bullæ Sabbatinæ effectu adipiscendo, possint nihilominùs consequi cæteras nostri Sodalitij indulgentias, gratias ac privilegia?

Ad hoc ipse respondet, quod tales, si præstent præscripta pro illarum lucro, opera seu munera, absque dubio eas consequantur: non enim dependet harum adeptio ab illius assecutione, & hæ sine illa obtineri valent.

QUÆRITUR *quartò*, utrùm specialissima DEIPARÆ Virginis

nis protectione, de qua egimus *I. Parte*, aut Sabbatina gratia privandus sit ille, qui semel, aut iterùm contrà præscripta pro illis munera deliquerit?

422. Semel iterumque delinquês contra supra præscriptas Cap. 1. & 2 obligationes non privabitur illis beneficiis &c. dummodo resipiscat, & illis satisfaciat.

RESPOND. Videri quod non, dummodò posteà resipuerit, & firmiter proposuerit servanda servare imposterùm. Ita putant Thomas à JESU, & cum illo Theod. Stratius, Daniel à Virg. Mar. RIA, Irenæus à S. Jacobo, Franciscus à Puero JESU, *locis supra*. Id nos credere suadet ineffabilis piissimæ Virginis Matris misericordia, quæ cum ex summa benevolentia, amoreq; eximio nobiscum contrahat, extremos justitiæ servare apices non est existimandum. Constat etiam ex Evangelio *Matth. 19.* quod ad vitam possidendam æternam servanda sint mandata, juxta illa verba Christi Servatoris nostri: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et nihilominùs certum est, quod etiam ij, qui Divina mandata transgrediuntur, si inde reversi pœniteant, & in gratia decedant, vitam æternam consequantur: Ergò idem de Confratribus nostris ex humana fragilitate quandoque deficientibus, sed mox se corrigentibus ac pœnitentibus, affirmare licebit, quoad consecutionem gratiæ Sabbatinæ.

Quid de illis, qui per plures annos deliquerunt, & postmodũ pœnitentes præscripta fideliter præstant?

Nihil tamen ausim promittere illis, qui ex mera negligentia & socordia adeò frequenter prædicta omitterent, ut dicere liceat, illos ad omittendum, quàm ad satisfaciendum magis assuetos.

Qui autem susceptum semel Marianum habitum, posteà dimittunt: vel eo retento Confraternitatis munia prorsus negligunt, notosq; vitijs sese ac voluptatibus tradunt, etiam per plures annos dummodo tandem à vomitu revertantur, atque pœniteant, & imposterùm fideliter, diligenterque præscripta servent, recipiendos decerno, existimo à misericordissima Matre in Confratres.

423. Unde delicti gravitas sit pensanda?

ANIMADVERTENDUM quoque, attendi debere delictorum rationem; gravius quippe, juxta quorundam sententiam, delinquere videtur, qui bis, terve in anno peccat contra Castitatem, quam si centies omittat officium B. Virginis; *gravius* inquam, non modo contra æternam salutem, verum etiam, illa secluſa, credendum est per ejusmodi delictum amplius offendi Reginã Virginum; cui non infima laus est, quod DEI Genitricis dignitate à proposito servandæ virginitatis non sit abducta: sed mirata est magis nuntium, quàm susceperit, inquiens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non*

pro-

gnoſco? nec priùs aſſenſum præbuit, quàm divinum caſtæ generationis modum, eum eſſe noverit, qui Virginitati detrimentum minimè afferret. Quare his tam eximiis puriſſimæ Virginis Matris beneficiis maximè indignus, prorſusque privandus cenſeri debet, qui Continentiæ deditus non fuerit.

Indignus planè puriſſimæ Virg. Matris beneficijs Confrater impurus.

Qui verò impenſiùs, magisque conſtanter, juxta Confratrum obligationes, DEIPARAM Virginem coluerint, illos ſanè arbitror ſpecialiùs ſemper ab eadem DEIPARA, cum toto vitæ decurſu, tum in ejus termino protegendos; citiusque eripiendos è purgatorij flammis: ſegniores verò intenſiùs urendos, imò & extenſiùs in eiſdem flammis.

Qui impéſius Deiparam coluerit, citiùs è purgatorio liberabitur.

QUÆRITUR *quintò*, An ſufficiat ad fruendum Confraternitatis privilegiis, ſi quispiam per alium præſcripta illius munia adimpleat?

424.

Reſpond. negativè: cum enim recitare Officium, jejunare, abſtinere &c. ſint actiones perſonales, & beatiſſ. Virgo ac ſummi Pontifices ad privilegij effectum obtinendum illa præſcribant & exigant, erunt neceſſariò per eum, qui privilegio potiri cupit perſonaliter perficienda; cum ſub hac conditione, & non aliter illa conceſſa eſſe cenſeantur, & privilegia hæc ſint perſonalia. Præterea quoties opus aliquod ſimpliciter injungitur, tanquam conditio neceſſaria ad fruendum privilegio, neceſſe eſt, ut perſonaliter perficiatur ab eo, qui conſequi cupit privilegium; quia tale opus ſimpliciter loquendo non fit ab aliquo, quando per alium fit, privilegium verò requirit, ut ab ipſo lucrante opus fiat.

Debet quis per ſeipsũ Confraternitatis munia præſtare, ut privilegijs ejus potiatur.

QUÆRITUR *ſextò*, Utrùm Confratres invitati Feria quarta ſeu die Mercurij ad convivium, aut alia ex cauſa extrà domus ſuas prandentes, aut cænantes, cauſam habeant ſufficientem, ut carnibus veſcantur, ſinè privilegii Sabbatini præjudicio?

425.

Reſpondet R. P. Daniel ſuprà laudatus *num.* 848. *Partis V. Vineæ Carmeli Cap.* 7. quod ſi alij cibi non adſint, nec facilè haberi poſſint, aut timeatur, quod abſtinendo à carnibus alij incommodarentur, pudore vel mærore afficerentur: aut ex fragilitate indè quoquo modo offenderentur: aut obloquendi occaſionem ſumerent, tunc melius, & ad majorem DEI gloriam videatur, non abſtinere. Si verò in menſa alij cibi adſint, aut facilè, & ſine incommodo haberi poſſint,

In quibus Caſibus abſtinentia præſcripta non ita rigidè obligare videatur?

nec periculum videatur alicuius offensionis, tunc causam sufficientem minimè esse, quo minùs abstinentia servetur præscripta.

426. Quid nomine carnium intelligatur in præscripta Feria IV. illarũ abstinentia? Lacticinia permittuntur, nec Cõfratres ferijs quartis jejunare tenẽtur.

QUÆRES *septimò*, quid nomine carnium intelligatur, in præscripta Feria quarta & Sabbato illarum abstinentia?

Respond. Nomine carnium intelligi non modo veras carnes, verùm etiam omnia illa, quæ cum carnibus magnam habent propinquitatem, ut sunt sanguis, laridum, sagina, & quæ per concoctionem cum carnibus, de illarum substantia, aut qualitate participant; ut sunt jus, legumina, olera, & alia pulmenta. *Prohibentur*, inquit Thomas JESU, *per hanc abstinentiam illa omnia Confratribus, quæ Ecclesia non permittit, seu vetat cunctis Fidelibus diebus jejuniorum, atque omnibus feriis jejunii.*

Lacticinia tamen, ut ova, butyrum, caseus, &c. Sodalibus, illis diebus, extrà Quadragesimale jejunium permittuntur. neque enim jejunare omnibus Feriis quartis & Sabbatis, sed solùm à carnibus abstinere tenentur; nisi in illos dies incidat jejunium ab Ecclesia præceptum.

427. Cur Confratribus præcipiatur abstinentia pro diebꝰ Sabbatinis, cum ad illam Fideles omnes obligẽtur?

QUÆRIT etiam P. Cyprianus à S. MARIA, cur in Bulla JOANNIS XXII. aliisque Apostolicis Diplomatibus, Confratribus imperetur abstinentia carnium, non modo diebus Mercurij, verùm etiam Sabbatis, cum ex Ecclesiæ præcepto Fideles omnes ad abstinendum à carnibus diebus Sabbatinis obstringantur?

Ad hoc ipse respondet *Cap.* 23. id ideò fieri, quod in nonnullis regionibus diebus Sabbatinis ex dispensatione, aut privilegio permissum sit, vesci extremitatibus animalium: in aliis verò locis quibusdam à Nativitatis Domini festivitate usque ad festum purificationis B. MARIÆ Virginis, ipsa carnium comestio permittitur. Voluit quippè sanctissima Virgo, summique Pontifices, Confratres literarum ignaros non tantùm diebus Mercurij per totum annum, verùm etiam Sabbatis omnibus à carnibus abstinere, ad gaudendum Bullæ Sabbatinæ privilegio: sed quid circà hoc alij sentiant, & sentiendum videatur, diximus *supra Cap.* 5.

428. Quinam nulla videantur indigere

UNUM pro solatio Confratrum, ad prædicta duo munera præstanda verè impotentium, advertendum est: quod scilicet Reverendus P. Theod. Stratius in sua instructione *Cap.* 12. *num.* 19. & 20. cum aliis nonnullis viris doctis nostræ Religionis probabile existimet, illos qui vel ex impotentia, vel ob aliam legitimam causam nequeunt offitium

Officium legere, aut jejunare atq; præscriptam servare abstinentiam, nulla indigere dispensatione, aliorumve operum æquivalentium exhibitione pro obtinendo Bullæ Sabbatinæ privilegio, modo cætera servanda servent. Quod etiam colligi videtur ex Bullis JOANNIS XXII. & ALEXANDRI V. ipsisque verbis DEIPARÆ Virginis, quæ post expositas conditiones, ad privilegio illo fruendum requisitas, hæc verba adjunxit: *nisi necessitatis causa alicui traditi essent impedimento.*

dispensatione, aut commutatione circa prædicta duo munia?

429. SOLENT aliqui Prælati ac Confessarij, teste *supra citato* P. Daniele, hujuscemodi impotentibus, vel legitimè impeditis, injungere, ut quotidiè illa hebdomada, qua abstinentiam, vel Ecclesiæ jejunia servare nequeunt, recitent in honorem septem gaudiorum beatissimæ Virginis septies orationem Dominicam, salutationemque Angelicam: quod præstando non solùm consequentur vicibus singulis indulgentias 40. dierum à PAULO V. concessas, uti suprà *Parte quarta Cap. 6. num.* 248. diximus, verùm etiam membra viva Carmelo-Parthenij Sodalitij se profitebuntur, forsanque etiam promerebuntur Sabbatinæ gratiæ participes effici, si non subsisteret supràdicta opinio illorum, qui tales dispensatione, aut commutatione egere non credunt.

Loc. cit. num. 849.

Ac cavendus hic error quorundam existimantium universaliter pro omnibus sufficere, ut gaudeant speciali illo DEIPARÆ Virginis adjutorio in igne purgante, septenarium illũ orationis Dominicæ salutationisq; Angelicæ numerũ: nequaquam enim id sufficit pro iis, qui norunt & possunt legere Officium, aut abstinentiam ac jejunia servare, nec legitimè impediuntur: à talibus namque, si privilegij istius participes esse cupiant, ut suprà dictum est, Officium, si sciant & queant, legendum est: sin minùs Ecclesiæ jejunia, abstinentiaque à carnibus Feriis quartis, ac Sabbatis servanda. qui verò nec id possunt, satisfacere poterunt recitando indies septem *Pater* & *Ave.* ut dictum est, aliavè opera præstando. Satiùs autem erit, illa ipsis ab aliquo Ordinis Superiore, vel P. Confessario, illum in finem imponi, uti suprà etiam innuimus.

430. IMPOSITURUS metam huic septimæ Parti de muneribus obligationibusque Confratrum, congruum duxi eosdem breviter commonere officij, ad omnes ejus partes accuratè, seduloque explendas:

das: quod non propriis, sed illustrissimi Scriptoris, Theophili Raynaudi verbis, quippè meis longè efficacioribus, præstare visum est. Is igitur in fine sui Tractatus suprà non semel laudati, sic Confratres affatur & exhortatur, paucis primùm proponendo iis nobilitatem, eminentiam & utilitates plurimas, eximiasque hujus nostri Sodalitij: [VENIO ad SODALES ASCITITIOS gratulans ipsis sortem bonam: & admonens, ut eam pondere Sanctuarij libratam, æstiment pro rei dignitate ac utilitate. Recogitent nobilitatem, cum uberi fructu certantem; utramque prorsus insignem, & leviculo pretio annumerato comparandam. Quæ verò potest esse dignior ac nobilior Sodalitas, quàm quæ ad DEIPARAM refert institutionem suam: & Christi nutu, per summum ejus Vicarium (quoad nos) comprobata coaluit? Aliæ passim Sodalitates, tametsi eo ipso quod pietatem spectant, afflatu Spiritus sancti sunt constitutæ, aliquatenus ipsum Spiritum sanctum habent Authorem: tamen non nisi remotè, gaudent Cælestis institutionis prærogativa. Hic omnia proximè & immediatè per Cæli & terræ Reginam, Filio cooperante, & in omnes Matris voluntates concurrente, auspiciis Divini Spiritus, sunt constituta. Cedo nobiliùs Sodalitium, quo consortium ejusdem cum Christo Matris obtingat".

Confraternitas nostra vel ideò illustrissima, quia ad Deiparam refert institutionẽ suam.

Quodnam sit omniũ nobilius Sodalitiũ?

431. NEC utilitas nobilitati concedit. Hoc sacrum Schema, & verè Cælestis Habitus, longè aliud commodum præstat animæ; quàm corpori vestis materialis, atque corporea. Hæc enim, tametsi nuditatem prohibet, frigus tamen non depellit; ut fert popularis persuasio, benè rejecta à Theodoreto *Orat. de Charit.* verbis illis (*Non ut quidam arbitrantur, tunicæ, indumenta & vestes calorem præbent corpori: lapides enim & ligna calefacerent, quibus ea admota essent. Sed nemo unquam vidit lignum, vel lapidem, vestibus evasisse calidiorem. Ergò nec corpori præbent eæ calorem, sed servant calorem corporibus. Et frigidi quidem aeris arcent incursionem. Suscipientes autem vapores, qui exeunt ex corpore, & sic calefiunt, & calorem exhibent corpori. Hujus autem rei, testis est experientia. Sæpè enim frigidum lectum ingredientes, corporis applicatione, stragulum quod prius erat frigidum, calidum efficimus. Cibus ergò, corpus magis calefacit, quàm vestis.*) Optimè ista Theodoretus, de veste corporea, operiente exteriorem hominem. At habitus Virgineus hoc plus habet, quod corpus operiendo calorem immittit; quo anima ipsa incu-

Vestes non calefaciunt corpus.

Per sacr. Scapulare

incaleſcit, ac fervet. Coneiliat enim ſpiritus planè vitales, Cæleſtes, inquam, afflatus à ſanctiſſima DEI Genitrice exoratos; quorum interventu calor vivificus animam vegetat, & ad omne opus ſanctum fervidam facit. incaleſcit anima & quomodo?

ACCEDUNT uberes jam ex hac vita, pœnarum pro peccatis pendendarum, laxationes: & optio deligendi ſemel & iterùm Confeſſarij, inſtructi poteſtate pleniſſima, ad quosvis ferè culparum nexus exſolvendos. Sed nihil hæc omnia, ad fructum protectionis ſingularis, quàm ſpopondit, quæ apud DEUM omnia poteſt: data fide curandi lectiſſima ſalutis æternæ ſubſidia, quibus vita (ſi mens læva non ſit) felici exitu concludatur. Quo certè, nullum poteſt eſſe humanorum votorum expetibiliùs; cum omnia hominis ſtudia ad id vnum collimare debeant, ut detur ad finem illum pertingere: quod iſtis per DEI Matris favorem aſſequi licet, & ſecurè, & levi opera. Recenſet privilegia & commoda Carmeliticiſodalitij.

QUID enimverò exigit DEIPARA, in tot favorum & bonorum vicem? Expreſſit ipſa mentem ſuam JOANNI XXII. poſcens, ut qui charum ſibi Sodalitium iniverint, Scapulare Ordinis Carmelitani deferant, quo hujus ſe Cœtus membra profiteantur: Caſtitatem, pro gradu ſuo, colant; qui necdum illigati ſunt conjugio, illibatam & puram: qui fœdera conjugij iniverunt, ſervent eam, intrà thorum ſanctum, & connubium immaculatum: quibus ea vincula per comparis mortem diſrupta fuerint, illimes maneant (ut eum ſtatum decet) quandiu novum jugum non ſubiverint. Hæc omnes, ab ipſo ſuſceptæ ſacræ veſtis principio, tenenda inviolabiliter promittere, & exequi debent. 432. Quænam à Confratribus pro his munia viciſſim Deipara poſcat?

Jam ſeorſim omnes literis informati, Divini Officij penſum, vel ex beati ALBERTI præſcripto: vel ſuetum in Eccleſia quodvis aliud: vel ex PAULI V. interpretamento, parvum, quod vocant Virginis MARIÆ Officium, perſolvere tenentur. Qui rudes ſunt literarum, indicta per Eccleſiam jejunia, ſecluſis juſtis cauſis excuſantibus, explere jubentur; addita apocreaſi, Feria quarta & Sabato, niſi in eos dies incidat Chriſti Natale.

En totum, pro tot bonis quanta attigimus, Sodalitij ſacri jugum. Immo & ſi aliqui illis ſuſtinendis adhuc ſunt impares, commutationem in alia pietatis opera à Confeſſariis licet & extorquere. Næ DEIPARA ergà Clientes ſuos, prodiga potiùs quàm munifica, & Quam levia ſint onera, quæ Deipara Confratri-

bus suis imposuit, respectu beneficiorū quibus fruuntur?

vulgarem in modum liberalis, videri voluit; tanta in eos commoda, adeò vili profundens veriùs, quam erogans.

(*Et nonnullis interjectis prosequitur.*)

ATQVE eo quidem modo solvitur prætensa durities; & jugum Sodalibus Marianis, mandante DEIPARA, impositum, suave esse ac onus leve, liquido patet. *Suave jugum*, ajo *& leve*, idque per se liquebit, si (ut ex præclaro S. Hilarij monito, mendacium proficiat veritati) fas esset, præscripta in hoc DEIPARÆ Sodalitio, comparare cum lotionibus, abstinentiis, jejuniis, lancinationibus, aliisque sanè durissimis; quibus Galli Cybelæ Sacerdotes, cultum *Matris Deorum*, quæ & eadem Ops, Tellus, & Virgo credita, prosequebantur.

433. Necessitas igitur magna injicitur hisce Sodalibus, non modo adeò leve jugum non detrectandi & refugiendi, tanquam onerosum & durum, sed etiam gratulandi sibi illius susceptionem, & præstandi se quod dicuntur; hoc est DEIPARÆ *speciales Filios*, *ac Fratres*, ne vacuum nomen præferant; quæ est digna lachrymis exerratio, omnibus in DEI Ecclesia Ordinibus, statibus item omnibus, sive laicis, sive sacris pernicioſa, vel etiam exitialis.

434. Christiani Simiatici quinam dici possint? *Lib. 1. Epist. 5. Euthyr. L. ad Hermon. Lib. 19. mor. C. 9. Orat. 19. Lib. de Vita Christ. c. 2. & 3.*

INTER Christianos sanè plerique, dum vana appellatione Christianorum, sepositâ professionis observatione, contenti sunt; nihil minùs sunt quàm Christiani. Verè Christiani Simiatici (ut vocem à Plinio juniore, & Epicteto, in affini causa adhibitam huc transferam) à Gregorio Nysseno sub ea Simiatica forma scitè expressi Christiani; quibus DEUS est tantùm DEUS in publico, sed non in occulto, juxta præclaram S. Gregorij observationem. Christiani, in quos illud Basilij Seleucienſis meritò intorqueas; (*Cur appellationi cujus virtute cares, contumeliam irrogas? quid gestas cognomen, quod persona probro sit? factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis?*) Conclamat quoque in hujusmodi nimium vigentem abusionem, Augustinus. Nec nunc duntaxat damnosissima est, ea vacui nominis ostentatio, sed ipsa est, quæ olim quoque vastitatem intulit Synagogæ. Sæpè sanè Apostolus in Judæos invehitur, quod contenti gloriosum nomen præferre, seque DEI peculium & selectum populum dicere; de comprobanda factis notione nominis non curarent. Indè est, quod circumcisionem, quæ erat externa populi DEI peculiaris characteristica, prout soli carni impressam, nec pervadentem ad ab-

ad abſconditum cordis hominem, dedignatus *circumciſionem* dicere, appellat *conciſionem.* Rurſus verò vocat *confuſionem* eorum, qui terrena ſapiunt, habentes in carne fiduciam, & in ea confuſione gloriantur. Quam Vulgatus dixit *gloriam in confuſione*, creditus Ambroſius vocat *gloriam in pudendis*. Diſertè autem alibi conteſtatur Apoſtolus, hujusmodi circumciſionem præputium factam eſſe. *Non enim, qui in manifeſto, Judæus eſt: neq; quæ in manifeſtò in carne, eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito Judæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non litera. Cujus laus non ex hominibus, ſed ex DEO eſt.* Expoſtulaverat cum Judæis acriter Hieremias, hac ex cauſa; quod contenti externa ſpecie ac nomine, & Templi DEI apud ſe collocatione, cultum inanem & medullæ vacuum exhiberent. Indeque factum eſſe, ut auferetur à Judæis lux ſua, S. Gregorius obſervavit, eò accommodans illud Jobi; *Reſtituetur, ut lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum: auferetur ab impijs lux ſua.* Qui enim evecti erant in DEI ſignaculum reſoluti ſunt in lutum ſuum, ſtantes exteriùs in maſtruca craſſa; ſub qua nihil erat vitæ, lucis nomine deſignatæ.

Phil. 3.

Rom. 2.

Cap. 7.

Lib. 29. morali cap. 3.

Cap. 31.

AD extremum non Chriſtiana duntaxat, aut Judaica profeſſio, per eam in nuda appellatione gloriam evaneſcit: ſed omnes ſtatus pereunt, & omnia munera velut ſal infatuatum ad nihilum valent ultra; & nubes ſine aqua, nubem fruſtrà ementiuntur. Non minùs enim evanidum eſt, abſque ſubjecta notione, quantumvis illuſtre nomen. At ut benè dixit Gregorius Niſſenus [*non ex appellatione res fiunt, ſed earum ſubjecta natura* (quæcunque tandem illa ſit) *aptis nominis ſignificatione declaratur.*] Haud abs re igitur, Sodalibus Marianis Author ſum, ut ſolicitiſſimè caveant; ne vacuo contenti nomine, & hærentes in externa ſpecie, ad ſubjectam vocabuli notionem parum attendant: & grandia nomine ac ſpecie pollicentes, rebus nulla reſtituentes, falſarij criminis, judice Salviano, jure damnentur.

435.

Lib. de form. Chriſt.

Lib. 4. ad Eccleſ.

Qui ſic Sodales audiunt, craſſo ſolæciſmo dehoneſtant orationem ſuam: & juxta Petrum Damiani neſcientes proferre *Scibollet*, vacuam ſpicam, & medulla inanem prætendentes, morte mulctantur. Quod exquiſitè præcavens Eccleſia, amicitur lana & lino; id eſt, exteriori titulo ac ſpecie profeſſionis, & virtute ſubjecta, juxta B. Auguſtini interpretationem. Ne ſint ergò Sodales Virginei, exanimes

Serm. de S. Anthimo.

Serm 217. de temp.

nimes (ut ita dicam) Sodales. Ne glorientur nuda appellatione specialium *Filiorum & Fratrum DEIPARÆ*: ne sint Sodales *de solo titulo*, sed studeant esse, quod dicuntur. Loquantur cum persona & nomine professionis suæ, juxta sapiens B. Cypriani monitum; quod video etiam adamasse B. Hieronymum cum Heliodorum Monachum admoneret, ut cum nomine *Monachi* loquens, consideraret quid nuclei, ejus nominis cortex abderet. Benè & optimè habitura omnia, si nominis externa species intima notione gravidetur, apud Epictetum aliquoties lego. Quidni enim hominem à S. Chrysostomo adhibitum, virtutis incentorem, adhibeam ipse quoque? Et è contrario nominis à moribus & vita dissensio, excidiū est totius honestatis. Quo nomine alterū Ethnicæ sapientiæ simulacrū, Musonius (non minùs, quàm Tertuliano Seneca, jure dicendus *sæpè noster*) stomachabatur in illa, ut Hieron. vocavit, *gloriæ animalia*. Philosophos dico, qui contenti Philosophorū nomine & pallio; nomen illud vita, & factis dehonestabant. Cū enim inter eos unus, referente Gellio, pallatus & crinitus, barbaque propè ad pudem usque porrecta, apud Herodem Atticum *Philosophi* nomen ostentaret, cæteroqui nebulo, & erraticus, ac nullius rei; pecuniam quidem quàm poscebat, accepit, jubente Musonio: sed non absque insperſione salis ac piperis, & infusione aceti, per hæc verba (*Hoc potiùs dolori mihi & ægritudini est, quod istiusmodi animalia spurca, atq; probra, nomen usurpent sanctissimum & PHILOSOPHI apellentur. Majores autem mei Athenienses, nomina sexcentum fortissimorum, Hermodij & Aristegytonis, qui libertatis recuperandæ gratia, Hippiam Tyrannum interficere adorsi erant, ne unquam servis uideri liceret, decreto publico sanxerunt; quoniam nefas ducerent, nomina libertati patriæ devota, servili contagio pollui. Cur ergò nos patimur, nomen PHILOSOPHI illustrissimum, in hominibus deterrimis exsordescere?*)

Lib. de spectac. Ep. 1.

L. 2. Ait. c. 10. & 14.

Hom. 13. in Acta.

Lib. de anima c. 20. Epist. 34.

L. 9. C. 2.

435. Advertant hæc Confratres.

Justior per omnem modum sit concitatio, expostulantis de eo, qui se *specialem Filium & Fratrem DEIPARÆ* dicit: Cum tantopere desciscat ab ea appellatione. Quid enim? *Matrem totius sanctimoniæ*, audes *Matrem* dicere, inquinatus ipse & spurcus, ac illuvie indecora dehonestatus? *Matrem lucis ac vitæ*, audio à Patribus appellari MARIAM. Quomodo filius tenebrarum, & hoc titulo mortis filius, sustineat sanctum ac splendens *Filij MARIÆ* nomen,

conta-

contaminare? Arguebat in persona juvenis exlegis ad squalorem & miseriam deducti, peccatorem à DEO aversum S. Augustinus; exprobrans quod secus se haberet quàm *Filium DEI* deceret, assumpta adversus eum parabola; *Filius Senatoris es, quid tibi cum hoc pædore ac sordibus?* Dixeris meritò in re nostra, ad Sodalem malè respodentem magno nomini, *Filius MARIÆ es, Frater DEIPARÆ es*; cur adeò sanctum nomen dehonestas? cur vas contumeliæ, refertum omni immunditia, jactare sustines adeò arctam cum Matre purissima & nitentissima necessitudinem?

DEUS meliora. Filij matrizant potiùs, quia mores sequuntur uterum; quod argumento est, liberos non in corpore tantùm matrizare, ut malè restrinxit Joannes Faber: sed etiam in animo, cujus mores solent corporis dispositioni respondere, ut integra lucubratione monstravit Galenus. Undè quia à Matre est major pars materiæ, è qua corpus compingitur, rectè dictum est filios matrizare; hoc est matrem referre moribus. Nec abnuunt, qui indistinctè ac conjunctim de utroque parente loquentes dicunt, liberos moribus parentes exprimere. In quam rem plenissimè disserunt Tiraquellus, Chassanæus, & Sanchez. Itaque referenda est moribus, ac virtutibus, quàm Matrem specialem dicere gaudes. Hoc quid est ac quantùm? Gregorius Nyssenus præcellenti disputatione, confirmat appellationem *Christiani à Christo* derivatam: nec aliud revera resonantem, quàm *Christi Filium* ex lavacri utero, injicere Christiano necessitatem repræsentandi in seipso omnes Christi titulos: eosq; cum proportione, & quantùm puro homini fas est, suos faciendi. Hoc Nyssenus exponit longa enumeratione titulorum Christi Christiano accommodata.

Institut. de nup.

L. 7. Con. à n. 2.

In Catal. glor. mund. *part. II. Considerat. 25. in dec. cap. 17. num. 7.*

IDEM convenientissimè dixerim, de nomine *Filij & Fratris MARIÆ specialis*. Fuit illa Christi DEI Mater. Et tu enitere, ut multos *Christos* (retineo Nazianzeni vocem) prolem sanctam atque divinam, verbo & exemplo profundas. Fuit illa nitentissima & sanctissima. Et tu hunc nitorem & corporis simul ac animæ puritatem exquisitam, veluti sanctum parelium repræsenta. Esto compendiosa demonstratio morum maternorum; quàm esse germanam filij notionem, ex Nazianzeno habetur.

436.

Carm. ad Nicobul. & Orat. 42. ubi Nicetas.

Nec dubitavit Nicetas, filium *Parentis rationem* ac *definitionem*

appellare. Sic jure *Filius* audies MARIÆ, & quidem *specialis*; si omnes in te MARIÆ virtutes, specialiter eluceſcant; ſi CHRISTO, naturali ac proprio MARIÆ Filio, quàm maximè conformis fieri ſatagas. Nam, ut nemo unquam ad Chriſtum proximiùs accedit, quàm B. Virgo: ſic quisquis ſe Chriſto propiorem ſiſtet, imitatione ac expreſſione virtutum, Matri communi fiet conſimilis; pro nexu quem inter ſe habent, quæ cum tertio devinciuntur. Ad hunc modum per *Sichem*, & *vallem illuſtrem*, pertingitur ad *Bethel* cum Abrahamo. Quod ſcitè, cum Giſelberto, accommodare ad hoc negotium poſſumus. Nam *Sichem* humerum ſonat à quo tegendo, *ſupulare* dictum eſt. Quæ autem *Vallis illuſtrior*, quàm omnimoda Sanctitas, & concluſæ hac appellatione virtutes? Indè ad *Domum* DEI: (id enim ſonat Bethel) ad *locum Tabernaculi admirabilis*, pervenitur expeditè ac ſecurè, eius ſe fratrem & filium in veritate profitendo, quæ ancillam ſe vocavit cum Mater eſſet; & cum Pſalte dicendo:

Cap. 7. alterc. pag. 37.

Pſal. 115.

O Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus,
& filius Ancillæ tuæ.

PARS

PARS OCTAVA,

De Carmelo- Partheniæ Confraternitatis erectione, Sodalium admissione, sacri Scapularis benedictione atq; elargitione, forma, colore, gestandiq; modo, &c,

CAPUT I.

Bulla CLEMENTIS VIII. de erectionibus Confraternitatum, & communicationibus Privilegiorum, Indulgentiarum, aliarumq; spiritualium gratiarum &c. cum necessarijs ad illam Scholijs, atq; observationibus.

CUM CLEMENS VIII. complura decreverit in Bulla, *Quæcunq; á Sede Apostolica.* quæ est apud Cherubinum inter alias ejusdem Pontificis 115. pro universis Confraternitatibus, quæ omnia, aut ad formam eas instituendi, aut ad modum, methodumque administrandi, tum in spiritualibus, tum in temporalibus pertinent, priusquam de nostri Carmelo-parthenij Sodalitij erectione, Sodalium receptione, cæterisq; eiusmodi differere incipiamus, iuvat ipsum Diploma CLEMENTIS cum quibusdam in illud Scholijs ac observationibus hic adponere & præmittere, tanquam fundamentum eorum, quæ circa hæc dicturi sumus. 437.

BULLÆ CLEMENTIS VIII.
Publicata Romæ 24. Decembris an. 1604.

Super modo & forma per quoscunq; Regulares Ordines, Religiones, Instituta, seu Archiconfraternitates, & Congregationes sæculares, tam Vrbis, quàm aliarum Civitatum, & locorum, in erectionibus, & aggregationibus Confraternitatum, & Congregationum, & Communicationibus Privilegiorum, Indulgentiarum, Facultatum, aliarumq; spiritualium gratiarum, & Indultorum, eisdem Confraternitatibus, & Congregationibus faciendis, imposterum observandis.

CLEMENS PAPA VIII. ad perpetuam rei memoriam.

438. Proœmiũ. Complures Pontifices diversis Regularibus Ordinibus concessêre privilegium erigendi Cõfraternitates cum facultate indulgentias &c. communicandi, nulla præscripta forma qua id fieret, ideoq; pravæ inde consuetudines irrepserunt.

Quæcumque à Sede Apostolica ad promovendam Christi fidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnaque prudentia & cautione sancita & decreta sint, tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute solicitus progressu temporis animadvertit sensim aliquos abusus in eisdem statuis & decretis observandis provenire; debet pro sui Pastoralis Officij munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio providere.

§. 1. *Cum itaque à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & forsan etiam à Nobis, nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & Institutis, ac etiam Christi fidelium sæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diversarum nationum, nominum, & institutorum tam in Alma Vrbe nostra, quàm in aliis Civitatibus, & locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi in eorum, & alijs Ecclesiis & Collegijs, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates & Congregationes in eadem Vrbe, & in alijs locis existentes, eisque Privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta sibi concessa respectivè communicandi, attributa fuerit; ac nulla certa forma vel ratio præscripta sit, quæ in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus & communicationibus faciendis servari debeat; propterea sive negligentia superiorum, Ordinum, Religionum, & Institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum & Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium & communicantium, quæ Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non servant formam in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus servari debitam, neque præscribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta consequi debeant; seu ipsarum Confraternitatum & Congregationum incuria, qua non inquirunt ea, qua præstare oporteat, ut illa consequantur, nonnulla pravæ consuetudines irrepserint, multaque incommoda inde provenerunt.*

439. Hic ergò Pontif. decernit,

§. 2. *Quibus Nos pro commisso nobis Apostolicæ solicitudinis officio, paternaque ergà omnes Christi fideles charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuò valitura, decernimus atque statuimus, ut imposterùm tam hujus Almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum Civitatum, & locorum totius Christiani Orbis Regionum*

tarium Ordinum, Religionum, & Institutorum, quibus in eorum, & quibuscunq; aliis Ecclesiis, & Collegijs Confraternitates sæcularium erigendi & instituendi facultas concessa est; necnon etiam Archiconfraternitatum, & Congregationum cujuscunque nationis, nominis, & instituti illa sint, & in quibuscunque Ecclesiis, Domibus & Oratorijs, tam sæcularium, quàm, ut præfertur, quorumcunque etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Institutorum Regularium, quavis tam Ordinaria, quàm Apostolica auctoritate erecta ac instituta existant, seu alias quovis modo introducta reperiantur, quibus alias Confraternitates & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi, & communicandi potestas à Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris, vel à nobis, & Apostolica sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerij, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, & alij Officiales, seu superiores quovis modo nuncupati; Regularium siquidem Ordinum, Religionum, & institutorum unam tantum Confraternitatem & Congregationem, de consensu tamen Ordinarij loci, & cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis & Congregationis erigendæ, & instituendæ pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, & quibuscunque alijs Ecclesiis, & Collegijs erigere, & instituere valeant.

quòd Officiales Ordinum Regularium unam tantummodo Confraternitatem singulis in locis de consensu Ordinarij instituere valeant.

§. 3. Caterarum verò Archiconfraternitatum & Congregationum in singulis Civitatibus, Oppidis, vel locis unam etiam Confraternitatem, & Congregationem duntaxat, quæ Apostolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi ejusdem, vel alterius nationis, nominis, & instituti aggregata sit, prævio similiter loci Ordinarij consensu, & cum ejus literis testimonialibus, quibus ejusdem Confraternitatis & Congregationis aggregandæ institutum, pietas, & Christiana charitatis officia, quæ exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adjungere & aggregare possint.

440. Sæculariũ Archiconfraternitates, vel Cõgregat. itidem unã solùm Confratern. singulis in locis possunt aggregare.

§. 4. Huic verò Confraternitati & Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggreganda, ea tantùm privilegia, indulgentias, facultates, aliasquè spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim & in specie, non autem, quæ per extensionem, vel comunicationem sibi quovis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar sed expresse, & in specie, communicare valeant.

Communicare illis possunt indulgentias & gratias nominatim eis concessas, & nõ alias.

§. 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & Institutorum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum & Congregationum aggregantium edita, Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt impertiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint; quæ nihilominus ejusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.

441.

§. 6. Insuper volumus, & ordinamus, ut prædicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, necnon Archiconfraternitates,

Certâ Formulâ erigendi & indulgentias cõmunicandi ab hoc Pont. factâ servari jubet.

Religiones & societat. aggregãt. dictis indulgentijs & gratijs eis cõmunicatis uti possunt, prævia Ordinarij recognitione.

Eleemosynas Officiales Ordinũ & Confraternitatũ excipiant, juxta modũ ab Ordinario præscribẽdũ, easq; in pios usy exponant.

442. Confessarij vigore privilegiorũ eligẽdi, si sæculares ab Or-

& Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, & communicandi formulam à nobis nouissimè approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias & indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus aggregantibus nominatim, & expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, ut suprà, concessa, ipsis Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare possint.

§. 7. *Quibus Confraternitates & Congregationes, ejusdem duxtaxat nationis & nominis, Ordinis, Religionis, Instituti, Archiconfraternitatis & Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregata, quam imposterum aggregandæ utantur, potiantur & gaudeant: ita ut dictarum Confraternitatum & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, & Officiales, & alij supradicti, privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta hujusmodi, prævia tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de ejusdem Ecclesia Capitulo, illa juxta sacri Concilij Trident. decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.*

§. 8. *Quibus etiam Ministris, Officialibus, & alijs prædictis Eleemosynas, & alia oblata Christiana charitatis subsidia, juxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum Confraternitatum & Congregationum publicè ad hoc exponi consueverant, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia ac communicantia, seu Archiconfraternitates & Congregationes aggregantes, tam Almæ Vrbis nostræ, quam aliarum Civitatum & locorum quorumcunque, juxta modum à Vicario Vrbis, & ab Ordinarijs locorum respectivè præscribendum, observare teneantur. Elemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium & communicantium, ac Archiconfraternitatum & Congregationum erigendarum, instituendarum & aggregendarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarij nostri in Vrbe, necnon Ordinariorum locorum respectivè, fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant cælestes Ecclesiæ thesauros, non quæstus, aut alicujus lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitanda gratia, ex Apostolicæ Sedis benignitate, Christi fidelibus aperiri.*

§. 9. *Præterea volumus, ut Confessarij, qui vigore privilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt, & poterunt Sæculares, scilicet, in alma Vrbe à prædicto nostro Vicario; extra Vrbem verò à locorum Ordinarijs: Regulares autem non solum à prædicto nostro, & à locorum Ordinarijs respectivè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint: utque Confratres confitentes à criminibus, casibus & censuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, & sacris Concilij Tri-*

dentin

dentini decretis, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam & tenorem duntaxat absolvere valeant.

Decernimus insuper, ut ijdem Confessarij prædictos Confratres cujuscunque gradus, status, conditionis & præeminentiæ, etiamsi speciali nota digna fuerint, à casibus contentis in literis, quæ die Cœnæ Domini legi consueverunt, necnon violationis immunitatis & libertatis Ecclesiastica, & clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria & urgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiamsi causa, & licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint; necnon violentæ manus injectionis in Clericum, & singularu certaminis seu duelli; ac ab alijs etiam casibus, tam à Nobis, quàm à prædicto nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinarijs respectivè reservatis, & pro tempore reservandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata, absolvere, & super irregularitatibus tam ex aliquo defectu provenientibus, quàm occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare, prætextu dictorum privilegiorum nullo modo possint.

dinario, si verò Regulares sint, ab Ordinario, & eorum Superiore approbari debent. A quibus casibus illi absolvere queant Cõfratres, hic exprimitur

443. Confraternitates jã erectæ renovandæ sunt juxta formã hic traditam, & intra tẽpus hic adsignatum.

§. 10. *Demum statuimus, & pariter ordinamus, ut Confraternitates & Congregationes ubivis locorum, quavis authoritate, ut præfertur, erecta & institutæ, & quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac cuicunque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregata, ab eisdem respectivè Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus & Congregationibus novas erectionum, institutionum, communicationum & aggregationum literas, juxta formam à nobis novissimè approbatam infrà annum si in Europa sint, & si extrà Europam fuerint, infrà biennium à die publicationis præsentium in Romana Curia faciendæ computandos, impetrare teneantur: alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones & quæcunque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessæ, nullius sint roboris & momenti, ac revocata & abolita censeantur eo ipso.*

Literæ institutionis gratis expediendæ.

§. 11. *Erectionum autem, institutionum, communicationum, & aggregationum, tam hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum litera, ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus gratis omnino, ac nulla prorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant.*

Officiales contra venientes pœnã privationis officiorum incurrunt & concessiones nullæ sint.

§. 12. *Quod si Ministri aliqui, superiores, vel Officiales, quocunque nomine nuncupati, Ordinum, Religionum, Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum & Confraternitatum hujusmodi, quavis auctoritate, vel privilegio, & officio fungantur, & præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, erectiones, institutiones & communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumq; gratiarum, & indultorum, aliorumq; præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu renovandæ nullius sint roboris, & momenti, & quilibet eorundem Ministrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum privationis officiorum, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda pœnam, quæ ab alio, quàm à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso.*

§. 13. De-

444. Decretum irritans.

§. 13. *Decernentes præsentes Literas perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, & ab omnibus & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicq; nostræ mentis, & intentionis existere: & ita, & non aliter per quoscunq; Judices &c.*

§. 14. *Non obstantibus, quibuscùs Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, &c.*

Clausul. derog.

§. 15. *Vt autem præsentes Literæ ad omnium, quos concernunt, notitiam facilius deveniant, volumus illas ad valuas Basilicarum S. Ioan. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atq; ijs mdè amotis, earumdem exempla, etiam impressa ibi affixa relinqui, factaq; publicatione hujusmodi, omnes Regulares Ordines, Religiones, institutas & Archiconfraternitates, Congregationes & Confraternitates Sæcularium, quæ in Vrbe quidè post mensem, quæ verò in Europa, post decè menses; quæ demum extra Europam fuerint, post octodecim menses, à die publicationis hujusmodi computandos, perinde afficere & arctare, ac si earum cuilibet nominatim insinuatæ fuissent.*

Notificatio facienda per Ordinarios.

§. 16. *Et nihilominùs, ut ipsæ præsentes Literæ notoriæ fiant, magisq; omnibus innotescant, universis & singulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, has nostras Literas, postquàm earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit, in suis Cathedralibus, & majoribus respectivè Ecclesijs Civitatum, Oppidorum, & locorum quorumcumq; eorum Diœcesium, dum in eas major populi multitudo ad Divina convenerit, solemniter publicent, & publicari auctoritate nostra mandent, ac faciant.*

§. 17. *Cæterùm quia difficilè foret easdem præsentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 7. Decemb. 1604. Pontificatus nostri anno 13.*

Scholia atque Observationes in præfatam CLEMENTIS Bullam.

445. Quem in finem præsertim edita sit hæc Constitutio?

Hæc Constitutio edita est pro reformatione erectionis Confraternitatum, & aggregationis earundem, ut omnibus cordi & curæ sit præscripta erectionis, & aggregationis forma: atque etiam jam erectæ, licet canonicè, ad hanc formam renovandæ sunt, ut ex ipsa constat Constitutione. Et cum forma præscripta cùm decreto irritante conjuncta sit, ideò, ea non servata, erectio, & aggregatio nulla erit, neque erunt veræ Confraternitates, nec participabunt privilegia, gratias & indulgentias &c. per summos Pontifices concessas. Et nisi cuncta, quæ in hac Constitutione præcipiuntur & decernuntur observata fuerint, ac concurrant, deficiet forma præscripta.

scripta. Hoc autem de ijs solùm intelligendum est, quæ concernunt substantiam erectionis, & aggregationis. Pro pleniori horum intelligentia complura inferiùs dicemus, quæ attentiùs perpendenda sunt.

Et quos concernat & afficiat?

Constitutio hæc afficit omnes, ita ut (juxta complurium sententiã) nulla prorsus Confraternitas subsistere possit, nisi servando præscriptam formam. Proindè cum dubitaretur, an Canonici & Capitulum S. Joannis Lateranensis de Urbe sub hac Constitutione comprehenderentur? comprehendi declaravit PAULUS V. in sua Constitut. incipiente, *Quæ salubriter.* edita 1610. ut observant Cherubinus in *Compendio Bullar. Schol.* 2. *ad Constitutionem* 115. CLEM. VIII. & Lezana *Tom.* 2. *quæst. Regul. Cap.* 15. *num.* 7.

446. Una duntaxat Confraternitas singulis in locis erigenda, & quomodo hoc intelligendum? Quinã Regulares possint Cõfraternitates antiquas confirmare, & novas instituere & quomodo?

QUOD autem spectat ad formam erectionis, & aggregationis, unam tantùm in singulis locis possunt erigere, aut aggregare, qui habent facultatem aggregandi: & ideò si plures erigerentur, posteriori loco erectæ, essent nullæ, sicut etiam aggregatæ. Hoc tamen procedit de futuro, non autem de jam canonicè erectis; nam quamvis sint plures in eodem loco ejusdem nominis, & instituti, possunt omnes renovari juxta formam præfatæ Constitutionis ex declaratione S. Congregationis. Hoc verò solùm procedit quoad erectas in Ecclesijs Regularium, qui saltem sint duodecim numero, ut observat etiam Lezana *loc. cit. num.* 8. Imò in eadem declaratione habetur, quod Regulares, habentes facultatem erigendi Confraternitates, possint & antiquas confirmare, & novas instituere, quamvis loca ipsarum non obtineant illam distantiam, quæ præscribitur in literis Apostolicis, accedente tamen consensu Ordinarij, qui in scriptis est exhibendus, priusquàm dispensetur super distantia, & non aliter.

447. Requiritur ad hæc consensus Ordinarij.

RURSUS pro forma institutionis novarum Confraternitatum, aut confirmationis antiquarum, requiritur consensus Ordinarij, ut constat ex illis verbis: (*Et cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis erigendæ, & instituendæ pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendetur.*) Atque idem consensus requiritur etiam pro aggregatione, ut *ibid.* habet Pontifex, & notant Gavant. in *Manuali*, verbo *Confraternitas*, *num.* 3. Lezana *loc. cit. num.* 19. Cespedes de *Exempt. Regul. Cap.* 24 *dub.* 376. *num.* 4. *& sequenti.* Ex declaratione

ratione tamen S. Congreg. de qua *supra*, poterant Regulares, ubi sunt duodecim de familia, confirmare absque consensu Ordinarij canonicè erectas in suis Ecclesijs ante promulgationem Constitutionis CLEMENTIS VIII. talisque facultas duravit per annum à promulgatione pro Europa, & per biennium extra Europam. Verum, quæ hic diximus de consensu Ordinarij ad erectionem, aut confirmationem Confraternitatum requisito, intelligunt nonnulli non de proprijs Regularium Ecclesijs, sed de alienis, seu Sæcularium, de quorum numero est Hyacinthus Donatus SS. Theolog. Magist. & V. I. D. Ord. Prædic. qui *Tom. 4. Additionum ad Praxim resolutoriam totius moral. Tract. 8.* inter alia hæc habet: *Oportet cum Lezana* loc. citato num. 40. *advertere, quod* PAVLVS V. *in sua Bulla incipiente* Cum certas. *edita 30. die Octobris an. 1606. concessit Reverendissimo P. Generali Carmelitarum, & eo absente Vicario Generali, facultatem instituendi Confraternitates ad præscriptum, dictæ Constitutionis* CLEMENT. VIII. *absq; consensu Ordinarij: qua gratia, ob communicationem privilegiorum; uti possunt omnes alij Ordinum Generales juxta dictam declarationem sacræ Congregationis &c.* Hæc ille: qui etiam ad hoc confirmandum adducit Decretum sacr. Congregationis ab illustriss. & Reverendiss. Card. Arigon. ad illustriss. Archiepiscopum Bononiens. transmissum, quod nos supra *IV. Part. Cap. 3.* produximus. Videndus quoque idem Author *quæst. 9. n. 2.*

448. Quænam privilegia, indulgentias &c. communicari queant?

INSUPER pro forma institutionis & aggregationis requiritur, quod ea tantùm privilegia, indulgentiæ, aliæque gratiæ, & indulta, quæ in specie concessa sunt Ordini, Religioni, Archiconfraternitati, & Confraternitati erigenti, seu aggreganti *in specie & nominatim*, communicentur; non autem quæ instituens, aut aggregans participat *per communicationem, seu extensionem, aut sub generali forma verborum, seu ad instar.* Circa quod Lezana *Tom. 2. quæst. Regular. cap. 15. num. 11.* dubitat: An Institutores & Aggregatores Confraternitatum possint frui privilegijs, gratijs, & indultis non sibi specialiter & nominatim concessis, sed per communicationem, extensionem &c. dum non possunt alijs communicare. Et affirmativè resolvit, licet posteà aliorum judicio relinquat, quia Pontifex non ea abrogat, & cassat, sed prohibet tantùm communicare. Mihi tamen videtur procedendum cum distinctione. Si enim Confraternitas habet talia privilegia, gratias, indulta, &c. sibi communicata per-

Utrum ipsi institutores Confraternitatum gaudeant privilegijs & indulgen-

aggregationem ad aliam, nequaquam poterit frui, sed habenda sunt pro abrogatis; quia cum Pontifex aggregationes omnes jam factas abroget, & cassat, & similiter etiam communicationes privilegiorum &c. & jubeat renovari, seu confirmari, juxta formam suæ Constitutionis, non possunt habere alia privilegia, & indulta &c. nisi quæ secundùm dictam Constitutionem communicari possunt. Si verò non habeat communicata ex vi aggregationis, poterit uti, & frui; quia ex vi præsentis Constitutionis prohibetur tantùm communicatio respectu aliorum, non verò usus ipsorum habentibus eum ex comunicatione summorum Pontificum.

tijs non sibi nominatim concessis?

DENIQVE pro forma requiritur, quod statuta Confraternitatum tam instituendarum, quàm aggregandarum, quæ ipsis exhibentur, dum eriguntur, aut aggregantur, examinentur, atq; approbentur ab Episcopo Diœcesano, & semper illius moderationi ac correctioni subsint. Circa quod notat Lezana *loc. cit. num.* 12. debere intelligi de primævis institutis, quæ ipsis exhibentur, dum instituuntur, aut aggregantur: ac proindè poterunt sine consensu, seu approbatione Episcopi, successu temporis aliquid de novo statuere quod conferat ad bonum regimen, prout occasio tulerit. Hæc tamen, quæ de novo statuentur, subsunt moderationi & correctioni Episcopi, quia si principale institutum subest, à fortiori subsunt etiam, quæ sunt accessoria.

449. Statuta Confraternitatũ erigendarum examinanda & approbanda sunt abOrdinario. De quibus statutis hoc sit intelligẽdũ?

Hæc sunt, quæ statuit Pontifex servanda pro forma erectionis, & aggregationis Confraternitatum. Nonnulla autem alia decernit Pontifex, quæ non pertinent ad formam. Et PRIMO, quod non possint promulgare privilegia, indulta, gratias, indulgentias, quæ ab instituentibus, aut aggregantibus communicantur, nisi priùs recognoscantur ab Ordinariis, adhibitis duobus de Capitulo, & interponatur decretum pro promulgatione. Circà hoc notat idem Lezana *num.* 14. Quod hoc non est necessarium, ut ipsi Confratres uti possint privilegiis, gratiis, indulgentiis sibi communicatis, sed ut possint promulgari. Ex quo deducendum est, quod neque uti possint absquè prædicto decreto, privilegiis, gratiis &c. quorum usus prærequirit promulgationem. SECUNDO decernit: Quod possint quidem Confraternitates eleemosinas colligere, sed juxta formam præscribendam ab Ordinariis, ita tamen, ut removeantur mensæ,

450. Privilegia ac indulgentiæ &c. promulgandæ non sunt, nisi primum recognitæ ab Ordinario.

Confraternitatibus eleemosynas

Colligere licet juxta formam præscribendam ab Ordinariis.

pelves, & capsæ, quæ in Ecclesiis & Oratoriis Confraternitatum, publicè ad hoc exponi consueverunt. Ex quo deducitur, quod Regulares habentes privilegium colligendi eleemosynas inconsulto Episcopo non possunt tale privilegium communicare Confraternitatibus, quas erigunt, ut notant Leo 4. *part. Thesauri Cap.* 2. *de Confirm. num.* 147. Cesped. de *Exemptione Regular. Capit.* 24. *dub.* 376. n. 15. Tum, quia in præsenti Constitutione requirit Pontifex, quod solum possint colligere eleemosynas, juxta formam ab Ordinario præscriptam. Tum, quia tale privilegium non est cæteris communicabile, ut notat Navar. *Consil.* 13. *num.* 2. *de temp. ordin. in* 2. *edit.* atque ideo in dicta Constitutione expresse statuitur, quod forma præscribenda ab Ordinario servetur ab institutis Confraternitatibus per Ordines & Religiones. Hæ autem eleemosynæ per Confraternitates collectæ, expendendæ sunt in reparationem vel ornatum Ecclesiarum, aut in alios pios usus, arbitro Ordinarij. Ecclesiæ autem, quæ participare possunt fructum harum eleemosynarum, sunt omnes, quæ quocunque modo spectant ad easdem Confraternitates; nempe Ecclesiæ Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium & cõmunicantium, atq; Archiconfraternitatum & Congregationum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient. Unde cum possint expendi etiam in alios pios usus, poterunt etiam expendi in Oratorij, seu Ecclesiæ Confraternitatis usus; nempe in cereos, suppellectilem sacram, & alia hujusmodi.

Et qualiter hæ sint expendendæ?

451.

In quibus casibus circa hæc nõ requiratur arbitrium Ordinarij?

QVÆRES, An debeant expendi semper arbitrio Ordinarij? *Resp.* Quod quando expenduntur in ornatum, aut reparationem Ecclesiarum, de quibus in *num. præcedenti*, non requiritur arbitrium, seu consensus Ordinarij, quia jam Pontifex decrevit in hac Constitutione, quod ita expendantur. Quando autem essent expendendæ in alios pios usus, quia Pontifex non determinavit hos pios usus, subintrat arbitrium Episcopi ad eos determinandos, seu determinatos per Confratres approbandos. Dictio enim *seu*, tanquam alternativa disiungit partes dispositionis *L. si quis ita legaverit. ff. de a. & arg. leg.* & notant Bar. *in L. si is qui §. utrum, num.* 1. *ff. de reb. dub.* Socin. *ibid.* Franc. *in Cap.* Licet *num.* 3. *de offic. vicar. in* 6. ac promiscuè cadit inter diversa, per Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancel. glos.* 48. *num.* 19. Unde

Undè cum clausula *arbitrio Episcopi* apponatur alteri tantùm parti dispositionis, non afficiet aliam partem.

452. In Confessarijs eligendis à Confratribus, qualis approbatio requiratur?

TERTIO decernit: Quod Confessarij eligendi à Confratribus, si sint sæculares debeant esse approbati ab Ordinario loci: si verò sint Regulares, non solùm approbari debeant ab Ordinario loci, sed etiam à suis Superioribus. Verùm de hoc jam egimus uberiùs supra *parte V. Cap.* 2. solùm ambigere quis poterit.

An sufficiat quod sint approbati generaliter pro sæcularibus: an verò requiratur specialis approbatio pro Confraternitatibus?

Resp. Sufficere approbationem in communi, aut in genere pro Sæcularibus, quia in Constitutione Pontificia requiritur indeterminatè approbatio; ad hanc autem conditionem requisitam verificandam, sufficit, si pro Sæcularibus approbati sint: mens autem Pontificis fuit providere, ne passim quicunque Sacerdotes eligerentur, sed ij tantùm, quorum idoneitas esset approbata. Ex quo fit, quod si eligerent Regularem approbatum quidem ab Ordinario, sed non à suo Superiore, defectu qualitatis requisitæ electio esset nulla, & talis Confessarius non posset exercere illas facultates, quas privilegia Confraternitatis concedunt.

453. A quibus casibus hi Confessarij possint aut non possint absolvere?

QVARTO revocat facultates absolvendi dictos Confratres à reservatis & reservandis, tam Apostolicæ Sedi, quàm Ordinario loci, & à quacunque excommunicatione ab homine lata, & dispensandi super quacunque irregularitate, vel ex defectu, vel ex delicto proveniente. Undè quamvis expressè non revocet privilegia, revocat tamen implicitè, quatenus prohibet posse absolvere à quibuscunque reservatis & reservandis, & ab excommunicatione ab homine, & dispensandi super quacunque irregularitate. Undè quamvis concedat usum privilegiorum, quatenus sint in usu, & Concilij Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum Constitutionibus non adversentur, nec revocata sint, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa: revera tamen ita posteà per prohibitionem restringere videtur, ut ferè extinguere videatur. Hanc Constitutionis Clementinæ clausulam discutiendo Lezana *Tom.* 2. *quæst. Regular. Cap.* 15. *num.* 18. quærit, quandò privilegia dicantur adversari decretis Concilij Tridentini? Et respondet cum Rodriquez *Tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 8. *artic.* 6. Portel. in *dub. Regul.* verbo *Privilegij confirmatio num.*

Privilegiorum usus quatenus ipsis permittatur?

Quando privilegia dicantur adversari decretis Concilij Tridentini?

tio, num. 6. tunc dici adversari, quandò decreta Concilij habent annexam revocationem privilegiorum, quæ faciunt in contrarium; secus autem quandò illam non habent annexam. Hoc etiam videtur approbare Cespedes de *Exempt. Regul. Cap.* 24 *dub.* 376. *num.* 11. Quod quidem probabile videtur. Quia cum aliquandò Concilium revocet privilegia suo decreto contraria, aliquandò verò non revocet, videtur velle adhuc privilegia subsistere, quia si voluisset non subsistere, expressisset; *L. unica §. sin autem C. de caduc. tollen. cap. audientiam de decimis.* Idem etiam tenent Miranda *Tom.* 2. *Manual. quæst.* 42. *ar* 3. vers. *sed alij.* Hieronym. Rodriquez in *Compend. resolut. q.* 6. *num.* 14. Tamburin. de *Jure Abbat. Tom.* 1. *distinct.* 18. *quæst.* 6. *dub.* 1. *num.* 3.

454. De quibus decretis hic Pontifex loquatur?

Alij verò intelligi volunt non solùm de decretis, quæ habent annexam revocationem privilegiorum, sed etiam de cæteris, quibus contrariantur privilegia, quamvis ea non revocent. Ita Petrus *Tom.* 2. *de privileg. ad Constit.* 1. GREGOR. XIII. *num.* 3. in fine. Merol. *Tom.* 3. *Theol. moral. disp.* 6. *c.* 5. *dub.* 1. *num.* 20. & 23. Donat. in *praxi Reg. part.* 1. *Tract.* 11. *quæst.* 15. *num.* 4. Quia est quid diversum, privilegia esse revocata, & esse contraria; ac proindè CLEMENS VIII. in confirmatione privilegiorum S. Benedicti Vallisoleti posuit Clausulam, *dummodo non sint revocata à Concilio, ac Concilio Tridentino non sint contraria.* Tum, quia Concilium Trident. *c.* 22. *de Regular sess.* 25. statuit: *Hæc omnia, & singula superioribus Decretis contenta, observari sancta Synodus præcipit, in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs,* &c. & ponit clausulam derogatoriam, *Non obstantibus eorum omnium & singulorum Privilegijs, sub quibuscunq; formulis verborum conceptis.* Verùm hæc revocatio se extēdit solùm ad privilegia contraria Decretis editis in illa *Sessione de Regular.* Fortiùs urget: quod PIUS IV. in Bulla confirmationis Concilij revocat motu proprio, & ex certa scientia omnia & singula privilegia, exemptiones, facultates, Mare magnum &c. quatenus contrariantur Decretis & Statutis Concilij.

Verùm ad hæc cum oppositæ sententiæ Doctoribus respondendum est, quod quandò non sunt revocata, non adversantur Concilio, quia Concilium non extendit sua Decretà ad Privilegiatos, quia si extenderet, revocaret privilegia, sicut revocat, quando eos comprehendere. Undè cum Decreta non sint ita universalia, ut omnes

ut omnes complectantur, privilegia non sunt ipsi contraria, quia ut essent contraria, deberent versari etiam circa personas privilegiatas. Et hoc quoque locum habere potest, quando additur illa Clausula, *dummodo non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus contineantur*, quia licet hæc Clausula sufficiens esset ad excludenda privilegia revocata per Concilium Tridentinum, atque adeò quæ sunt ipsi contraria, juxta modo dicta; attamen ponitur clausula, *dummodo Concilij Trident. Decretis* &c. ut expressè excludantur privilegia per ipsum revocata, &c. videantur, quæ circà hoc etiam diximus, *supra Part. V. Cap. 5.*

455. Literæ erectionis Cõfratern. gratis omninò expediendæ, & quomodo hoc intelligendum?

Quintò præcipit Pontifex, quod pro literis institutionis, seu aggregationis nihil recipiatur, sed gratis omninò expediantur. Circa quod dubitare quis poterit, an Ministri inferiores, qui de ordine Superiorum literas scribunt, &c. possint aliquod recipere sponte & liberaliter exhibitum? Videtur enim negativè respondendum, quia Pontifex prohibet ne recipiatur à sponte dantibus. Verùm probabile quoque est, quod id non prohibeatur, quia Pontifex loquitur de mercede sponte oblata; ut constat ex illis verbis, *Ac ulla prorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta*; undè solùm prohibet id, quod facit, quod expeditio literarum non sit gratuita: non autem prohibet ostensionem aliquam liberalitatis post literas expeditas.

456. Quas pœnas incurrant violãtes hanc Constitutionem?

Denique imponit pœnas violantibus hanc suam Constitutionem, nempè Ministris, Superioribus, Officialibus, Ordinum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, privationis officiorum, & inhabilitatis ad ipsa, & alia obtinenda, summo Pontifici reservata, & irritat institutiones, & communicationes gratiarum & privilegiorum. Pro quo advertendum, quod pœna irritationis non habet locum, nisi violetur forma substantialis præscripta à Pontifice, pro institutione & aggregatione Confraternitatum, de qua dictum est supra. Constat enim, quod Pontifex nonnulla præscribit, quæ supponunt jam institutam, aut aggregatam Confraternitatem, nempè circà collectionem eleemosynarum, earundem erogationem &c. undè si hæc violentur, non habebit locum irritatio, quia si Confraternitas sit ritè instituta, aut aggregata, non potest per aliquid superveniens irritari.

CAPUT

CAPUT II.

Adducuntur complura sacræ Congregationis Decreta circa hoc idem argumentum, & satisfit nonnullis circa id quæsitis ac dubitationibus.

457. Officiales à Confratern. quãdo & quomodo eligendi? A quo electio sit cõfirmanda?

PRÆTER supradicta, nonnulla alia decreta sunt à sacra Congregatione pro Confraternitatibus. *Primò*: Quod Officiales quotannis eligi debeant per secreta suffragia. Ità sacra Episcop. Congreg. 18. Julij 1594. ut refert Gavantus in *Manual. verbo* Confraternitas, *num.* 19.

Secundò: Quod talis electio fiat à Confratribus, confirmetur autem ab Episcopo; exceptis Confraternitatibus, quæ sub immediata Regum sunt protectione. Ita sacra Congregatio sub die 11. Augusti. 1617. apud Gavantum *loc. citat. num.* 11. & Barbosam in *Collectan.* verbo *electio.* Pro quo est advertendum, quod nomine Regum non solùm veniunt, qui hoc nomine appellantur, sed etiam cæteri, qui habent auctoritatem Regiam, quales sunt Principes & Respublicæ, quæ regio ritu in suis Legatis excipiuntur à summo Pontifice, sicut est Respublica Veneta.

Officiales nequeunt sibi eligere successores.

Tertiò, prohibentur Officiales eligere sibi successores. Eadem S. Congreg. 24. April. 1585. apud Gavant. *ibid. num.* 13.

458. Confratres in suis Oratorijs nequeunt exponere, aut conservare Eucharistiam sine licentia Ordinarij Quid circa funera & benedictionem ci-

Quartò, prohibentur Confratres exponere Eucharistiam in suis Oratorijs, aut Ecclesijs absque licentia Episcopi per quadraginta horis. Sac. Episcop. Congregatio 20. Augusti. 1601. apud Gavant. in *Manuali*, verbo *Confraternitas*, *num.* 23. Imò nec in ipsis conservare Eucharistiam. Eadem Congreg. 21. Martij 1594. apud Gavant. *loc. citat. num.* 21. Ex causa tamen, & cum licentia Ordinarij conservari poterit. Sac. Congreg. apud Barbosam in *Collect.* Bull. verbo *Confraternitas.*

Quintò: quando contingit in Ecclesia Confraternitatum celebrari funera, debet adesse Parochus, intra cujus Parochiæ fines est Ecclesia, ipseque debet, si vult, cantare missas solemnes. Episcopor. Congreg. 20. Augusti. 1601. Gavantus *ibid. num.* 41. Et cum sunt Ecclesiæ sub gubernio Laicorum, functiones Sacerdotales, nempe benedictio cinerum, candelarum, ramorum, celebratio in Feria V. Cœnæ

Cœnæ Domini &c. pertinent ad Parochum. Ita sacra Rituum Congregat. 18. Maij 1602. Gavantus, *verbo* Parochorum mun. *num.* 21. In his tamen standum est consuetudini. Et cum Parochi debeant hæc exercere in proprijs Ecclesijs, non poterunt exercere in alienis. Undè S. Congregat. apud Barbosam in *Collect. Bullar.* verbo *Confraternitas*, declaravit, quod possint benedicere ramos, aquam, ignem &c.

nerũ, candelarũ &c. observandum?

Confraternit. instituui nequeunt in Monialiũ Ecclesijs.

Sextò, circa institutionem Confraternitatum sac. Episcopor. Congregatio decrevit, quod non possint institui in Ecclesijs Monialium, sub die 6. Novemb. 1595. apud Gavant. *verbo* Monial. *num.* 15. Neq; Regulares instituere possunt Confraternitates cum usu sacrorum sine licentia Ordinarij loci, ut censuit eadem S. Congregat. die 6. Decemb. 1616. apud eundem Gauantum in *Manuali*, *verbo* Confraternitates, *num.* 2.

Neq; à Regular. cum usu sacrorum sine Ordinarij licentia.

Septimò, Quoad Capellanos Confraternitatum decrevit sacra Congregat. quod non possint solemniter celebrare in Ecclesijs Confraternitatum, confessiones audire, & alia Sacramenta ministrare, mortuos sepelire, sine expressa licentia Ordinarij, & Parochi, apud Barbos. in *Collect. Bullar.* verbo *Confraternitas*. nec posse ex suo arbitrio, sine expressa licentia Episcopi, Processiones facere. Non esse tamen prohibendos ab Archipresbyteris Ecclesiarum, ubi sunt fundatæ Confraternitates, ne celebrent in diebus festis earundem Confraternitatum, apud eundem Barbosam, *ibid.* verbo *Capellanus.*

459. Quænam vetita sint Sacellanis Confraternitatũ?

Octavò, Quòad Processiones decrevit Sac. Congreg. apud Barbosam in *Collect. Bullar.* verbo *Confraternitas*. quod possint facere consuetas processiones, quandò non fiunt in Parochiali, aut prima Ecclesia. Sacra verò Rituum Congregat. die 26. Feb. 1628. & Congregat. Episcop. 6. August. 1591. apud Gavantum, *verbo* Processio, *num.* 49. decrevit, quod processiones Confraternitatum, quæ fiunt in Ecclesijs Regularium, non debeant extendi per vias, sed solùm circa muros Regularium. Quod tamen debet intelligi, secluſa consuetudine, aut privilegio, ut benè advertit Lezana *Tom. 2. quæst. Regular. Cap.* 15. *num.* 25. Ubi etiam animadvertit idem Author, quod non obstante hoc decreto, soleat Romæ celeberrima Confraternitas B. MARIÆ de monte Carmelo, in nostro S. Martini de montibus Cœnobio erecta, in processione fieri solita

Quid observandum circa Processiones, maximè quoad Ecclesias Regularium?

Confraternitates cogi nequeũt ad Processiones, sed solùm invitari, & quem in illis locũ teneant?

mense Julij, procedere ex jam dicta S. Martini Ecclesia usque ad Basilicam S. MARIÆ Majoris, per omnes intermedias, vicinasque plateas: idemq; fit alibi, & in pluribus locis, ab eadem Confraternitate, haud dubiè ex speciali concessione, & longæva consuetudine.

Nonò, Non possunt Confraternitates cogi, ut accedant ad processiones, etiam ab Episcopo; sed solùm invitari possunt, ut censuit S. Congregatio Concilij, apud Quarantam in *Sum. Bullar.* verbo *præcedentia.* & Gavant. *verbo* processio. *num.* 13. & observant Leo *Part.* 1. *Thesauri. Cap.* 8. *num.* 18. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. & legat.* 77. *num.* 24. In processionibus autem incedunt Confraternitates ante omnes Regulares, ut refert decisum Barbosa in Collect. *Bullar.* verbo *Confraternitas.*

460. Inter ipsas Confraternitates, quæ præcedere debeant?

Decimò, Quoad præcedentiam in Processionibus inter easdẽ Confraternitates, manutenendæ sunt illæ, quæ sunt in possessione. Quod si de hoc non constet, illæ præcedere debent, quæ prius saccis usæ sunt. Ita decrevit GREGORIUS XIII. in Bulla de præcedentia in processionibus.

Non possunt accedere ad funeralia mortuorũ. *Cap.* 25. *num.* 40.

Vndecimò, Quo ad funeralia: non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter & expressè vocentur, & dum vocatæ associant cadavera, non possunt erigere Crucem. Sic refert decisum à S. Congregat. Barbosa de *potest. Paroch. Cap.* 26. *num.* 40. Non tenentur tamen solvere Parocho quartam funeralem de candelis sibi exhibitis, ut censuit fac. Congreg. Episcop. apud Barbosa de *Paroch.* Excipiuntur tamen Confratres Confraternitatis Rosarij, qui ex speciali Privilegio PIJ V. concesso anno 1569. ut in sua *Constit.* 86. *Tom.* 2. *Bullar.* videre est, erigere possunt propria insignia, cum ad Processionem accedunt, aut ad associanda corpora defunctorum.

Tenentur ad contributionem pro Seminario Cleric. puerorum &c.

Duodecimo, Confraternitates, quæ habent redditus Ecclesiasticos, quamvis sint erectæ in Ecclesijs Regularium, tenentur ad contributionem pro Seminario puerorum Clericorum, ut Congregat. censuit apud Barbos. *de potest Episc alleg.* 77. *num.* 10. secus si tales redditus non habeant, licet alios habeant. vide Lezanam *Tom* 2. *Cap.* 15. *num.* 28.

461. *Decimò tertiò*, Confraternitates omnes subduntur visitationi Ordinarij, ijs exceptis, quæ sunt sub immediata Regum protectione, ut decrevit Concil. Trident. *Sess.* 22. *Cap.* 8. *de reform.*

Quod

Quod etiam procedit quoad Confraternitates Laicorum erectas in Ecclesijs Regular. ex Decreto sacr. Congregat. Episc. & Regul. 17. Julij 1615. & intelligendum est de Confraternitatibus secundùm formam Constit. CLEMENT. VIII. de qua supra : non autem de Congregationibus, in quibus Laici coadunantur pro suis spiritualibus exercitijs. Verùm circà hæc consulendi sunt noster Lezana *Tom. 2. Sum. qq. Reg. Cap. 15. num. 27.* Bordon. 2. *Part. Consil. Resolut. 72. num. 22.* Hyacinthus Donatus *Tom. 4. Addition. Tract. 8. quæst. 31.* qui diversas adferunt limitationes circa hanc visitationem Ordinarij.

Subduntur visitationi Ordinarij.

SOLET à nonnullis quæri, quot personæ necessariæ sint ad constituendam Confraternitatem? **462.**

Ad Collegium seu Confraternitatē constituendā tres sufficiunt personæ.

Respond. Quod cum Collegium, Congregatio & Confraternitas convertantur *L. fin. in fin ff. de Colleg. illicit.* idem dicendum erit de Confraternitate, quod de Collegio affirmari solet; scilicet quod de jure civili, ad minùs requirantur tres idoneæ personæ, pro ut expressè dicitur in *L. Horatius* : etsi de jure Canonico sufficiant duæ : prout item expressè habetur in *Cap.* Nullus *de elect.* ibi *duo vel tres fuerint in Congregatione.* Ubi Glossa in verb. *duo*, ait, *quod duo faciunt Congregationem, tres verò Collegium.* Quod dictum respectu Confraternitatis Ecclesiasticæ procedit, sive dicti Confratres sint masculi, sive feminæ : quantùm enim attinet ad DEI cultum, non est masculus, neque femina, nec liber, neque servus : omnes enim in Christo eandem mercedem percipient *§. Hinc autem. authent. de Monach.* & ob id omnes possunt esse de Confraternitate : modo Confraternitas sexui vel statui minimè repugnet, Bald. in *d. l. final. num. 16. ff. de Colleg. illicitis.*

Ad Confraternitatem etiam feminæ, servi & minores sunt idonei.

Quod etiam procedit, sive sint majores, sive minores; dummodo habeant liberi usum arbitrij, Christianamque doctrinam non ignorent, nec sint homines facinorosi, nec aliqua notati infamia : possuntque non modo unius Confraternitatis, verùm etiam plurium esse; modo statuta unius alteri minimè repugnent. Barthol. in *d. L. de Colleg. illicitis.* Et tandem sive sint Laici, sive Religiosi, seu Regulares : nam hi quoque de Confraternitate esse queunt, de licentia tamen sui Superioris, ac dummodo propriæ Religionis exercitia, aut servitia non negligantur, aut impediantur.

Quænam in illis requirantur?

QUÆRITUR II. Utrum sit de necessitate Confraternitatis Rector **463.**

Rector aut Præfectus, & an is debeat esse Clericus vel Laicus, & qualem is habeat potestatem?

Præfectus Confratern. potest esse Clericus vel Laicus; qui nullam gaudet potestate coactiva: & sine illo Confraternitas subsistere potest.

Respond. ad primam quæstionis partem negativè: cum deficiente Præfecto, ejus loco præsideat magis dignus, ita Ricciull. *Incubration. Ecclesiast. Lib. 4. Cap. 8.* & Donatus *loc. citat. quæst. 5.*

Ad 2. quæsiti membrum respond. quod Confraternitatis Præfectus potest esse aut Clericus, aut Laicus; cum illa constet ex utrisque. Ad tertium dicendum, quod caret potestate coactiva; cum nō valeat Sodales invitos in Confraternitatē cogere, nec invitos exindè expellere: habet tamen potestatem Fraternalem, hoc est, quandam præeminentiam, qualem in domo habet Frater major in minores; adeò, ut hoc modo Rector, seu Præfectus Laicus possit etiam in Confratrem Clericum animadvertere. Ita præfati Auhores *loc. citat.* qui etiam pro se allegant Baldum: quæ intelligenda sunt procedere de jure communi, secus verò sentiendum, si aliud decernant propria Sodalitij statuta.

464. QUÆRITUR III. An statutum Confraternitatis, quo cavetur, ne quis in eam recipiatur, nisi priùs certum quid solvat, sit licitum?

Doctissimus P. Sanchez *Tom. 1. Consil. moral. lib. 2. Cap. 3. dub. 23. num. 8.* affirmativè respondet; eò quod Confraternitas non sit Religio, sed Congregatio ad bene faciendum: verum hæc ejus ratio non convincit: licet enim Confraternitas non sit Religio, ipsis tamen ingredientibus complura jura spiritualia confert, puta ad indulgentias, privilegia, gratias, similiaque spiritualia beneficia, quæ simoniæ materia esse queunt. Lezana *Tom. 2. qq. Regul. Cap. 15 num. 30.* Alij vero affirmant, quod dictum statutum negativè conceptum, ut puta; nemo admittatur, nisi tantum solverit, non sit licitum; secus autem affirmativè sumptum: ut si statuatur, qui tantùm solverit, admittatur; verum hoc reprobat Navarrus *Tom. 4. de Psalterio & Rosar. Virg.* MARIÆ *Mscell. 6. num. 4.* & juremerito: quum nulla realis differentia reperiatur inter statutum hoc negativè, aut affirmativè sumptum, sed logicalis duntaxat, sivè puræ rationis, quæ cum nihil ponat in re concepta, à simonia excusare minimè sufficiet. Quare absolutè asserendum videtur, quod statutum hujusmodi licitum sit & validum; dummodo fiat ob honestum finem & in pios usus convertatur, & non in profanos; puta, pro alendo pau-

Recipiendi in confratern. an quid solvere teneantur, & quando, & qualiter?

pauperibus, Confraternitatis fabrica, cereis, alijsque ejus generis: secus autem, si pro lucro & pretio admissionis; prout fusius probant Silvest. *verb.* Confraternitas *quæst* 2. Tab. & Armill. *eodem verb.* Navarr. *loc. citat Miscell* 4 D. Ricciull. *libr.* 4. *lucrubrat Cap.* 5. *num.* 2. habeturque expressum *Cap.* 14. *Concil Trident. sess* 24 *de Reformat.* ibi, *Mandat Episcopis, ut quæcunque hujusmodi in usus pios*, &c.

Nec refert, si dicatur, quod hoc statutum videatur excludere pietatem in receptione respectu pauperum, qui non habent, undè solvant: tum, quia non obligat, nisi supposita ingredi volentis facultate, ita Sylvest. *loc. citat* & Donatus *loc. supracitat. quæst.* 17. tum quia intelligendum hoc est de Confraternitatibus clausis, habentibus specialia statuta, approbata tamen ab Ordinario, & non de apertis, communibusq; omnibus, pauperibus ac divitibus, masculis ac feminis: quales sunt nostra sacri Scapularis-parthenij, Rosarij, aliæque similes, in quibus vetitum est aliquid dari, atq; exigi pro ingressu in eas: cum quo tamen stat, ut ingredientes hujusmodi sponte & eleemosynaliter dari possint quidquid libuerit, pro cereis atque ornamentis dictarum Confraternitatum, ut solitò more docet eruditissimè Navarrus *loc. citat.* Consulendi quoque sunt Lezana *loc. supracit* Bordonus *Tom.* 2. *Consilior moral. Resol.* 72. *num.* 15. Cherub. *in Compend. Bullar. schol.* 2 *ad constitut* 98. *Clem. VIII.* Lauretus de Franchis in *controvers. inter Episcopos & Regulares pag* 70. Pasqualigus, *ibidem.*

An hoc intelligendū de omnibus Confraternitatibus? & quid de pauperibus?

QUÆRITUR IV. An statutum, quo sancitur, ut hoc vel illud tantum genus personarum in Confraternitatem admittatur, sit licitum?

RESPOND. Affirmativè: dummodo approbetur ab Episcopo; quia Confraternitas non est cogenda, omnes indifferenter admittere, ut ex Bald. in *l.* 3 *num.* 19 *ff de Colleg. illicit.* docet suprà cit. Donatus *loc. citat. quæst.* 18. sed tantùm sibi benè visos, & de consensu majoris partis &c. aliàs quippè malè diceretur Collegium voluntarium, sed necessarium, contra ejus naturam, &c. Hinc deducunt nonnulli Confraternitatis Superiores cogi non posse, ob jam dictā rationē, ad recipiendum in Confratrem hominem turbulentum, rixosum, facinorosum &c. ita Baldus & Donatus *locis citat.* Verùm quia hæc exceptio, aut repulsio videtur injuriam inferre, ab ea potest appellari ad Episcopum loci Confraternitatis, ad quem spectat cogno-

465.

Utrū omnes promiscuè ad Confraternitat. admittendi sint?

An vitiosi & facinorosi?

scere, an dicta exceptio jure vel injuria adponatur ad excludendum quempiã à Religiosa Confraternitate. Lambert. *de jure Patron. p. 2. l. 1. q. 1. art. 10.* Guttier. *Canon. quæst. c. 35. n. 24.* Riccíuli. *lucubr. Eccles. lib. 4. cap. 10. nũ. 4.* Donatus *loc. supra citat.* vide sis, quæ circà hoc diximus supra *Part. 6. Cap. 4. num. 363.*

466. QUÆRITUR V. Quotnam modis dissolvi queat Confraternitas?

Tribus modis dissolvi potest Confraternitas.

RESPOND. Pluribus id modis fieri posse. PRIMÒ ex voluntate illorum, qui eam inchoarunt, modo in hoc omnes consentiant: nam res per quas causas fit, per easdem dissolvitur; & constat ex *L. 3. ff. de Colleg. illicit.* Cap. *inter dilectos, de donat.* & docet Barthol. in *L. fin. num. 21. ff. de eodem tit.* Hoc tamen solùm intelligendum de simplici Collegio sæculari profano: secus est de Collegio authoritate Episcopi, & maximè si habeat hospitale cum Campanis, & Oratorium, seu Ecclesiam ad publicè orandum, nam sic nequit dissolvi & mutari, *Cap. de Xenodochijs.* Cap. *quæ semel 19. q. 3.* & Cap. *semel DEO, de Regul. juris in 6.* SECUNDÒ si omnes Confratres moriantur. *L. sicut municipium §. fin. ff. quod cujusq; Universitat. nomine l. ejus in fin. ff. ad municipalem.* & ibi Barthol. *num. 21.* dixi, *si omnes moriantur:* quia si unus supersit per illum conservatur Confraternitas; qui poterit procuratorem constituere, ut dicit Gloss. in *d. L. sicut municipium, in verb. nomen Universitatis.* TERTIÒ ex præcepto Superioris, quod fieri solet ac potest ob delictum Confraternitatis, si Religionis prætextu admittat illicita. *L. 1. & 3. in princip. ff. de Colleg.* & docet Barthol. *loco citat.*

467. QUÆRITUR VI. Utrum Legatum factum Confraternitati dicatur pium?

Legatum factũ Confraternitati censetur relictum ad causam piam.

Affirmativè respondet D. Ricc. *3. part. prax. resol. 145. num. 1.* si talis Confraternitas Episcopi sit authoritate fundata, & pietatis opera exerceat; quod etiam docet in *2. p. Praxis, quæ dicitur Aurea resol. 370. in nov.* quod procedit etiamsi Testator non exprimat se illud relinquere ad pios usus. D. Sperellus *2. p. dec. 153. num. 24.* quia præsumitur Testatorem tale Legatum Confraternitati relinquendo respexisse pia opera, quæ ibi fiunt, non autem Confratres &c. ad quod facit Doctorum Collectaneum, ex quibus infert, quod de hujusmodi relictis, tanquam pijs, Trebellianica non detrahitur. Paul. de

Castro

Castro *in Consil.* 167. Bald. in *Authent. similiter.* C. *ad l. Falcid.* Ant. Gabriel *de pia causa Conclus. l. n.* 9. ubi rationem reddens dicit, quod hujusmodi legata Confraternitatibus relicta censentur relicta pro anima &c.

QUÆRITUR VII. Utrum Confratres cereos deferentes circa statuam beatiss. V. MARIÆ sacri Scapularis, aut Rosarij, cum processionaliter circumfertur, sint permittendi tali modo incedere? 468.

Regularibus debetur præcedentia respectu quarumcũque Confraternitatum: & quare?

Sunt qui negant: Tum, quia debent incedere ante omnes Regulares, non autem post illos, ut patet ex quadam declarat. sacræ Congregat. & habetur expresse in *Cæremoniali Episcopor. lib.* 7. *cap.* 33. & in Rituali Romano PAULI V. ac Bulla CLEMENT. VIII. incipiente *Inter cætera.* Tum, quia cum Collegium Confraternitatum sit longè inferiùs Collegio Clericorum ac Regularium, non debent eis præcedentiam aufferre: Tum etiam, quia intuitu consuetudinis, nequeunt talem locum possidere, cum in locis *supra citatis* derogatum sit omni consuetudini, etiam immemoriabili, Ergò &c.

Veruntamen falluntur isti: nam possunt admitti, & admittendi sunt: dummodo cum cereis & eorum insignibus hinc inde incedant ad latera statuæ. Moveor, Tum, quia in simili declaravit sacra Rituum Congregatio in una Nicien. 30. Januarij an. 1616. ubi decrevit Priores Confraternitatis *SS.* Sacramenti non debere incedere ante baldachinum post Capitulum, sed à latere baldachini, teste Barbosa in *Collect. Bullar. verb.* Confraternitas, *ad finem.* & Gavanto in *suo Manuali verb.* processio, *num.* 39. Tum, quia incedentes hinc inde ad latera statuæ prædictæ, non dicuntur præcedentiam cuiquam aufferre, cum extra processionis filum statuæ Marianæ honorificè inserviant. Tum vel maximè, quia sic faces deferentes circa statuam, ultimum locum occupant, non ut partes processionis, verum ut portitores cereorum ad honorem, ac statuæ pompam: undè nulli fit injuria aut præjudicium, cum eo casu, non sit consideranda præcedentia, sed servitium & obsequium jam dictum: ut patet de Hebdomadario in processione funeris, qui post digniores ultimum obtinet locum, non ratione propriæ personæ; sed ratione officij, quod gerit: & de Thuriferario in processione sanctissimi Sacramenti, qui ratione muneris seu servitij, post digniores incedit propè ipsum *SS.* Sacramentum, non præcedentiæ, sed servitij titulo,

Confratres cereos deferẽtes ad latera statuæ D. Virg. &c. ultimum locum occupant in processione, & quomodo, & quare;

Quæ-

469. An Regulares absq; suorum facultate Superiorũ ingredi valeant Confraternitatem?

QUÆRITUR VIII. An Religiosus Confraternitatem aliquã sine Superiorum suorum licentia ingredi possit?

RESPOND. Non posse; quia neq; etiam in hoc proprium velle habere debet, sed subdi suo Prælato; Ergò sine ejus consensu non potest assumere aliquam Confraternitatem. Ita docent Graffius *Tom.* 2. *consil.* 4. *de pœnit. num.* 16. Bordonus *Tom.* 3. *Resol.* 72. præcipuè in ordine ad electionem Confessarij, qui absolvat à reservatis ob Bullam CLEMENTIS VIII. incip. *Romani Pontificis.* de qua tenet de Tambur. *Tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 7. Dianam *de Cruciata Resol.* 14. & Bordonum *Tom.* 1. *Resol.* 34. *q.* 17. ubi citat novissimam URBANI VIII. Bullam, quam ad verbum refert Peyrin. *Tom.* 3. *privileg. pag. mihi* 323. quod verò idem Bordonus existimet Religiosum, qui absque sui Superioris licentia nomen dat alicui Confraternitati, non lucrari indulgentias, neque participare suffragia illius, ex eo quod interesse nequeat communibus actibus seu exercitijs Confraternitatis, fundamento caret; cũ ad plures indulgentias Confraternitatis non requiratur corporalis præsentia, multò minùs ad participationem bonorum operum aliorum Confratrum, uti constat ex dictis in alijs hujus Operis Partibus.

470. HÆC omnia dicta sint occasione supra productæ Bullæ CLEMENTIS VIII. cujus tamen §. 10. & 12. graviorem apud nonnullos excitarunt difficultatem. Præcipit quippè Pontifex §. 10. ut omnes Confraternitates, quæ modo ibidem descripto, supraq; à nobis exposito, institutæ non fuissent, de novo instituerentur intra annum in Europa, intra biennium extra Europam, alioquin nullius essent roboris ac valoris &c. Superiores quoque gravissimis pœnis §. 12. contentis puniendi forent, si contra præmissa in aliquo venire vel facere præsumpserint, &c. Hinc orta controversia, utrum antiquæ Confraternitates, juxta præfatam formam minimè restitutæ sint tutæ, ac validæ? & utrum illarum Superiores pariter censeantur dictarum pœnarum rei, an verò ab eis liberi & immunes? Utrumq; difficultatis hujus solutio, maximè dependere videtur ex ponderatione ac penetratione roboris ac valoris dictæ Constitutionis CLEMENTIS: de quo eruditè, more suo, disputat pluries laudatus P. Irenæus à S. Jacobo, in *Tract. sæpiùs citato sect.* 8. *cap.* 3. §. 3.

CAPUT

CAPUT III.

Expenditur Bullæ CLEMENTIS VIII. Quæcunq; à Sede &c. *vis & efficacia.*

EX ijs, quæ de ejusmodi Constitutione dici possunt, (verba sunt Irenæi) solùm affero, quæ adversus eam hinc militant, aut illius valorem indè defendunt, ut ex assertis in utramque partem, Lector colligat, quanti sit ponderis ac momenti. 471.

Summam esse illius vim & efficaciam demonstrat 1. Expressa mens Pontificis clarè & distinctè expressa. 2. Ejusdem Diplomatis promulgatio facta ad valvas Basilicarum S. Joannis, ac Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, quàm Pontifex §. 15. ait sufficere post mensem in Vrbe, post decem extra Urbem in Europa, post decem & octo extra Europam, perindè ac si cuilibet nominatim insinuatæ fuissent literæ. 3. Ne ignorantia aliquos excusaret, voluit ab Ordinarijs locorum Bullam publicari semel aut pluries, prout visum fuerit expedire, statim atque illius exemplum receperint, aut notitiam habuerint. Prætereà mandata est typis sæpiùs, cæterisque Bullariorum monumentis addita à Quaranta, Cherubino & alijs: plures etiam Authores de eâ scripsêre; quæ omnia satis notã ac vulgatam esse ostendunt. Deniq; quod ad nos attinet, inserta fuit Constitutionibus Ordinis ann. 1625. testaturque Lezana *Tom. 2. quæst. Regul. Cap. 15. num. 19.* solicitum fuisse R.mum P. Generalem Theodorum Stratium de renovandis antiquis Confraternitatibus, juxta formam præfatæ Bullæ, atq; ea de re ad PP. Provinciales scripsisse. At præter expressam & absolutam Papæ voluntatem, debitam legis aut decreti promulgationem, receptionem & usum, quid aliud optari possit ad efficaciam Pontificiæ Constitutionis non apparet?

Eam esse factã promulgationem testatur cursor apud Cherub. in fine Bullæ.

Ex oppositio illius authoritatem minuit. I. Quod §. *decimò* præcipiat Pontifex antiquas de novo institui Confraternitates, juxta formulam à se novissimè approbatam (cujus anteà meminerat. §. *sextò*, sub pœna nullitatis, revocationis &c. sed formula illa tanto rigore, tantaque austeritate præscripta, aut nondum comparuit, aut 472.

jàm ab oculis evanuit: cum noster Lezana sacræ Theologiæ Professor in Romana Sapientia, & Reverendissimi P. Generalis à multis annis socius, Romæ scribens ijs de rebus, ex professo *Tom. 2. C. ante. num. 13.* asserat, se illius notitiam habere non potuisse. Non ergò videtur probabilè strictum adeò jus fuisse in prædicta Constitutione, quoad reliqua, cum dicta formula tot clausulis commendata, fuerit nihilominùs incognita viris doctissimis, ac de ea maximè solicitis.

Hanc formulam cũ Decreto S. Congregationis reperiet Lector infrà Cap. 5. num. 496.

Nec objicias descriptam supra ex decreto sacræ Congregationis: nam respond. eam, quàm descripsimus à CLEMENTE VII. minimè fuisse traditam inde *primò* inferri, quod dictus Lezana hanc non potuerit ignorare, cum esset à Consilijs R. P. Generalis, cui superior formula fuerat à Cardinalibus commissa? imò scriberet anno 1637. illa verò data fuisset Theodoro Stratio, jam ab anno 1606. qui continuò secundùm eam Confraternitates instituebat: nec per consequens fieri potuit, quin aliquando venerit in notitiam assistentis Socij, qui ijs nihil obstantibus an. 1637. scribit scire se hactenus nò potuisse, qualis esset illa CLEMENTIS formula: ergò non potest eadem censeri cum superiori Cardinalium anni 1606.

473. Secundo ex stylo decreti relati ex libro Theodori Stratij, dicunt enim Cardinales, prædictam formulam fuisse *à se recognitam*. Quæso, quis is sensus? Num quod probaverint suo suffragio? Id sanè nemo dixerit, nisi qui temerè & falsò sacræ Congregationis Cardinales Pontifice fecerit superiores. Num fortè recognoverunt formulam, *id est*, perspectum habuerunt eam esse, quam dederat CLEMENS VIII.? Ast hoc dato, sequitur CLEMENTIS Constitutionem ab initio suæ originis ad annum 1606. vires non obtinuisse, cum formulam ipsius, quasi aliquid jam oblitteratum recognoverint Cardinales. Tandem ab anno 1606. efficacior evadere non potuit, cum nullus Pontifex novum ipsi addiderit momentum, sed supposuerit secundùm valorem, quem acceperat à temporibus CLEMENTIS VIII. Quod autè dicatur in illo Card. decreto esse forma præscripta à CLEMENTE VIII. rectè potest defendi ex eo, quod conformis sit præscriptæ CLEMENTIS Bullæ: at non inde sequitur eandem esse litteram, de qua CLEMENS loquitur in citatis Bullæ paragraphis. Ex quo evidens habetur argumentum asserendi jam à temporibus CLEMENTIS VIII. remissam fuisse istius Bullæ energiam, aliqua

alioqui præſcripta tanto cum rigore formula una cum Bulla debuerat promulgari.

474. Hoc Decretũ Cardinal. reperiet Lector ſupra *IV. Parte Cap. 3. nu.* 234. Poteſtas illa diſpẽsãdi ſuper diſtantiã habetur in ſuperioribus literis ad Epiſc. Senenſ. apud Peyrinis *loco citat.*

II. SACRÆ Congregationis decreta inſinuant imminutum Conſtitutionis rigorem: nam cum abſolutè Bulla præcipiat antiquas reinſtitui Confraternitates juxta præſcriptam formam; nihilominus Cardinales reſcripſerunt adEpiſcopum Bononienſem, erectas in Collegiatis Regularium Eccleſijs, non egere novo Ordinarij conſenſu, ſed à ſolo Generali poſſe confirmari, *ex Theodoro Stratio, Lezana citato, num. 19. & alijs.* Simile decretum ad Epiſcopum Senenſ. habet Peyrinis in *Privileg. Minimorum in addition. ad Conſtitut.* CLEMENTIS VIII. Iterùm, CLEMENS voluit, ut eadem in Eccleſia duæ ejuſdem rationis Confraternitates non inſtituerentur; illud idem eodem in loco ad tria milliaria fieri prohibuit ſacra Congregatio: in quo tamen ſpatio diſpenſare poſſet Generalis, juſta ex cauſa ab Ordinario approbata. Quæ omnia CLEMENS non ſtatuit.

475. Nota falli aliquos, qui ex hac Bulla colligunt non poſſe ullo modo duas Confraternitates in eadem Eccleſia erigi: oppoſitum enim ſuadet tum Bullæ litera, quæ ſolùm vetat *ſimiles* in eadem Eccleſia, & per conſequens permittit *diſſimiles*, puta SS. Sacramenti aut Angeli Cuſtodis &c.: nam exceptio firmat Regul. in contrarium: tum conſuetudo & praxis omnium Eccleſiarum, ſaltem in Gallia, Sæcularium & Regularium.

III. CLEMENTIS Conſtitutio univerſim uſu non fuit recepta, vel eodem ipſo fuit abrogata multis in locis, in quibus videmus plures quotidiè erigi ab Ordinario Confraternitates ſanctiſſimi Sacramenti, SS. Trinitatis, Angeli Cuſtodis &c. nulla prædictæ formæ habita ratione. Similiter pluribus in Eccleſijs apponuntur menſæ, pelves & ſimilia ubi ſedent Confratrum Primicerij, recipiunturque eorum eleemoſynæ &c. contra tenorem ejuſdem Bullæ. Multa alia poterunt obſervari ſecundùm varias locorum conſuetudines CLEMENTIS VIII. legi repugnantia. Id unum maximè uſus retinuit, ſivè ex natura rei ortum duxerit, ſivè ex præſcripto *Clementis*, ut de conſenſu Ordinarij inſtituantur quælibet Confraternitates.

476.

IV. Coronidem imponit prioris ſententiæ argumentorũ ſolutio. Ad I. Reſpond. claram quidem fuiſſe mentem Pontificis, ſed nondum efficacem, cum formula, cujus præcipiebat obſervantiam, ad manus Romanorum Doctorum non pervenerit.

Ad 2. Docent multi, doctrina & pietate inſignes, legem Pontificiam Romæ promulgatam non obligare in Provincijs, uſque

dum in ipsismet fuerit pariter authenticè proposita. Neque distinguas inter leges irritantes & alias; nam qua ratione de alijs, eadem planè de irritantibus debet asseri promulgatio: cum axioma sit ad omnem legem universale, *Leges dum promulgantur instituì: confirmarverò, dum moribus utentium recipiuntur.*

Ad 3. Non constat, nostris saltem in partibus, ab Ordinario fuisse expositam, uti præcipitur: imò novas videmus institui Confraternitates, CLEMENTIS formulâ minimè consideratâ.

Consuetudo optima legum interpres: imò ipsa lex est non scripta, at moribus expressa.

Demùm ad ea omnia responderi potest, dato quod Constitutio vim omnem à Pontificè obtinuerit, solemniter ac debitè evulgata fuerit &c. tamen abrogatam esse per usum oppositum, vel non receptionem: nec proindè obligat ijs in locis, quibus recepta non sit, vel contrarius usus invaluit: nam consuetudo non modo est optima legum interpres; sed ipsamet est lex, non scripta, at moribus expressa, vim habens abrogandi veteres, uti obligandi ad ea, quæ chartis exarata non leguntur.

477. Ad id, quod de Carmelitis singulare opponitur, Respondetur. Ad I. Ex Constitutionibus ann. 1625. desumptum respond. novum ibi jus non statui, nec præcipi, ut servetur Constitutio CLEMENTIS VIII. sed solùm exponi, quid agendum ex hypothesi, quod esset servanda. Sic enim 4 *Parte Cap.* 28. *num* 2. habent P. *Generalis, ut in erigenda Confraternitate formam servet à* CLEMENTE VIII. *præscriptam, debet imprimis esse certus de consensu Ordinarij &c.* Quæ verba nec præcipiunt, nec obligationem imponunt, sed hypothetice Bullam declarant. Ergò si Bullæ valor alia ex parte evanuerit, vires non resumet ex citatis Constitutionibus. Quibus etiam dici potest derogatum apud eos, qui novas acceptaverunt, probatas ab URBANO VIII. & INNOCENTIO X. pro Conventibus reformatis: in eis enim postremis nihil legitur de ejusmodi obligatione.

478. Ad *secundùm* ex renovatione facta à Theodoro Stratio deducti, respond. *primò* nullam hic apud nos, (quod videre potuerim) extare monumentum factæ ejusmodi renovationis: quo non obstante nemò ex nostris Superioribus hæsit dubius de valore nostrarum Confraternitatum; etsi permulti doctè, timoratæque conscientiæ de ijs egerint frequenter in suis libris, concionibus &c.

Respond. *secundò* potuisse quidem à Reverendissimo P. Gen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rali de novo instituí antiquas, seu confirmari: cum ex laudato anteà sacræ Congregationis decreto id possit absque novo Ordinarij consensu; quàm innovationem à se factam rescripserit ad Provincialem: Provincialis verò sollicitus non fuerit conservandi literas ejusmodi. Verùm ex confirmatione minimè sequitur CLEMENTIS VIII. Constitutionem usu receptam fuisse in his partibus, sed prudenter egisse Generalem: nam dato, quod vigeat præfatum CLEMENTIS statutum, antiquis Confraternitatibus totius Ordinis sua ejusmodi renovatione [etiamsi nostram ad notitiam ejus literæ formatæ non venerint) optimè consuluit: nec ijsdem nocuit, si CLEMENTIS Constitutio apud nos minimè valeat.

Ex quibus duo infero. PRIMUM: antiquas nostri Scapularis Confraternitates ante CLEMENTEM VIII. erectas suum neutiquam valorem amisisse, etsi institutæ de novo non fuerint, secundùm prædictam CLEMENTIS methodum. SECUNDO, Alias ab eo tempore erectas aut erigendas, non debere censeri nullius valoris, etiamsi eandem illam formulam in omnibus non servaverint. Dixi *in omnibus*, id est, in ijs quibus non usus, vel contraria Consuetudo derogavit. *Primùm* consectarium inde efficaciter colligitur, quod, Lezana teste, renovatæ fuerint à Theodoro Stratio. Utrumque simul probatur. I. Ex eo quod dicta CLEMENTIS Constitutio non sit universaliter usu recepta, saltem quoad omnes illius partes, quod addo propter Ordinarij consensum, quem pridem excepi. 2. Exclusis ijs omnibus alia suppetit ratio, quæ suadeat nostrum Scapularis Confraternitatem apud nos celebratam, CLEMENTIS Constitutione non fuisse comprehensam, dum specialem adsignavit formulam erigendi Confraternitates. 479.

Duo etenim Confraternitatum genera puto considerandæ nostris in Ecclesijs. *Primùm* eas complectitur, quæ nostro instituto & Ordini sunt adventitiæ, verbi causa, S. Angeli custodis &c. *Alterum* eas continet, quæ intimam habent cum Ordine connexionem, ut est Confraternitas SCAPULARIS: cujus Sodales ab ipsa beata Virgine, & summis Pontificibus appellantur *Confratres Ordinis*: Sodalitium verò in *Constitutionibus ann.* 1625. *jam citatis num.* 4. vocatur *instituti nostri Confraternitas*: utrumque à Lezana *lib. de patron. Cap.* 10. *num.* 16. dicitur, *veluti membra & partes accessoriæ Religionis nostræ*, Nota duo genera Confraternitatũ, eorumq; discrimen.

quibus propterea nostri Ordinis beneficia data sunt, quasi spiritualem in hæreditatem: ipsi verò adoptantur in communem quandam spiritualium bonorum unitatem cum Professis. Quod idem de alijs Confraternitatibus apud nos erectis cogitari non potest.

480. Quando Confraternitas sacri Scapularis dicatur in nostris Ecclesijs canonicè institui & erigi?

HOC ex discrimine, aliud mihi oritur, quod ad rem faciat, nempe congeneam Ordini Confraternitatem ejusmodi, eò ipso conferi Canonicè erectam nostris in Ecclesijs, quo ipsæ Ecclesiæ canonicè sunt institutæ. Nam intima illarum cum Ordine connexio fecit, ut nullo in loco sine istis Ordo instituatur, cum accessorium sequatur naturam principalis: ergò alia non erit requirenda Confraternitatis SCAPULARIS apud nos canonica institutio, quàm adhiberi debeat pro ædificandis novis Conventibus, cum in ijs locis nasci simul videatur cum Ordine. Hinc cum novâ loca nobis conceduntur, nusquam solet novus requiri consensus pro ipsa Scapularis confraternitate; saltem is est usus nostræ Provinciæ: quemadmodum non solemus petere singulariter ac distinctè usum nostrorum privilegiorum pro novo loco; nimirum quia censemur institui cum omnibus privilegijs, bonisque spiritualibus nostri Ordinis, &c. At adventitiæ Confraternitates specialem exigunt institutionem, præter canonicam novi Conventus ædificandi licentiam. Hinc si urgeat Confraternitates Scapularis non esse canonicè erectas, id negatum volo, vel dicendum eodem in loco Conventum & Ecclesiam canonicè non possideri. Iterùm, si dixeris CLEMENTEM dedisse formam instituendi Confraternitatem, ab erectione novi Conventus distinctam. Respondeo, debere intelligi de eis Confraternitatibus, quæ à cæteris adeò sunt separatæ, ut cum ijs erigi non censeantur: non autem de alijs, quarum institutio includitur in erectione alicujus Ecclesiæ Ordinis &c. Enimverò verosimile non est voluisse Pontificem bis judicari in idipsum: institui primò cum Ordine Sodalitium; ac iterùm posteà illud idem de novo erigi. Confraternitatem Scapularis simul cum Ordine erigi demonstrat singularis utriusq; connexio: ergò nulla alia debet requiri, quamdiu summus Pontifex id expressè non declaraverit.

Quænam Confraternitates specialem requirant institutionem?

481. NEC opponas extitisse olim Ordinem absque ejusmodi Sodalitio. Nam respond. quidquid sit de prioribus illis sæculis, utrùm videlicet habuerint Scapulare &c. saltem à temporibus SIMONIS

Stockij

Stockij, & JOANNIS XXII. Ordo nusquam extitit sinè Confraternitate SCAPULARIS; esto fortè illius exercitium fuerit interdictum quoad aliqua munera &c. Ratio est aperta. Qui novum in locum admittit Ordinem, censetur eum admittere cum omnibus suis privilegijs, facultatibus, immunitatibus, cæterisque bonis spiritualibus; sed cum primis nostri Ordinis divitijs enumeratur Scapularis nostri Confraternitas, ac facultas illud concedendi sæcularibus, quos adoptamus in Confratres, & participationem bonorum Parthenici nostri habitus: Ergò eo ipso quod novum in locum recipimur, eadem ipsa recipitur Confraternitas Ordinis ac Scapularis. Sicut in physicis propietates sequuntur essentiam: in moralibus nusquam finis sine medijs: in logicis ex certo & evidenti principio fluit necessaria conclusio: in Theologicis cum charitate infunduntur virtutes morales &c.

Videantur quæ circa hæc diximus supra *Part. 1. Cap. 4. & 5.*

482. DENIQUE observandum opinor, nihil aliud posse concludi in rigore adversus præfatas Confraternitates vi dictæ Clementinæ Constitutionis, nisi quod defectu renovationis caruerint indulgentijs ac privilegijs à prædecessoribus Pontificibus, aut ipso CLEMENTE concessis (quanquam nec illud etiam legitimè concludetur, ut diximus.) Id enim ait expressè in suo statuto. Cætera vero, quæ dictis Confraternitatibus aliundè, quàm à Pontificibus fuêre indulta, hoc ex capite non pereunt; qualis est in nostro sacri SCAPULARIS Sodalitio promissio beatissimæ Virginis ad B. SIMONEM Stockium, *in quo quis moriens æternum non patietur incendium*: quale iterùm est Sabbatinum Pivilegium à summis Pontificibus publicatum, sed à beatissima Virgine immediatè concessum &c. CLEMENS enim suorum Prædecessorum duntaxat indulta revocavit: ista verò duo jam enumerata, dona sunt Virginis, quæ publicarunt, suaq; authoritate confirmarunt Pontifices, ut in Bullis ipsimet declarant.

Privilegiũ Sabbatinũ à B. Virg. immediatè concessum à Pontificibus verò solum publicatũ fuit?

Enimverò animadvertendum est quàm maximè, quod air CLEMENS VII. in Bulla incipiente *Ex clementi. §. 1.* scilicet JOANNEM XXII. & ALEXANDRUM V. dedisse remissionem tertiæ partis peccatorum &c. Tum verò subijcit Confratres adjuvandos post obitum interceßionibus continuis, pijs suffragijs & speciali protectione glorioßissimæ DEI Genitricis semper Virginis MARIÆ &c. quod futurum Virginis adjutorium omninò distinguit à concessionibus summo-

summorum Pontificum JOANNIS & ALEXANDRI. Et GREGORIUS XIII. in Bulla *Vt laudes.* evidentiùs rem explicat: nam enumeratis indulgentijs, quas plurimi Pontifices nobis concesserant, venit ad JOANNEM XXII. quem ait plures aliàs ibidem descriptas addidisse, statimq; describens Sabbatinum Privilegium, non asserit ab eodem JOANNE concessum (uti de indulgentijs dixerat) sed *publicatum, corroboratum & confirmatum.* Undè sequitur posse summum Pontificem abrogare publicationem Sabbatini Privilegij: sed non potest impedire, quin beatissima Virgo adjuvet post obitum, tum Confratres, tum alios, quos ipsa adjuvare voluerit. Hactenus Irenæus, quibus nihil addendum occurrit.

Pontifex abrogare potest promulgationem privilegij Sabbatini, sed non impedire ejus effectum.

His verò præmissis de Confraternitatibus in genere, formaq; & modo illas instituendi, & gubernandi, alijsque similibus &c. tempus est, ut de nostro Carmelo-parthenio Sodalitio in specie differere incipiamus.

CAPUT IV.

Cujus sit erigere, instituereq; Carmelo-partheniam Confraternitatem.

483. Facultas erigendi, instituendivè Confraternitatem B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO, illiq; indulgentias, & gratias spirituales Apostolica authoritate liberè & licitè communicandi, est penes solum Patrē Generalē Ordinis Carmelitarum, pro tempore existentem; vel illo absente, penes ejus Vicarium Generalem. Ita tradunt Constitutiones Ordinis ann. 1625. editæ, 4. *Part cap.* 28. *num.* 1. Et ex illis Reverendissimus Theod. Stratius, Lezana, Irenæus, & alij, qui de hoc scripsēre. Hoc apertè colligitur ex PAULI V. Diplomate incipiente, *Cum certas* cujus in calce hæc habentur: *Ac dilecto Filio nunc, & pro tempore existenti Priori Generali dicti Ordinis Carmelitarum, vel illo absente, ejus Vicario Generali, ut hujusmodi Confraternitatem B. MARIÆ de monte CARMELO, ubivis locorum extra Vrbem erigere, & instituere, illiq; omnes supradictas indulgentias, & gratias spirituales &c. communicare similiter liberè & licitè possit & valeat, Authoritate Apostolica tenore præsentium facultatem concedimus.*

Solus P. Generalis Ord. Carmel. aut ejus Vicarius possunt instituere Confraternitatem B. MARIÆ V. de monte Carmelo.

cedimus & impartimur. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæteriq; contrarijs quibuscunq; præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis, &c.

Noster Venerab. Thomas à JESU *lib.* 2. de Confraternitate B. MARIÆ de monte Carmelo *Cap.* 5. probat hoc spectare ad P. Generalem Ordinis, exemplo aliarum Confraternitatum Mendicantium Ordinum S. Augustini, Prædicatorum & Minorum, quarum erectio spectat ad Generales illorum. Ita concessit EUGENIUS IV. Generali Ordinis S. Augustini, JULIUS III. & PIUS V. Ordinis Prædicatorũ; inhibendo, ne alius quispiã sine ejus licentia illam possit instituere: & SIXTUS V. Ordinis Minorum Generali; undè P. Generali Ordinis nostri, infert idem P. Thomas, *per communicationem privilegiorum idem licebit, cum particulare pro nostri Ordinis Generali nondum in hac materia viderim privilegium.* Rectè hoc asserit, quia illo tempore, quo dictum suum *Librum de Confratern.* evulgavit, nondum prodierat præfatum PAULI V. Diploma, verùm multis primùm post annis.

Generales Ordinum mendicantium possunt suarũ Religionũ Confraternitates instituere.

ADVERTIT hoc loco Irenæus *Sect.* 3. *Cap.* 3. §. 1. argumentum ex verbis præfatis PAULI V. desumptum non videri evincere soli P. Generali, ejusque Vicario competere hanc facultatem: nam licet prædictis verbis P. Generali, ejusque Vicario eam impertiatur facultatem; tamen nec *soli* competere affirmat: nec *alijs* eam interdicit. Quare existimat ipse, eos adhuc posse erigere ac instituere, quibus permissum erat, ante præfatam Constitutionem, si qui erant hujusmodi: quales tamen extitisse non opinor. Nec refert, quod Bullæ initium sit revocatorium priorum Constitutionum: cum constet ibi solùm revocare indulgentias: at de facultate erigendi non agit, nisi in fine, ut eam asserat Generali, de cæteris nihil dicendo, nec ut confirmet, nec ut retractet. Constitutiones quoque Ordinis non obstant, cum jus novum minimè condant, sed factum à PAULO V. referant: quare si PAULUS V. antiquas erigendi facultates non extinxit, nec dicendæ erunt vi Constitutionum peremptæ. 484.

NON solùm Reverendissimo P. Generali Ordinis Carmelitarum Calceatorum, verùm etiam utrique Præposito Generali Discalceatorum Carmelitarum competit præfata Confraternitatem B. MARIÆ de monte CARMELO, seu sacri SCAPULARIS ubique lo- 485.

Eandem hanc Confraternitatem insti-

tuendi potestatem habent uterq; Carmel. Discal. Generalis.

corum erigendi facultas, ex sacræ Congregationis Cardinal. indulgentiarum moderatricis indulto. Pro quo faciliùs percipiendo, sciendum est, præter Reverendissimum P. Generalem Ordinis Carmelitarum Calceatorum, duos esse alios supremos Generales nostrorum Excalceatorum; unum Congregationis S. ELIÆ, seu Italiæ: alterùm Congregationis Hispaniæ; & quilibet eorum eandem independentem ab altero habet facultatem. Ita suprà citatæ Constitutiones Ordinis, & cum illis Authores suprà laudati.

Habent Discalceati duas Congregat. & quælibet suum independentē Generalē.

Carmelitæ Calceati & Discalceati ratione erectionis Cōfratern. & concessionis Scapularis concordiam ineunt.

Cum verò unica tantùm instituti nostri Confraternitas in uno, eodemque loco erigi possit, juxta CLEMENTIS VIII. suprà relatam Constitutionem, ideò ad fovendam conservandamque inviolabilem unionem ac pacem, evitandamque omnem dissensionis occasionem, inter antiquum Carmelitarum Ordinem, atque utramque Discalceatorum Congregationem, convenerunt an. 1616. die 24. Augusti Romæ Reverendissimus magister SEBASTIANUS FANTONUS Prior Generalis Carmelitarum, Reverendissimus P. FERDINANDUS à S. MARIA Præpositus Generalis Discalceatorum Congregationis S. ELIÆ, atque admodùm Reverend. P. FRANCISCUS à SS. SACRAMENTO Procurator Generalis Discalceatorum Congregationis Hispaniarum, ac subjectam concordiam unanimi consensu inierunt, quàm PAULUS V. ann. 1617. die 24. Aprilis per Bullam incipientem, *Ad ea, per quæ.* Apostolica Authoritate probavit, roboravit ac confirmavit, ac præmissis aliis hæc subjicit Pontifex in præfato Diplomate: *Ideò prædicti Patres Reverendissimus P. Magister Generalis, & Reverendissimus P. Præpositus Generalis, & Procurator Generalis Hispaniæ, sub una beatissimæ Virginis tutela militantes, ut charitas mutua sine ullius offensione foveatur, sponte &c. omni, &c nominibus prædictis convenient & paciscuntur hoc proposito medio, videlicet: ut ubi Fratres Carmelitani erectam jam habent Confraternitatem, possint Discalceati sanctum SCAPVLARE petentibus concedere, Sodalesque ita admittere, ut eo ipso Confraternitati Patrum Carmelitarum adscripti censeantur, & sint, & eadem indulgentias, privilegia, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta consequantur, modo quo supra.*

Instrumētum concordiæ.

Quid circa erectionem Confraternitatis, & distributionē Scapularis observandum?

486. *Item quoad Processiones, tam præcipuam mensis Iulij ad sanctissimæ Virginis Commemorationem solemnem fieri solitam, quàm alias, quæ in aliqua Dominica singulorum mensium fiunt, quibus assistentibus Confratribus ac Consororibus plenaria*

plenaria indulgentia per Sanctissimum Dominum nostrum PAVLVM *Papam V. sub die 3. Augusti, anni 1609. in perpetuum concessa est, & postea ab eodem sub die 19. Julij an. 1614. ad omnes imposterùm erigendas in quavis mundi parte Confraternitates extensa, ita pariter conveniunt, & paciscuntur, ut ubi Confraternitas in domibus Patrum Discalceatorum fuerit erecta, nolintque ipsi dictam processionem seu processiones facere, possint Patres Carmelitani eam, vel eas celebrare, illique vel illis assistentes Confratres lucrantur indulgentiam, ac si in eorum domo esset Confraternitas. Et è converso, si in domibus Patrum Carmelitarum fuerit erecta Confraternitas, nolintque ipsi processionem celebrare, possint Patres Discalceati eam celebrare, Confratresque assistentes consequantur indulgentiam prædictam, quia sic inter eos actum &c. Quàm conventionem & concordiam dictæ partes nominibus quibus suprà, ac vice & nomine aliorum Patrum tam Carmelitanorum, quàm Discalceatorum respectivè promiserunt habere ratam &c. & contra non facere &c. sub quovis prætextu &c. imò statuerunt, voluerunt, & mandarunt omnibus Religiosis sibi respectivè subditis perpetuò custodire & observare, &c.*

Quid circa processiones?

Ac quibusdam interjectis concludit Pontifex.

Decernentes præsentes literas validas, firmas & efficaces existere, & fore, ac Ordinis & Congregationis prædictarum Fratres, ad plenariam illarum observationem teneri & obligatos esse; nec ab illis ullo unquam tempore quavis de causa resilire posse, irritumque & inane, si secus super his à quopiam quavis Authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædicta CLEMENTIS *Prædecessoris hujusmodi, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, & Congregationum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem &c.*

487.

Quid si alterutri à processione facienda abstineant? Generalis nequit Vicarij Ge-

ANIMADVERTENDUM hic cum Irenæo *loc. cit.* quod licet alterutri abstineant à processione facienda, vi hujus fœderis: nihilominùs tamen in eorum Ecclesijs Confratres lucrari queunt indulgentias, ac verè habent Confraternitatem. Quod patet maximè ex eo, quod ij, qui antiquiores sunt in loco, si abstineant à processione facienda, possit ea fieri ab alijs, quorum posterior est institutio in eodem loco; quod etiam PAULUS V. probavit, confirmando fœdera prædicta. Ergò signum est Confraternitatem esse erectam reipsa in utraque Ecclesia: esto exercitium processionis &c. permittatur solùm in una.

neralis circa erectionem Confratern. potestatem tollere aut limitare. de quo Vicario hoc intelligendum?

Observandum etiam, quod cum Vicarius Generalis eandem à PAULO V. Confraternitatem instituendi acceperit potestatem, ideò Reverendissimus Generalis eam aufferre vel limitare non potest, cum ab eo non emanet, sed à summo Pontifice absque ordine ad ipsum Generalem. Per Vicarium hujusmodi intelligit Theod. Stratius eum, quem in Urbe constituit, dum ab ea discedit Generalis, non autem alios, quos pro varijs Ordinis partibus, Provincijs aut Conventibus designat: cui sententiæ favent ea verba Pontificis, *ad illo absente Vicarius*, &c.

488. Quid possit Vicarius Generalis Mantuanæ Congreg. quoad hanc potestatē?

VICARIUS Generalis Congregationis Mantuanæ non gaudet præfata facultate, uti censuit sacra Congregatio indulgentiarum moderatrix: quare novam ab eodem PAULO V. prædictam Confraternitatem instituendi potestatem, & petijt, & impetravit, atsolùm pro Ecclesijs suæ Congregationis, ut pluries declaravit jam dicta sacra Congregatio super indulgent. Idipsum tradunt Constitutiones Ordinis *supra cit.* & Theod. Stratius, *in instruct. cit. Cap.* 13. Lezana *Tom.* 2. *qq. R. C.* 15. *n.* 47. Irenæus *loc. cit.* & alij. Si quis amplectatur sententiam *supra Cap* 3. *num.* 480. expositam, videlicet, quod nostra Scapularis Confraternitas simul erigatur cum ipsis nostris Ecclesijs, dicendum videtur, facultatem Mantuani Vicarij intelligi debere non de prima institutione, sed de exercitio talis Confraternitatis, puta assignandi dies processionis menstruæ, Confratres congregandi, deputandi Directores &c.

489. Quid Patres Provinciales?

QUÆRITUR, utrùm Patres Provinciales erigere possint in Conventibus suæ Provinciæ Confraternitatem sacri Scapularis?

Affirmativam sententiam tenuit Thomas à JESU *loc. supra cit.* quàm probat ex eo, quod Provinciales gaudeant jurisdictione quasi Episcopali, juxta communem Doctorum sententiam: Episcopi verò Confraternitates instituendi potestatem obtinent jure ordinario: Ergò idem competet Provincialibus. *Nec obstat*, inquit ipse, *quod in nonnullis Religiosis Ordinibus hæc facultas concessa sit à Sede Apostolica Generalibus; id enim non arguit, quod Patres Provinciales illa careant, sed quia ita postularunt Generales illarum Religionum, ad sic sua authoritate majus robur honoremque conferendum illis Confraternitatibus.* Ita ille: sed negativa sententia amplectenda videtur, uti satis ex supradictis constare potest.

490. QUÆRES *secundò*. utrùm facultas erigendi Confraternitates delegati

delegari possit à Reverendiss. P. Generali (& idem dico de utroq; P. Generali Discalceatorum utriusque Congregationis, ac Vicario Generali Mantuanæ Congregationis respectivè) Provincialibus aut alijs?

An Porestas erigẽdi Confraternitatem delegari queat Provincialibus aut alijs?

Negativam probabiliorem censuerunt sententiam nonnulli juris-periti, quos se consuluisse asserit R. Theod. Stratius: Alij cum Lezana *num.* 48. affirmativam esse amplectendam sentiunt: quàm etiam esse probabiliorem subjectæ suadent rationes. I. Communè illud, receptumque ab omnibus axioma, *omnis Ordinarius delegare potest:* præfati autem PP. Generales sunt Ordinarij hac in parte: quia hujuscemodi potestas in ijs residet, tanquam in capite, proprioque subjecto; cum ad eos maximè spectet spiritualium Ordinis bonorum distributio: sive profecta sint in Ordine ex virtutum operibus, à subditis præstitis; sive aliunde comparata fuerint; puta ex liberali Apostolicæ Sedis concessione, ut ab Ordine in alios Christi fideles deriventur. II. Commissarius ex privilegio perpetuo potest alteri vices suas delegare, ut mox citati Authores observarunt; idemq; Lezana docuerat etiam *Tom.* 1. *Cap.* 18. *num.* 4. & post illum Irenæus *loco cit.* at hæc facultas Confraternitates erigendi est privilegium perpetuum: Ergò &c.

491.

Tertiò PAULUS III. concessit Præposito Generali Societatis JESU, ut *omnes gratias, concessiones & indulta sibi concessa à Sede Apostolica exercere possit per Vicarios, aut personas ad id sibi benè visas.* Ita Suarez *Tom.* 4. *de Relig. Tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 8. Item SIXTUS V. in Bulla incipiente *Dum ineffabilia.* quæ est 21. inter Constitutiones illius apud Cherubinum, facultatem indulsit Generali Dominicanorum, vel Vicario Generali ejusdem Ordinis, delegandi pro institutione Confraternitatis Rosarij &c. Sed his privilegiis per communicationem uti posse præfatos nostros Patres Generales tradit Lezana, & cum illo Irenæus. Licet Reverendiss. Theod. Stratius, suprà dictorum Jurisconsultorum sine dubio motus sententia, nunquam delegaverit instituendi Sodalitij facultatem, verùm solùm inquirendi, examinandique, utrùm eo in loco erigenda esset Confraternitas? Quorum habita relatione, ipsemet, etsi à loco absens, instituebat nostram Confraternitatem: vel per literas, quibus deputabat Commissarios pro præfato examine, actu instituebat, erigebatque his, aut

verbis similibus: *Quod si judicaverit eam esse in tali loco erigendam, Authoritate nostra ex nunc pro tunc eam erigimus, institumusque nostris literis formatis, quas ad vos ea de re dirigimus* &c. Quo casu non valet erectio à dato literarum Generalis, sed à tempore, quo Commissarius erigendam judicavit: tunc enim fictione juris præsens fit Generalis, qui erigat, instituatque ejusmodi eo in loco Confraternitatem.

492. Utrum erigi valeat in proprijs aut alienis Ecclesijs sine Ordinarij consensu nostra Confraternitas?

QUÆRES *tertiò*, utrùm prædicti Patres, sivè ordinaria, sivè delegata potestate, ad erigendas Confraternitates gaudentes, possint tam intra proprias, quàm alienas Ecclesias, sine Ordinarij consensu ejusmodi Sodalitia erigere?

Affirmativè respondet quoad utramque partem N. Thomas à JESU: & quidem de proprijs Ecclesijs ambigendum non esse censet, ob manifesta circa hoc nonnullorum Regularium privilegia. De alienis idem confirmat ex communi praxi Mendicantium Ordinum, qui extra proprias Ecclesias, sine Ordinarij authoritate ac consensu, complures similes Confraternitates erigunt, instituuntque: idque non sine fundamento, quod habent in suis privilegijs, quæ sine limitatione ulla id concedunt. Congruum tamen consultumque videtur, ut quandò extra suos Conventus Religiosi erigunt Confraternitates, id fiat habitis Ordinarij approbatione ac consensu. Ita ille; & non malè, nec improbabiliter suo tempore, & ante promulgationem supradictæ Constitutionis, *Quæcunque à sede*. CLEMENTIS VIII. Quid verò, hoc tempore ob dictæ Constitutionis decreta censendum & practicandum sit, constat ex illis, quæ in superioribus diximus Capitibus.

493. Instituta uno in loco Confraternitas dissolvi potest, & à quo?

QUÆRES *quartò*, utrùm instituta semel uno in loco Confraternitas dissolvi possit atque extingui?

Respond. Affirmativè, quia aliarum societatum naturam imitatur, in morali jure fundatarum, quæ per consequens, in suo esse & conservari pendent à ratione ac voluntate, morum principe. Videtur tamen non debere, aut posse ab alio extingui, quàm ab ipso Generali, cum ab alio etiam erigi nequeat; & consectariè ab eo solùm dependeat. Eandem à fortiori facultatem habebit Capitulum Generale. Si quis tamen alius infrà Generalem Confraternitatem erigere possit, idem ille poterit erectam dissolvere.

494. UNUM etiam in erectione Sodalitij B. MARIÆ Virginis de

monte CARMELO in alienis Ecclesijs summopere observandum est, juxta Constitutiones Ordinis 4. *part. cap.* 28. *num.* 3. Ne scilicet, quod in favorem Religionis nostræ à summis Pontificibus concessum fuit, aliquando in illius detrimentum vergat, Reverendissimus Pater Generalis imposterùm Confraternitatem nostram in exteris Ecclesijs, præsertim aliorum Regularium non erigat, instituatque, nisi sub hac expressa conditione, quod si temporis successu nostra Religio domum in eodem loco fundaverit, institutio Confraternitatis in aliena Ecclesia facta, eo ipso penitus expiret, nulliusque reddatur valoris ac momenti: poteritque P. Generalis novam erectionem in nostra Ecclesia servatis servandis facere: & nisi etiam sub juramento promittant tum Superiores exterarum Ecclesiarũ, in quibus instituenda fuerit Confraternitas, tum Confratres, quod nec directè, nec indirectè, nec per se, nec per alios ullo unquam tempore impedient, quo minùs possimus nos, si sese obtulerit occasio, novum ibi monasterium acquirere; imò expressè protestentur, se ad id quatenus opus fuerit, ex nunc pro tunc suum præbere consensum. Hæc P. Lezana ex præfatis Ordinis Constitutionibus: qui etiam subjungit declaratum fuisse à sacra Congregatione Episcoporum ac Regularium die 15. Septemb. ann. 1634. Confraternitatem nostram erectam in quadem Patrum Augustinianorum Ecclesia suspendendam seu extinguendam esse, ut in nostri Ordinis Ecclesia institui possit. Addit Irenæus *loc. cit.* quod singulari instrumento à Superioribus Ecclesiæ, quæ Confraternitatem recipit, confecto ac consignato prædicta præstanda promittendaque sint.

Quid in institutione nostræ partheniæ Confraternitatis in alienis Ecclesijs præsertim advertendum, observandumq; sit?

Tandem cum Reverendissimo P. Theod Stratio advertendum est, nullas apud nos existere aut haberi sacri SCAPULARIS Confraternitates, aut Archiconfraternitates, quarum aliæ ad alias reduci possint, aut debeant: sed omnes esse æquales, unde aggregari nunquam dicuntur, sed erigi atque institui.

CAPUT

CAPUT V.

Quænam in erectione Confraternitatis nostræ observanda sint?

495. QUATUOR præcipuè in cujuscunque Confraternitatis institutione legitima requirit CLEMENS VIII. ut supra *Cap.* 1. vidimus. I. CONSENSUM Ordinarij loci in quo erigenda est Confraternitas. Cujus etiã penes se habere debet literas testimoniales P. Generalis; quibus erigendæ & instituendæ Confraternitatis commendetur pietas, Christianæque charitatis exercitia, quæ in ea frequentanda erunt.

II. UNICAM duntaxat in singulis Ecclesijs erigi voluit. Adjunxit sacra Congregatio indulgentiarum moderatrix, ne quidem in eodem loco ad tria milliaria aliam similem erigi posse: in quæ tamen distantia, juxta ejusdem Congregationis declarationem, Superior erigendi, instituendique obtinens potestatem, justis de causis, & ab Ordinario loci probatis, dispensare valet; ut habetur in Constitutionibus Ordinis anni 1625. 4. *Part. Cap.* 28. & nos diximus supra *num.* 446.

III. IN LITERIS erectionis seu institutionis Confraternitatis, instituens ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini seu Confraternitati nominatim, & in specie, non autem, quæ per extensionem vel communicationem, quovis modo concessa sunt: & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè & in specie exprimenda sunt. Unde, inquit Lezana, prædicti institutores Confraternitatum non possunt dicere: *Communicamus huic Confraternitati omnes gratias, privilegia, indulgentias* &c. *quæ tali Ordini, aut Confraternitati sunt concessæ, aut quibus per communicationem potitur*; sed debent dicere: *Communicamus tales, & tales gratias, indulgentias* &c. *Ordini vel Confraternitati nostris concessas*, &c. ita ille *Tom.* 2. *qq. Reg. Cap.* 15. *num.* 10.

IV. DECERNIT, ut præfati Confraternitatum institutores, seu aggregatores in erectione, seu aggregatione ipsarum observent formulam à se novissimè approbatam, & secundum ipsam privilegia & indulgentias illis communicent nominatim & distinctè, ut supra dictum est. Quæ autē, & qualiem sit isti Formula, de qua loquitur Pontifex, re-

rescire non potuisse asserit Lezana *n.* 13. veruntamen Flav. Cherub. in Compend. Bullar. super dictâ CLEMENTIS VIII. Bullam *n.* 115. formulam quandam refert, quàm in usu esse affirmat. Ea autem solùm pro aggregatione Confraternitatum, non pro institutione facta videtur; etsi ex illa colligere sit, qualis esse debeat ea, quàm pro institutione Confraternitatum institutores adhibere debent.

Verùm quidquid sit de formula Cherubini, eam hic subjungere juvat, quàm à sacra Congregatione acceptam, Theod. Stratius suo inseruit de Confraternitate libro, cum ejusdem Congregationis decreto, quod est hujusmodi. 496.

Decretum sacræ Congregationis.

Formulam hanc Confraternitates instituendi, & indulgentias communicandi à felicis recordationis CLEMENTE VIII. *præscriptam, & in Congregatione illustrissimorum Cardinalium reformationi Indulgentiarum præpositorum nuper recognitam, Religioni Carmelitanæ Superiori tradimus, ut illa in instituendis, confirmandisq; Confraternitatibus, ac Indulgentijs & gratijs, quas à sanctiss. D. nostro* PAVLO V. *obtinuit, communicandis utatur, eamq; in proprio statutorum libro describi curet. In quorum testimonium nostra manu subscripsimus, & proprio Sigillo muniri jussimus. Datum Romæ* 17. *Maij an.* 1606.

CARDINALIS S. CÆCILIÆ.

Forma Literarum pro erectione Confraternitatis.

F. N. Ordinis beatiss. Virg. MARIÆ *de monte Carmelo Generalis.*

Universis præsentes Literas inspecturis, Salutem in Domino sempiternam.

Cum inter alia Privilegia, quibus â sancta Sede Apostolica Religio nostra decorata est, facultatem habeat, Sæcularium Confraternitates erigendi sub invocatione glorioss. Virg. MARIÆ *de monte Carmelo, eisq; spirituales gratias, privilegia & indulgentias communicandi; in hujusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christi Fidelium salutem promovendam expedire animadverterit, liberalem sese præbere consuevit.*

NOS igitur, qui generalem totius Ordinis curam gerimus, sperantes forè, ut ex hac spiritualium gratiarum participatione

Christi Fideles ad devotionem & pietatem magis excitentur, authoritate nobis à summis Pontificibus concessa, Confraternitatem sacri Scapularis B. MARIÆ de monte CARMELO, in Ecclesia N. loci N. Diœcesis N. de consensu Ordinarij loci, qui ejusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac Religionem literis patentibus nobis nuper exhibitis commendavit: dummodo tamen alia similis in ipso, vel alio ad tria milliaria propinquo loco, hactenus erecta non fuerit, per præsentes nostras Literas erigimus, & instituimus, illiq; & pro tempore existentibus utriusq; sexus Confratribus elargimur, & communicamus indulgentias, privilegia & spirituales gratias, singillatim inferiùs descriptas nostræq; Confraternitati nominatim & expressè concessas, per Brevè sanctissimi Domini nostri PAVLI V. tenoris sequentis.

PAVLVS V. ad perpetuam rei memoriam.

Cum certas unicuiq; &c. (Describenda est hic integrè hæc, & duæ aliæ ejusdem Pontificis Bullæ, à nobis suprà *IV. Parte Capite 4.* relatæ) *quibus omnibus indulgentijs, & spiritualibus gratijs descriptis, Confraternitatem ipsam nunc erectam, ejusq; Confratres potiri & gaudere posse decernimus, juxta felic. recordat. CLEMENTIS Papæ VIII. Constitutionem sequentem.*

CLEMENS Papa VIII. ad perpetuam &c.

Quæcunq; à Sede Apostolica &c. [Describatur integra hæc Pontificia Constitutio, quàm habes supra *Cap. 1. hujus VIII. Partis.*]

In quorum testimonium has Literas fieri, & per nostrum Secretarium subscribi, & publicari mandavimus, sigilloq; Officij nostri muniri. Dat. &c.

497. Concio habenda in erectione Confraternitatis, & quæ potissimum in illa sint exponenda?

VENERAB. P. Thomas à JESU *lib. 2.* de Confraternitate B. MARIÆ Virg. de monte CARMELO *Cap. ultimo*, ponit Hispanico idiomate formulam, tum instituendi, tum confirmandi institutam Confraternitatem, qui etiam alia quædam tradit observanda in erectione Confraternitatis nostræ, extra nostros præsertim Conventus. Dicit namq; habendam esse Concionem ab aliquo Ordinis Religioso, ipso institutionis die, de antiquitate, excellentijs, prærogativis, beneficijs, indulgentijs & privilegijs, planè eximijs, singu-

ribusque

ribusq;, ipsius Confraternitatis. Breviter quoque in hoc sermone exponenda sunt Confratribus munia, obligationesq; hujus Sodalitij, saltem præcipuæ, magisque necessariæ, remittendo illos pro pleniori cæterarum notitia ad libros de hoc argumento editos.

Liber in quo Confratrum nomina describantur adesse debet.

Secundò advertit, quod sicut in quolibet Conventu Ordinis debet esse liber, in quo Sodalium nomina adscribantur, ita etiam in Oppidis, seu locis alijs, in quibus licet non sit aliquod nostrũ Monasterium, nihilominùs erecta, institutaque est hæc Confraternitas, debet esse liber, in quem referantur Confratrum nomina: qui sub anni cujuslibet finem ad viciniorem Conventum nostrum deferendus est, ut ex eo Confratrum illo anno receptorum nomina transcribantur in libro prædicto Conventus &c. vel saltem descripta ex eo nomina Sodalium illius anni transmittenda, ut fiat quod dictum est.

A quo benedicenda Scapularia si in alienis sit Ecclesijs erecta Confraternitas

Tertiò, ad eundem Conventum deferenda esse, dicit idem Author, Scapularia, ut à Prælato, vel deputato ab eo Religioso Sacerdote benedicantur; nisi illius loci, in quo erecta est Confraternitas, Parocho, aut alteri Presbytero facultas benedicendi delegata esset: quod non facile concedendum esse, asserit.

498.

Compendium indulgentiarum in Confraternitatis Oratorio seu Templo appendendum. Illi statuta subjungenda.

Quartò, COMPENDIUM indulgentiarum omnium, Confratribus concessarum, in folio patenti recusum, aut pulchriori, majorique charactere descriptum, appendendum esse in Ecclesia, seu Sacello Confraternitatis; adjunctis conditionibus, pro illarum lucro requisitis. In limine verò hujus Tabulæ, seu Compendij apponendam esse dicit imaginem Confraternitatis, seu DEIPARÆ Virginis, sua intercessione, Confratrum animas è purgatorij flammis eripientis.

Quintò, In calce huius Compendij (*inquit Cap. 6.*) subjungenda esse statuta, si quæ fortè (ut nonnunquam fieri consuevit) ab Ordinis Prælato, seu Confraternitatis institutore pro ipsa condita sint. Nonnulla similia statuta E. G. ipse adducit: quorum *primum* est, quod omnis status, conditionisq; homines admitti queant ad hoc Sodalitium &c. Circa hoc tamen statutum recolendum, sedulòq; observandum est id, quod supra *VI. Parte Cap. 4. n. 363.* monuimus. II. Quod nullus admittatur, aut sacrum Scapulare cuipiam conferatur, nisi prævia confessione sacram Eucharistiam receperit: quæ pro indulgentia plenaria consequenda, Confratribus pro ingressu Sodalitij indulta, necessaria sunt. III. Quod Confratres omnes in cunctis festivis-

diebus sanctissimæ Virginis MARIÆ: S. JOSEPH quoque ac SANCTÆ sacram Synaxim piè accedant. Alia quædam similia statuta apud ipsum videri poterunt.

499. Et aliorum Pontificũ privilegia & indulgentiæ, modo sint certæ & nõ dubiæ.

ADVERTENDUM quoque est circa suprà adductam formulam, quod in literis institutionis pariter describi debeant aliorum Pontificum privilegia atque indulgentiæ, secundùm temporum seriem, si quas alij Pontificis Confraternitati concessêre, modo certæ sint ac securæ: quod enim supra PAULUS V. solùm expressus fecerit, fit in exemplum, non verò, ut cæteri (si qui alij sint) excludantur. Dubia autem inseri & CLEMENS VIII. inhibuit, & ipsa rei natura evitandum docet. Alia privatim explicari, etsi erectionis literis minimè comprehensa, vetitum haud puto.

Confratres gaudent indulgentijs per communicationem sibi concessis.

Tandem animadvertendum est, Confratres omnes gaudere alijs sibi per communicationem concessis (si quæ sint ejusmodi) gratijs, etsi institutionis literis, non sint comprehensæ. Ita Lezana *Tom. 2. qq. Regul. cap. 15. num. 11.* & cum illo Irenæus *Capit. 3. sect. 3. §. 2.*

CAPUT VI.

Quibus competat Confratres admittere, SCAPVLARE benedicere ac distribuere?

500. Vide etiã Constitution. ann. 1645. pro reformatis Conventibus ex decreto Capituli Generalis 3. Part. Cap. 18. n. 15.

DIversam circa hoc munus reperio praxim, ac leges apud Calceatos atque Discalceatos Carmelitas: apud illos enim Ordinis Generalis pro tota Ecclesia, ac Provinciales pro suis Provincijs, possunt tum per se, tum per alios à se deputatos, habitum benedicere & distribuere: Priores verò locales possunt quidem id facere per seipsos, non tamen alijs delegare hanc facultatem. Ita statuunt hac de re propriæ illorum Constitutiones anni 1625. 4. *Part. C. 28 n. 7.* quæ sic habent: *Superior autem, qui potest benedicere habitum, & conferre, atque sodales recipere, quæ potest hanc facultatem delegare, est Pater Reverendissimus Ordinis pro tota Ecclesia: & Priores Provinciales intra limites suarum Provinciarum: Priores vero locales poterunt quidem ipsi petentibus SCAPVLARE benedictum concedere, & eos in sodalitatem recipere; nolumus tamen, ut hanc facultatem valeant alij commu-*

committere. Apud nostros verò Discalceatos non modo Præpositus Generalis, ac PP. Provinciales, verùm etiam Priores omnes locales possunt tum per seipsos, tum per alios à se deputatos, seu delegatos supradicta præstare. Ita testatur noster venerab. Thomas à JESU in sæpiùs laudato supra Opere *Cap.* 5. idque confirmat quotidiana, receptaque apud nos praxis ac consuetudo.

Nota discrimen quoad hoc inter Carmel. Calceatos atq; Excalceatos.

Advertit autem, & benè Irenæus, pro suis Calceatis, quod stante supradicta Constitutione debeant Provinciales in singulis Conventibus designare aliquos, qui SCAPULARE benedicant & conferant, cum Priorum localium potestas ad id minimè sufficiat.

Debere autem dari Scapulare, vel habitum à Superioribus Ordinis, verba sunt Lezanæ, colligitur à simili de Chorda D. Francisci, quàm debere similiter à Superioribus ejusdem Ordinis dari Confratribus ejus Confratriæ expressit SIXTUS V. in Bulla *Divinæ charitatis.* ann. 1587. apud Rodriquez *Tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 58. *artic.* 1. Ubi etiam de benedictione talis Chordæ à Superiorioribus facienda &c. ita ille *loco supra citat. num.* 43. idem ante Lezanam senserat & tradiderat præfatus Thomas à JESU *loco mox citato.* Verùm circa supradictam Ordinis Constitutionem nonnullæ moveri solent controversiæ, quas breviter dissolvere conabimur.

501. Quid possint circà hæc Commissarij, seu Visitatores Generales aut Provinciales?

QUÆRITUR I. Utrùm hæc facultas concessa censeatur PP. Commissarijs, aut Visitatoribus à Reverendiss. P. Generale, aut Provinciali designatis ad tempus &c. quibusdam pro actibus V. G. ad visitandum Conventum aliquem, aut Provinciam, præsidendum Capitulo Provinciali &c. item eorundem Vicarijs perpetuis, puta Mantuanæ Congregationis, Sanctimonialium &c.

Negativè respondendum videretur insistendo verbis præfatæ Constitutionis, quæ illorum mentionem nullam facit, nec talem potestatem illis tribuit. Pro affirmativa nihilominùs sententia ratio militare videtur. Hujusmodi namque Visitatores, aut Commissarij delegantur cum authoritate Generalis, aut Provincialis, non modo ut inquirant, & advertant ad mores subditorum, verùm etiam ad quæcunque alia Conventus seu Provinciæ bona, tum temporalia, tum spiritualia: inter quæ adoptio in Confraternitatem recensetur: Ergò necesse est eos habere facultatem statuendi, quod judicaverint expedire circà ejusmodi receptionem: & interdicendi, si qui sua po-

testate abutantur, alioſque nominandi ſeu deputandi &c. potiorì autem jure **poterunt** per ſeipſos benedicere, conferre &c. Nec neceſſariò requiritur, ut **in literis commiſſionis** ea facultas diſtinctè exprimatur, ſed ſufficienter **ex natura rei** incluſa in commiſſione univerſali cenſetur & intelligitur. Dico ***in commiſſione univerſali***, ſi quis enim deputetur Commiſſarius ſolùm pro actu aliquo, verbi gratia, ad informandum de crimine, vel dirimendam litem &c. non poterit dici habere facultatem recipiendi Confratres, niſi ex ipſo commiſſionis ſtylo aliud colligi queat.

502. Quid Vicarius Mantuanæ Congregationis?

QUOAD Vicarium Mantuanæ Congregationis, dicendum eſt eum poſſe ratione ſui officij, abſque alia commiſſione Scapulare benedicere & diſtribuere &c. Ratio hujus eſt, quod, ut ſuprà diximus, poſſit erigere, inſtituereque Confraternitatem: at Confratrum receptio conſectaria eſt ad ejuſmodi erectionem: Ergò &c. Cum autem annexam habeat muneri ſuo facultatem illam in perpetuum, poterit delegare quoque alios, qui Scapulare benedicant ac diſtribuant.

503. Quid Vicarij Sanctimonialium?

DE Vicariis Sanctimonialium, qui in quibuſdam Provinciis ſeu Cœnobijs Ordinis conſtitui ſolent, videtur illos non poſſe præcipuè vi talis muneris Scapulare conferre. Ratio hujus eſt, quòd nec in ſuperiori Conſtitutione ſint expreſſi, nec alio jure comprehenſi, nec ex natura rei, ſeu officij, ijs competat talis poteſtas, uti diximus competere viſitatoribus Provinciæ, aut Conventuum noſtrorum: imò Decreto ſacræ Congregationis, ut *ſupra Cap. 2. vidimus*, & habet Gavantus in *Enchirid.* ſeu *Manuali Epiſcoporum* verb. *Monialium Eccleſiæ*, *num.* 15. cautum eſt, ne ulla apud Moniales erigatur Confraternitas.

Quid earum Confeſſarij, & Sacellani?

Alij, qui audiendis Monialium confeſſionibus præter Vicarium deputantur, nullo modo prædicta gaudent facultate, quia nihil ampliùs conceſſum illis legitur, quàm cæteris Religioſis aut Confeſſarijs noſtris, qui tali carent poteſtate: ſiquidem infrà Priores nemini data legitur, niſi per delegationem P. Generalis aut Provincialis. Si autem Vicarij & Confeſſarij Monialium ex Ordine aſſumpti hac facultate careant, multò magis illa carebunt ſæculares Sacerdotes Monialium Sacellani: undè receptio & admiſſio Confratrum ab his facta, nulla eſt & invalida: & tolerandus non eſt uſus, ſeu potiùs gravillimus abuſus, in aliquo Monialium Ordinis Prælatis Ordinis

Nota gravem circa hæc abuſum &c.

nimè subjecto, Monasterio introductus, quæ per sæculares Sacerdotes, Sacellanos suos Scapulare benedici, & conferri curant, cum hac ratione Fideles decipiantur, nec legitimè, aut validè admittantur: ideoque Confraternitatis gratijs, privilegijs atque indulgentijs gaudere ac frui nequeant.

QUÆRES II. Utrùm absolutè servanda sit præfata Ordinis Constitutio, quæ Prioribus localibus facultatem interdicit delegandi &c.?

504. Huic quæstioni sic respondet Irenæus *loc. citat. §. 2.* Negativa indè videtur colligi, quod per alias Constitutiones anni 1645. pro reformatis Conventibus videatur derogatum antiquioribus anni 1625. quæ Reformatorum Statuta non habent limitationem istam de localibus Prioribus, imò nihil omninò præscribunt de Confraternitate (excepto *Capit.* 18. *num.* 25. *Partis* 3. ubi dicitur posse Provincialem sacrum Ordinis Scapulare per se vel per alium concedere: & alijs locis, quibus pro Confratribus orandum &c. præcipiunt) eo quod fortè ad solitum Ordinis Cæremoniale recurrendum Patres judicaverint; in quo præfata non legitur restrictio. Nihilominùs hæc ratio nondum est certa & indubitata: nam potest responderi per novas Reformatorum Constitutiones derogari solùm antiquis quoad repugnantia in utrâque Statutorum collatione: cætera verò, quæ novis non adversantur, retinere suum momentum in antiquis. At prædicta limitatio nihil habet in novis oppositum: Ergò non potest censeri per eam illis derogatum. Deindè ex hypothesi, quod admittatur superior derogatio, favebit duntaxat Reformatis, seu ijs, qui acceptarunt novas reformatorum Constitutiones, cum alij teneantur ad observantiam antiquiorum anni 1625. Denique Constitutio laudata ex *Cap.* 18. *num.* 15. *Partis tertiæ*, videtur clarè insinuare nihil immutari hac in parte, nec quicquam de novo concedi Prioribus: alioqui non minùs expressissent Superiores pro Prioribus locatibus, quàm Provincialibus. Quapropter probabiliùs puto nullalenus posse Priores locales hunc in finem delegare, nisi à R. P. Generali, aut Provinciali delegandi facultatem obtinuerint. Hactenus Irenæus, & rectè quidem pro suis Calceatis; apud nostros verò Discalceatos alia praxis viget ac consuetudo, ut supra monuimus, nec præfata Constitutio nobis præjudicat, aut Priores nostros delegandi in his privat potestate.

Priores locales apud Carm. Calceatos delegãdi quoad hæc carent potestate, apud Discalceatos gaudent illa.

QUÆ-

505. Quid possint Regulares aut sæculares Sacerdotes, quando in illorum Ecclesijs extat nostra Confraternitas &c.?

QUÆRES III. Quid alij Regulares, aut Sæculares Presbyteri, quorum in Ecclesijs erecta est Confraternitas in his possint?

RESPOND. Id pendere ab institutionis, erectionisque literis, quibus R. P. Generalis suam mentem declarare solet. Sin minùs, arbitror receptionem Confratrum spectare ad Provincialem, & Priorem localem respectivè ad nostros, seu æquipollentes Superiores in Regularibus Ecclesijs: in Sæcularibus, ad Episcopum, immediatumque Pastorem, id est, Parochum, si Ecclesia, aut Capella ejusmodi, eorundem jurisdictioni aliundè subjaceat: secus verò ad ordinarium Capellæ Ministrum; qui omnes respectivè ad ea, quæ de nostris diximus, poterunt per se, aut per alios Confratrum numero Fideles adscribere. Ephemerides Conventus Carmelitarum Parisiens. SS. Sacramenti, teste Irenæo, observant ad diem 13. Martij an. 1643. quendam Correctorem Ordinis Minimorum petisse facultatem conferendi nostræ Confraternitatis Scapulare in suo Conventu, eamq; obtinuisse à R. P. Vicario Generali ad triennium. *Claudium Aquavivam* Præpositum Generalem Societatis JESU petisse à R mo P. Generali Carmelitarum facultatem sacrum Carmelo-parthenium Scapulare impertiendi omnibus Societatis suæ Religiosis, qui illud desiderarent ac postularent, insinuavimus suprà *Parte* II. *Cap.* 15. *num.* 169. attestantibus R. P. Joanne Pinto in *Hierarchia Carmelitana Tractat.* 5. *Cap.* 4. & Petro Thoma Saraceno, Collegiato Doctore Universitat. Bononiensis ac Consultore sacr. Inquisitionis ibidem, in sua *Informatione spirituali*, seu *Historia sacra* &c. *Parte* septima, a lijsq; cum illis.

Quid obtinuerit circa hoc Claudius Aquaviva pro Soc. JESU?

CAPUT VII.

Satisfit alijs quibusdam dubitationibus circa dicta in superiori Capite.

506. Videtur non posse Laicis delegari facultas Scapulare conferendi &c.

QUÆRITUR IV. Utrùm Laicis à R. P. Generali, aut alijs habentibus delegandi potestatem, delegari possit facultas Scapulare conferendi &c.

RESPONDET Irenæus, ex hypothesi, quod possit, numquam tamen censeri delegatam, nisi id expresse declaretur. Co-

jus hæc est ratio, quod ex præscripto tradendi modo debeat benedici Scapulare ab eo, qui illud tradit alteri: at Laicus incapax est benedictionis Ecclesiasticæ impertiendæ; nec censeri debet Superiorem hanc invertere velle methodum, nisi id manifestè exprimat.

cultas Scapulare cõferendi.

Respond. II. Videri probabiliùs, quod absolutè hæc Laicis facultas possit delegari. Nam nec professio in Ordine ad id requiritur, cum alijs Sacerdotibus extra Ordinem committi soleat, dum in eorum Ecclesijs erigitur Confraternitas: nec Ordo Clericalis, cum is solùm necessarius sit pro beneficijs, aut obtinenda Ecclesiastica jurisdictione, beneficio fori, alijsque ejusmodi, inter quæ Scapulare recenseri non potest: etsi enim res sacra dici queat, tum ratione benedictionis, tum per relationem ad DEIPARAM Virginem, à qua fuit donatum: est nihilominùs illarum rerum è numero, quas semel benedictas ab habente potestatem benedicendi, Sæcularis dare potest, qualia sunt numismata, rosaria, cruces, imagines, &c.

Probabilius tamen est, id fieri posse.

Nec obstat, quod potestas concedendi indulgentias Clericatum supponat: quidquid enim de hujus sententiæ sit probabilitate, profectò qui Scapulare confert, indulgentiam propterea cum authoritate concedere non censetur, sed id distribuit, cujus intuitu summus Pontifex largitus est indulgentias: quod in numismatibus benedictis distribuendis est familiarissimum. Imò nonnulli sæpiùs à summo Pontifice accipiunt certum quendam benedictionum numerum haud designatis in individuo numismatibus, seu rosarijs, quibus debeant adplicari, quas illi postmodum pro arbitrio alijs partiuntur, licet Clerici non sint, nec Ecclesiastici thesauri Domini, seu proprij dispensatores. Ratio præcipua responsionis est, quod possit paterfamilias, quemcunque voluerit adhibere, ut ad participationem bonorum suorum alium admittat. Hic verò est quæstio de vocando in jus & hæreditatem Ordinis; Ergò per quemcunque voluerit, poterit R. P. Generalis alios vocare, & in hæredes adoptare. Nec dicas Laicum non habere authoritatem in bona Ordinis; nam respondetur, habere tunc in ea bona non propriam, sed delegatam: nec proprio, sed delegantis nomine, authoritateq; alios recipere.

507. Qui sacrũ Scapulare confert indulgentias propria authoritate conferre nõ censetur.

Ex quibus consectarium est hanc facultatem posse delegari Fratribus laicis, licet hoc minimè expediat, nullatenusque fieri soleat.

Quid Laici in tali casu observare debeant?

Laici demùm, quibus hæc delegaretur facultas, deberent ab alio habitus benedictionem petere, quamvis etiam omittere possent, cum absolutè necessaria non sit, verùm ex institutione duntaxat & Ordinis præcepto.

508. Porrò præter communẽ illam delegandi rationẽ, occurrit alia distribuendi per Laicos Scapularia. Si nimirùm facultas recipiendi Laico non concedatur, sed solùm designandi personã recipiendam, quàm ita designandã ille, qui habet potestatẽ, adoptet ex eo momento pro tempore quo designaturus sit Laicus. Verbi causa, dicit Petro Generalis. *Ego illos omnes, quibus benedictum à Sacerdote Scapulare dederis, ex hoc momento pro eo tempore in Confratres recipio.* Quemadmodum fieri solitum, diximus alibi, à R.mo Theodoro Stratio pro erigendâ Confraternitate. Hac item ratione multi exponunt modum, quo Abbatissæ excommunicant, suspendunt, &c. ita ut non illæ proprie ferant censuram, sed designant reum, quem mox summi Pontificis afficiat censura: priori Pontificis voluntate moraliter præsente animata, vel ipso Pontifice, juris fictione, considerato tanquam præsente, ut excommunicet ad designationem Abbatissæ. Quod pariter dicendum de Generali, aut Provinciali delegante Laicò facultatem ad distribuendum Scapulare. Licet autem hæc opinio fundamento non careat, nihilominùs in praxi nec usurpanda, nec laudanda videtur, nisi urgens admodum necessitas compellat, cum frequentissimi reperiantur Presbyteri, quibus id muneris magis congruè committi queat.

Tandem advertendum, posse aliquem à Superiore habente authoritatem delegandi, accipere facultatem assumendi benedictum Scapulare à quocunque maluerit Sacerdote, quemadmodum concedi solet pro absolutione in foro conscientiæ.

509. Quæstio curiosa & utilis. Quæritur V. Utrùm si quis non habens facultatem Confratres recipiendi, nonnullos recipiat per præsumptam de futuro rati-habitionem Superioris, valida sit ejusmodi receptio? Theodoricus, verbi causa, Sacerdos, Ordinis professus, mittitur in aliud Cœnobium, occurrunt Fideles in itinere, puta in Ecclesia aliqua, dum celebrat, qui ardentibus votis Scapulare postulant: cogitat apud se deesse sibi facultatem, sed tamen certum se esse moraliter probandam forè à Superiore ejusmodi receptionem, atque eo animo recipit, valebitne receptio? Re-

RESPOND. Valituram ab eo momento, quo Superior ratam habuerit, & non prius. *Prior* assertionis *Pars* probari potest similitudine aliarum donationum, contractuumve &c. qui per hujusmodi rati-habitionem validi efficiuntur, etsi ab initio nullius fuerint roboris aut momenti. Quod non rarò contingere videmus in largitione munerum facta à Regularibus, filijs-familias &c. quas Superior, aut Pater reddit validas, si eas approbat. Confirmatur hoc ipsum ex dictis supra; non enim minùs est potens Superior circa præteritas receptiones probandas, quàm circa futuras, at legitimam potest facere futuram receptionem, cur igitur præteritæ pondus ac valorem suo suffragio, ac rati-habitione non addet? *Posterior* assertionis *Pars* patet ex defectu facultatis in eo, qui primum tradidit Scapulare, quæ cum nulla fuerit, non poterit legitima fuisse receptio, donec legitima eam probaverit authoritas.

HINC colliges Confratrem sic receptum, privandum forè indulgentijs pro ingressu Sodalitij concessis, si illo tempore, quo Superior receptionem approbat, incapax fuerit hujusmodi indulgentiarum. Si verò Superior ratam habere noluerit dictam receptionem, receptus nihil lucrabitur, donec in alium incidat, qui potestatem habeat ejusmodi receptionem approbandi, illamque probet & ratificet. Non videtur verò necessarium, nullitatem primæ receptionis ab alijs tunc cognosci, aut exprimi, sed sufficere, si receptus dicat (quod nonnunquam contingere solet in rusticis) se accepisse Scapulare ab alio sibi occurrente in tali loco, cui alter respondeat, id sufficere: is enim consensus approbat factam receptionem. Sed hæc sententia, licet favorabilis & pia, difficultate non caret modica: siquidem urgeri potest, responsum illud non esse actum reparantis defectum alterius, cum eum ignoret, nec de eo cogitet, sed supponentis ritè factam receptionem, atque ab habente legitimam facultatem. Nihilominùs supplebit facilè, si ore exprimat, aut mente concipiat (*nisi ritè fueris admissus, ego te nunc admitto*) verùm de hoc recipiendi modo idem esto judicium, quod de infra dicendo pro absente, scilicet, dubium esse, ac periculosum, nec unquam (si fieri potest) practicandum. 510.

CÆTERÙM distinguendum est inter licentiam *interpretativam*, & præsumptam *per futuram ratihabitionem*.

511. Quomodo differant inter se licentia interpretativa & præsumpta per futuram ratihabitationem.

PRIOR illa actum præcedit, ac præsens est dum exercetur, censeturque valida, cum ex circumstantijs probabiliter aliquis concludit in sana conscientia, *id est*, non malitiosa, at recta & sincera secundùm doctrinam & mores, eam fuisse sibi concessam facultatem: tunc verò non eget probatione Superioris, quia habet de facto licentiam per interpretationem mentis sui Superioris.

POSTERIOR actum subsequitur, expectatque Superioris suffragium hoc modo: *Puto gratum id fore, & ratum Superiori.* Hæc item nō est interpretativa: *Certus sum, quod si Superior cogitasset, eam mihi dedisset facultatem*: licet enim mentem Superioris interpretetur, non potest tamen concludere fuisse de facto concessam, sed concedendā.

512. Absenti sacr. *Scapulare* cōferri potest.

QUÆRITUR VI. Utrùm Fideles Confraternitatem ingredi cupientes, debeant personaliter comparere in loco admissionis, seu Sodalitij?

Dubitavit de hoc Navarrus, dum Rosarij Confraternitati nomen dedit; sed tandem id licere affirmat, eo quod lege nulla Divina, naturali, positiva, aut alia qualibet inhibitum sit. Ita ille in *miscell. de Oration. sub num.* 23. vers. *dubitatur secundò.* Idem quoque docet Bordonus *Tom.* 2. *Consil. Regul. resolut.* 72. *n.* 16. Quia hic actus est talis conditionis, ut per alium celebrari possit, cum solùm requirat exhibitionem nominis, acceptationem & descriptionem in libro Confraternitatis. Addit tamen idem Bordonus requiri præsentiam, quando ingredi volens Confraternitatem habitu aliquo induendus est, aut cingulo cingendus &c. verùm hoc quoque præstari potest per alium, inquit Zachar. Pasqualigo, cui id munus committatur. Sic etiam per tertiam personam exhiberi solet habitus Equitum &c. Hanc quoque sententiam probabilem reputat Irenæus supracitatus: nam Scapulare conferre, seu in Confraternitatem recipere, actus est moralis simul & physicus, qui cadere potest in absentem. Actus *moralis* huc spectans, est voluntas & intentio admittendi, quæ ferri potest in absentem, ut de se est evidens. *Physicus* est ipsa traditio habitus, quæ & ipsa exerceri potest per mediatorem.

Part. 1. *observationū ad controversias Episcopos inter & Regular. Laureti de Franchis num.* 237.

513. IMÒ è numero Sodalium repellendus non videtur, qui per epistolam receptus fuisset hoc, similivè modo: *Tali die, & hora admitto te.* Vel, *Ex hoc momento admitto te, pro tali die & hora, in Confratrum nostrorum numerum: quapropter eodem illo tempore designato SCAPVLARE*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

indue, ac paratus esto, ad obtinendam indulgentiam pro die ingressus concessam. Quod si ille dispositus non fuerit ad indulgentias consequendas, sed tamen habitum induerit præscripto tempore, valebit receptio, licet indulgentias minimè lucretur, indulgentiarum quippè lucrum adventitium planè est ad receptionem. Qua ex doctrina recipi poterit persona absens, at determinata. Alius verò proponi potest modus recipiendi personas indeterminatas: videlicet, si certum benedictorum Scapularium numerum alicui committat ille, qui recipiendi Sodales potestatem habet, asserens se in Confratres adoptare omnes eos, quibus ejusmodi Scapularia impertitus fuerit. In his verò casibus idem sentiendum de hujusmodi distributione, quod de cæteris donationibus absenti factis, nempè expectandam esse acceptationem, ut consummetur &c.

Animadversio impensè notanda circa præfatas opiniones.

HÆ sententiæ licet speculativè defendi possint, in praxi tamen consulendæ non sunt, ut benè advertit *loc. citat.* P. Irenæus, nisi summa urgeat necessitas, ne Fideles periculo exponantur irritæ receptionis. Immò cum ex eo ritu, sacra nostra Confraternitas in contemptum venire possit, non existimat præfatus Author, immunem fore à peccato, qui absque gravissima causa illas practicaret.

§ 14.

Potest quis sacro Scapulari exspoliari, & quare, & quando?

QUÆRITUR VII. Utrùm Confrater habitu sacro spoliari, & nomen ejus ex Confraternitatis albo expungi queat?

RESPOND. Non solùm posse, verùm etiam debere, quando gravis subest causa, potissimum verò scandalum, quod in Confraternitatis contemptum verteretur. Sicut enim, ut supra *Part. VI. Cap. 4. circa finem* innuimus, manifestè facinorosis, aut vitam exlegem, cum publica offensione, agentibus, Parthenius habitus conferendus non est, eo quod redundaret in sacerrimi laudatissimiq; Sodalitij dedecus atq; infamiam, ita eandem ob causam tales illo privandi sunt. Hoc verò faciendum non est, nisi prius, juxta debitum fraternæ correctionis ordinem, tales moniti fuerint, & minimè resipuerint: quia extremum remedium (qualis est membri abscissio) adhibendum non est, nisi tentata fuerint leviora. Hujusmodi porrò expulsio, habitusq; sacri exspoliatio ab ordinario Confraternitatis Superiore respectivè, in quolibet loco faciēda est, videlicet à Generali in toto Orbe, à Provinciale in sua Provincia, ac Priore locali in suæ jurisdictionis districtu.

CAPUT VIII.

De Scapularis forma, materia, colore, gestandi modo &c.

515. Quid sit Scapulare?

SCAPULARE dictum est à *Scapulis*, estq; vestimentum, seu tegumentum scapularum, seu humeroram: ac genus vestis monasticæ, quæ quod duobus pannis hinc inde dependentibus ex parte transversa, per humeros expansa contineatur, interdum *Crux* dicitur; atque græcè ἀναλαβος nuncupatur. Quod verò idem sit Scapulare cum Analabo, explicatissimè tradit S. Dorothæus *Doctrin.* 11. inter exponendum Monachales vestes: *Analabus*, inquit, *ponitur in formam Crucis super humeros nostros. Hoc est, Crucis symbolum gestamus, juxta id quod dicit*, Tolle Crucem tuam. Et inferiùs: *Habemus & Analabum, id est, SCAPALARE, ab humeris pendens, quod est CRUX.* Similiter S. Ephrem in *vita S. Juliani*, agens de puero monastica hac veste amicto, quem homo nequam interventu Satanæ scrutans thesauros, abduxerat in specum Dæmonibus infestam, ait: *Dæmon conspecto Crucis signo, quo puer amictus & consignatus erat; non est ausus ei nocere. nam cum Analabo adduxerat eum vir ille.*

Variæ ejus nuncupationes ac mysticæ significationes exponuntur.

516. HINC SCAPULARE appellatur aliquando *Vestis Apostolica*: eo quod scilicet Apostoli ex Christi Servatoris nostri monito sumpserint Crucem suam, & secuti sint Dominum; quod ipsum præstant, qui Religiosam vestem suscipiunt. Quod si Græci, Habitum Religiosum, passim vocant *Schema*, sive *Habitum Angelicum* (id quod etiam de habitu Benedictinorum, dixit Petrus Damiani *Opusc.* 23. *in fine*, adducens BONIFACIUM IV. id asserentem) quidni possit Habitus Religiosus appellari *Vestis Apostolica*: quàm qui induit, Crucem ipsam videtur assumere?

517. JOANNES XLIV. Hierosolymitanus Antistes in suo, *de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium*, Opere *Cap* 39. vel 46. juxta novissimam ejus editionem, SCAPULARIS, sive superhumeralis, ut ipse etiam appellat, formam, mysticamque ejusdem significationem paucis describit & exponit: affirmatque priscos Carmeli montis Monachos, etiam in lege vetri

ge veteri illud gestasse: licet in nova lege hæc vestis primum cæperit dici *Scapulare*, cum anteà *superhumerale* nuncuparetur.

In quo discrepent *Scapulare* Religiosorum & Cõfratrum?

Differt autem SCAPULARE Religiosorum hujus Ordinis à Scapulari Confratrum: illorum enim constat ex duobus supra humeros inter se immediatè assutis pannis longioribus, latis sesqui palmo, aut duobus circiter palmis: Confratrum verò ex duobus panniminoribus, puta dimidij palmi in longum latumque: qui sibi mutuo non immediatè adhærent, sed ligaminibus seu funiculis, longioribus, aut brevioribus, cujusq; ad arbitrium, connectuntur. Quod discrimen ortum fuisse, ex difficultate gestandi amplum Ordinis Scapulare cum sæculari veste, facilè conijcere licet; maximè cum sanctissima Virgo panni quantitatem non consideret in beneficio, sed formam; ita ut possit repræsentare SCAPULARE Carmeloparthenium, quod benevolentiæ, beneficentiæque suæ eximijs muneribus illustrare dignata fuit.

518. Scapulare cujus debeat esse materiæ?

QUÆRES, Ex qua materia conficiendum sit Scapulare?

RESPOND. Confici debere & solere ordinariè ex panno, & quidem laneo. Probatur *primò* ex communi, receptoque Ordinis nostri usu, cujus Professi ex rudiori ac viliori panno vestiri solent ac debent, ad exemplũ sanctissimæ, Evangelicæq; paupertati addictissimæ Virginis MARIÆ, cujus vestimenta ex SS. Patrum sententia non serica fuêre, sed lanea nativi coloris, fusci, seu grisei ad nigredinẽ tendentis, quàm Confratres ejusdem æmulari quoque omninò convenit. *Secundò*, Homines ut plurimum lana vestiri solent: At Scapulare genus est vestis: Ergò &c. *Tertiò*, Pannus communiter supponit pro laneo, (secundùm magis usitatũ loquendi modum) quàm pro lino, serico, alijsque ejusmodi generibus, quorum & usus rarior, & apud pauciores reperitur. Si quis tamen in honorem DEIPARÆ Virginis parvum Scapulare ex pretioso panno conficeret, damnandus minimè videtur: caveat verò, nè à paupertate Virginis Matris deficiat, quæ ubique, tum in victu, tum in amictu, cæterisque omnibus illam impensè coluit & affectavit: memineritque Heraclium Imperatorem, auro gemmisq; ornatum, ad Calvariæ montem Crucem Domini deferre prohibitum, quo postmodum, plebeio amictu indutus, facilè pervenit.

519.

QUÆRES II. Cujus coloris debeat esse Scapulare?

RESP.

Cujus coloris?

RESPOND. Debere esse castanei seu fusci coloris, quantùm fieri potest, cum servandus sit color Ordinis: quod autem fuscus, sive griseus subniger color, proprius sit Carmelitarum Ordini, probant multis argumentis P. Cyprianus à S. MARIA in suo Thesauro 1. *Part. Cap.* 24. & P. Leo à S. Joanne in suo Opere inscripto, *Typus vestis Religiosæ, sect. 6. & 7.* Servandum verò esse colorem Ordinis, cujuscunque etiam pretij pannus assumatur, ex eo constat; quod non quælibet vestis assumitur, dum Confraternitati Carmelo-partheniæ nomen datur, sed Carmelitica: vestes autem ejusmodi, formâ potissimum & colore solent discerni: Ergò ab ijs temerè recedendum non est, nè periculum inanis cultus, aut magis vani, quàm proficui incurratur.

Quid si ob inopiam, alterius, aut diversi sit coloris?

Advertendum hic cum P. Irenæo pro rusticis atque simplicibus, qui præ inopia ac paupertate Scapulare conficiunt ex panno alterius, aut diversi coloris, quod præsumendum non sit, quod benignissima Virgo, humilium ac simplicium singularis Patrona, defutura sit eorum sinceræ, simplicique pietati ac devotioni, cum his maximè oblectetur. Imò rude ejusmodi hominum Scapulare etiam ex diversi coloris conflatum fragmentis, eorundem fide ac devotione ornatum, pretiosis aliorum Scapularibus, etsi acu pictis &c. quorum minor est pietas, longè præfert Cælorum Regina. Quod pari in casu sensit noster JOANNES XLIV. Hierosol. Antistes *Hom. 5. in Job sub finem*, his verbis: *Etsi quispiam ex simplicitate peccaverit, DEVS ad rectum redigit ex simplicitate factum.*

520.

Quid de acu pictis aut ex serico confectis sentiendum?

QUÆRES III. Quid ergò sentiendum sit de Scapularibus acu pictis, aut alijs ex albo, rubro, cæruleo, aut simili serico confectis?

RESPOND. Illa posse videri suspecta, cum nec Carmelitica quoad materiã, aut colorem repræsentent Scapulare, nec B. SIMONI nostro sanctissima Virgo simile donavit. Parùm verò vel nihil refert, quod in istis pannus griseus, aut fuscus subijciatur serico ex adverso; cum ejusmodi adversa pars censeatur minor, habeaturque ferè contemptui in quolibet vestimento: adeò ut scisciranti, quo ex panno confecta sit vestis? non soleat responderi secundùm minorem adversamque partem, verum juxtam primariam: similiter ergò Scapulare istud dicetur confectum è panno albo, licet ex adverso habeat subnigrum, fuscum aut castaneum.

Ratione

Ratione verò formæ defendi poterunt tanquam legitima, eo quod secundùm communem usum Carmelo-parthenium repræsentent Scapulare; & acu picta etiam aliquatenus ratione coloris, si scilicet pannus exterior, cui acu pictura inhæret, sit coloris fusci aut castanei. Imò nonnulla hujusmodi acu picta Scapularia miraculis insignivit DEIPARA Virgo, uti retulimus inter alia in nostro CARMELO THAUMATURGO *libro primo ad annum* 1648. de quodam milite in Iprensi obsidione. Hujus quoque meminit miraculi Raynaud. 1. *Part. Cap.* 6. Quàm verò parùm sibi complaceat Cælorum Regina in superfluo, & fortè vano sacri Habitus sui ornatu, manifestasse videtur, in admirando illo facto, dum an. 1630. in quodam Austriæ pago ad Danubium sito, non solùm latè grassantes, eunctaque depascentes flammas, per injectum sacrum SCAPULARE, momento repressit, verùm etiam illud inter ipsas flammas prorsus sine noxa divinitùs servavit, consumptis duntaxat, quibus circumdatum erat, denticulatis lacinijs. Vide de hoc prodigio *lib.* 1. Carmeli Thaumaturgi *ad ann.* 1630. Nota prodigium.

QUÆRES IV. Cujus debeat esse magnitudinis Scapulare? **521.** Cujus debeat esse magnitudinis sacrũ Scapulare?

RESPOND. Nihil circa hoc determinatè statutum reperiri, aut in Pontificijs, aut in Ordinis de Confraternitate Constitutionibus, conveniunt tamen communiter in hoc Authores, quod ut minimum ordinariè habere debeat quatuor digitos latitudinis, & sex longitudinis, seu, ùt supra etiam innuimus, medium palmum in longum & latũ: qui autem majus gestare voluerit, optimè faciet, ut nonnulli pientiores solent.

QUÆRES V. Utrùm effigies DEIPARÆ Virginis Scapulari necessariò inesse debeat? **522.** An Deiparæ imagine insignitum?

RESPOND. Id quidem absolutè necessarium non esse, cum nulla id lege, aut constitutione præcipiatur: commendanda tamen illorum Confratrum est pietas in sanctissimam Virginem, qui ejusdem imaginem Scapulari affixam gestare consueverunt, juxta complurium Sanctorum exempla, qui effigiem Reginæ Cælorum continuò secum gerere solebant: & Marianam hanc pietatem in suis Confratribus, admirabilis Virgo non paucis, nec modicis prodigijs approbare atque confirmare voluit, ut satis constat ex compluribus, admirandisque successibus à me in *Carmelo Thaumaturgo* recensitis.

523. In qua corporis parte & quomodo gestandum?

QUÆRES VI. Quomodo, aut in qua corporis parte Scapulare gerendum sit?

RESPOND. Modum gestandi Scapulare satis ex eo colligi posse, quod sit vestimentum, cujus proprium est indui, non autem in una vestis parte consui, in pera geri, vel ex zona pendere ad modum Rosarij &c. nedum in Oratorio, aut arca, aut alibi servari: in Bullis quippè dicitur: *qui gestaverint &c.* Ergò Mariana hæc Vestis à Confratribus gestanda erit, parte una ab humeris ad dorsum, altera ad pectus pendente: nec, quantum in ipsis fuerit, unquam dimittenda, verùm continuò, noctu diuque gerenda, etiamsi vivant in conjugio: cum enim nullo die, aut hora homo de vita sua securus sit, potentissimum Virginis Matris præsidium nullo tempore (si sapere velit) debet deserere, *in quo quis moriens, æternum non patietur incendium*, ut supra 1. *Part.* C. 10 *& seqq.* exposuimus. Laudanda profectò eorũ ad Parthenium hunc habitum devotio, qui etiã cum illo sepeliri eligunt, ut vel sic, nec vivi, nec mortui susceptum sanctissimæ Virginis cultum videantur negligere. Porrò quàm DEO, DEIPARÆque accepta sit hæc pietas, evidenter demonstrant complura, post longã annorum seriem, multis in locis, sæpiùs integra prorsus incorruptaque in ipsis sepulchris servata divinitùs Scapularia, cadaveribus cum indumentis, cæterisque omnibus penitus putrefactis atque in cineres redactis. De his non semel disserui *Libro I. & II. Carmeli Thaumaturgi.*

Laudanda illorum pietas, qui cum eo tumulari eligunt, miraculisque comprobata.

524. An non valeat alio modo à supradicto gestari?

QUÆRITUR VII. Utrùm absolutè permitti possit, ut gestetur assutum alicui vestis parti, aut modo aliquo diverso à supradicto?

RESPONDET ad hanc quæstionem Irenæus, se nihil hac de re audere statuere: & quod, si id fiat ex quodam Religiosi cultus pudore, indignum arbitratur ejusmodi hominem, cui beatissima Virgo suæ promissionis beneficium impertiatur: idemque dicendum videtur de illo, qui ad subterfugiendam modicam illam incommoditatem, quàm in Scapularis gestatione fortè experitur, id faceret, nisi alio ex titulo excusaretur. Si justa de causa porrò id agat, misericordiæ Mater, voluntatis potiùs quàm operis videtur rationem habitura.

525. QUÆRITUR VIII. Quid faciendum sit, si Scapulare aut amissum, aut usu vel vetustate attritum fuerit?

RESPOND.

RESPOND. Posse & licere aliud subrogare, idque toties quoties in prædictis casibus. Utrùm verò hoc, quod in vicem alteriùs substituitur, sit necessariò de novo benedicendum, percontaberis? Respondeo, laudabile quidem & pium esse, si id fiat, absolutè tamen id nequaquam esse necessariũ, uti uberiùs exposuimus *Part. VII. Cap. 5. num. 401.*

Quid agendum si Scapulare amissum, vel vetustate consumptum fuerit? utrùm de novo benedicendum?

QUÆRITUR IX. Utrùm, sicut juxta jam dicta, quilibet Confratrum potest antiquum cum novo permutare, ita quoque ille, qui aliquando sacrum Scapulare dimisit, possit per seipsum aliud sufficere & assumere, aut debeat denuò ab habente facultatem aliud recipere? 526.

Quid agẽdum illi, qui Scapulare dimisit, aut longo tempore ferre intermisit?

RESPOND. Debere denuò recipi ab habente facultatem, si Confraternitati renuntiaverit: quia per renuntiationem è numero Confratrum deletur; ad quos, sicuti aditus non patet, nisi per legitimos Superiores, ita nec reditus. At si habitum ferre neglexerit, non quidem Confraternitati renuntiando, sed compulsus aliqua animi molestia, aut corporis dolore &c. vel usu attriverit, nec de illo aut alio resumendo fuerit solicitus; etsi videri posset, sufficere emendationem & resumptionem factam per seipsum, tamen consulendum videtur (inquit Irenæus) ut ab habente potestatem de novo accipiatur; potissimum, si à longo tempore Scapulare dimiserit, quia tacita tunc renuntiatio interveniisse censetur.

Nec obstat, si dicas, parem esse rationem de habitu Religioso, quem si dimiserit Professus animo apostatandi, potest nihilominùs resumere, & ad Religionem redire absque nova per Prælatum solemni receptione. Respondetur namque, casum esse longè diversum; eo quod Religiosa Professio rescindi nequeat per Professi renuntiationem: cui obstat votorum subsistentia & firmitas: at pactum nostræ Confraternitatis cum nec voto, nec Sacramento stabiliatur, dissolvi potest Confratris renuntiatione, sanctissima Virgine integrum libertatis exercitium Confratribus permittente, ut perseverent, aut renuntient.

QUÆRITUR X. Utrùm aliorum Ordinum Regulares, qui Carmeliticum Scapulare ante, vel post Professionem assumpsêre, 527.

debeant, præter Scapulare Ordinis sui proprium, gestare aliud parvum simile illi, quod Sæcularibus tribui solet?

Quid faciendum aliorum Ordinum Regularibus in hanc Confraternit. admittì desiderantibus &c.

RESPOND. Affirmativè, loquendo de ijs, qui aut nullum, omninò ex sui Ordinis instituto Scapulare gerunt, quales sunt Professi Ordinis Seraphici, alijque similes: aut si illud gestant, diversi tamen coloris à Carmelitico, uti Ordinis Prædicatorum alumni. Hujus ratio est, quod color in hujusmodi vestimentis censeatur una è præcipuis differentijs; nec Scapulare album, rubrum &c. potest ulla ratione dici, aut repræsentare Carmeliticum. Loquendo verò de illis, qui ex Ordinis sui instituto Scapulare gestant fuscum, aut subnigrum: *Respondetur* negativè; sufficitque proprium, nec assumendum aliud parvum. Cujus ratio ex jam dictis liquet: tale quippè Scapulare in forma & colore convenit cum Carmelitico, Ergò non videtur assumendum aut gerendum aliud. Ita Irenæus *loc. supracitat.* §. 4.

528. NEC obest, si fortè assutum habeat Caputium: nam adventitium & contingens est in nostro Ordine, quod Caputium à Scapulari sit solutum, aut cum eo connexum, Quod si objcias, duo diversa instituta, uno in Scapulari convenire non posse. Respondebo id optimè fieri posse, nec ulla in hoc apparet repugnantia: imò si per similitudines hoc confirmare velimus, adferri valebunt innumeræ. Uno in numismate, aut Altari plures possunt conjungi indulgentiæ, ac de facto sæpiùs conjunguntur, tum pro vivis, tum pro defunctis. Verbi causa, unum idemque numisma deputari, ac benedici poterit pro S. Caroli simul ac quinque Sanctorum indulgentijs lucrandis, Item qui lucratur pro se plenarias, potest eodem actu & in eodem Altari lucrari pro defunctis, si ex sint pro defunctis à Pontifice applicatæ. Una in Ecclesia & Altari plures celebrantur Confraternitates, adeò ut unum & idem Altare pluribus titulis sit sacrum. Uno eodemque actu satisfieri potest pluribus, distinctisque virtutibus, verb. gratia, una salutatio facta parenti & inimico simul occurrentibus, erit pietas in parentem, ac charitas ergà inimicum. Ex opposito idem potest actus affici duplici malitia, v. g. furti & fornicationis, ut si quis furetur, ut fornicetur: etsi enim ille potius sit fornicator, furem tamen esse nemo negaverit. Mitto alia propemodum infinita, ut concludam non amplius repugnare duo instituta

uno Scapulari uniri, quàm duas virtutes in eodem actu, duas indulgentias in eodem subjecto &c.

Accedit & alia ratio, ex ipsismet Confratrum muneribus deducta. Vidimus suprà voluisse DEIPARAM Virginem, per jejunium, continentiam, Officij recitationem, similiaque opera (alias obligatoria) posse satisfieri Confraternitatis suæ debito & muneribus: Ergò non videtur abhorrere institutio ab eo, quod in uno Scapulari cumulentur dona & debita, veluti eodem actu impletur præceptum Ecclesiasticum jejunandi, & obtinetur indulgentiæ Sabbatinæ privilegium.

Hinc existimat Irenæus *ubi supra*, aliud talibus Regularibus non esse conferendum Scapulare, dum admittuntur, verum apprehendendum esse proprium illorum dicendo: *Accipe vir devote*, &c. debebit tamen benedici, precesque consuetæ recitandæ erunt, eo quod indè augeatur convenientia cum Carmelitico, & ut satisfiat statuto hæc præscribenti.

CAPUT IX.

Modus benedicendi Scapulare, recipiendiq; Confratres.

CUm benedicendum fuerit Scapulare, atque alicui conferendum, subsequentia parata atque præsto esse debent. I. Liber Ritualis subjectam continens benedicendi formulam. II: Aqua lustralis cum aspergillo. III. Duo cerei, aut unus saltem, accensi. IV. Rocchetum sive superpelliceum (nisi hujus loco quis uti velit pallio albo Regulari) cum stola. V. Liber Confraternitatis cum requisitis ad inscribendum Confratrum recipiendorum nomina, Nonnulli advertunt, in inscriptione adjungendũ esse diem, mensem & annum: & hunc quidẽ annotari omninò convenit. Benedicendum autem est Scapulare ad Altare B.mæ MARIÆ Virginis de monte Carmelo, sive Confraternitatis ordinariè saltem ac regulariter.

529. Quænam necessariò adesse debeant pro benedictione Scapularis, & Confratris admissione? Notanda sunt hæc.

Formula benedicendi habitum, seu Scapulare pro Confratribus Ordinis nostri.

Genuflexo, qui recipere debet habitum, Sacerdos stans dicat:

SUscepimus DEUS misericordiam tuam in medio Templi tui: secundùm nomen tuum DEUS, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est Dextera tua.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. DEUS meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

SUscipiat te Christus in numero Fidelium suorum, & licet indigniTe suscipimus in orationibus nostris, concedat tibi DEUS per Unigenitum suum, Mediatorem DEI & hominum, tempus benè vivendi, locum benè agendi, constantiam benè perseverandi, & ad æternæ vitæ hæreditatem feliciter perveniendi; & sicut nos hodie fraterna Charitas spiritualiter jungit in terris, ita Divina pietas, quæ dilectionis est auctrix & amatrix, nos cum Fidelibus suis conjungere dignetur in Cælis. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cælum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Do-

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ÆTerne Pater, & Omnipotens DEUS, qui Unigenitum tuũ vestem nostræ mortalitatis induere voluisti: obsecramus immensam tuæ largitatis bene ✠ dictionẽ in hoc genus efflluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ & humilitatis indicium à renuntiantibus sæculo gestari sanxerunt, & sic ipsum bene ✠ dicere digneris, ut quicunque eo usus fuerit, induere mereatur ipsum Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

SUppliciter te Domine rogamus, ut super hunc habitum servo tuo imponendum, bene ✠ dictio tua benigna descendat, ut sit bene ✠ dictus, atq; Divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium & invisibilium tela nequissima. ℟. Amen.

His dictis aspergit habitum aqua benedicta: quem Confratri imponendo dicit:

ACcipe vir devote, hunc habitum benedictum, precantes sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, & te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. ℟. Amen.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum, quem nostræ sacræ Religioni sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeat famulari.

PRotege Domine famulũ tuum subsidijs pacis, & beatæ MARIÆ semper Virginis patrocinijs confidentem, à cunctis hostibus redde securum.

BEne ✠ dicat te Conditor cæli & terræ, DEUS omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatissimæ Virginis MARIÆ de monte Carmelo Societatem & Confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, & tandem, tanquam Victor, palmam

mam & coronã sempiternæ hæreditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat Confratrem aqua benedicta, & subjungat dicens:

EGo authoritate, qua fungor, & mihi concessa, recipio te ad Confraternitatem nostræ sacræ Religionis, & investio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis: in nomine Patris, & Filij, ✠ & Spiritus sancti. ℟. Amen.

His expletis describatur nomen Confratris in Confraternitatis Codice.

Si plures simul sint recipiendi, dicatur, ut sequitur.

530. SUscepimus DEUS misericordiam tuam in medio Templi tui, secundùm nomen tuum DEUS, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est Dextera tua.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos &c. ℟. Sed libera &c.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. DEUS meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SUscipiat vos Christus, in numero Fidelium suorum, & licet indigni vos suscipimus in orationibus nostris, concedat vobis DEUS per Unigenitum suum, Mediatorem DEI & hominum, tempus benè vivendi, locum benè agendi, constantiam benè perseverandi, & ad æternæ vitæ hæreditatem feliciter perveniendi, & sicut nos hodie fraterna Charitas spiritualiter jungit in terris, ita Divina pietas, quæ dilectionis est auctrix & amatrix, nos cum Fidelibus suis conjungere dignetur in Cælis. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Sit

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ÆTerne Pater, & omnipotens DEUS, qui Unigenitum tuum vestem nostræ mortalitatis induere voluisti: obsecramus immensam tuæ largitatis bene ✠ dictionem in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ & humilitatis indicium à renuntiantibus sæculo gestari sanxerunt, & sic ipsum bene ✠ dicere digneris, ut quicunque eo usi fuerint, induere mereantur ipsum Dominum nostrum JESUM Christum, Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

SUppliciter te Domine rogamus, ut super hos habitus servis tuis imponendos, bene ✠ dictio tua benigna descendat, ut sint bene ✠ dicti, atque Divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium & invisibilium tela nequissima. ℟. Amen.

His dictis aspergit habitus aqua benedicta, & singulis suum imponens, cuilibet dicit:

ACcipe vir devote hunc habitum benedictum, precantes sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, & te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. ℟. Amen.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & hos famulos tuos, quos nostræ sacræ Religioni sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeant famulari.

PRotege Domine famulos tuos subsidijs pacis, & beatæ MARIÆ semper Virginis patrocinijs confidentes, à cunctis hostibus redde securos.

BEne ✠ dicat vos Conditor cæli & terræ, DEUS omnipotens, qui vos eligere dignatus est ad beatissimæ Virgi-

nis MARIÆ de monte Carmelo Societatem & Confraternitatem, quàm precamur, ut in hora obitus vestri conterat caput serpentis, qui vobis est adversarius, & tandem, tanquam Victores, palmam & coronam sempiternæ hæreditatis consequamini. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat Confratres aqua benedicta, & subjungat dicens:

EGo authoritate qua fungor, & mihi concessa, recipio vos ad Confraternitatē nostræ sacræ Religionis, & investio, ac participes vos facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis: in nomine Patris, & Fi ✠ lij, & Spiritus sancti. ℟. Amen.

Si femina recipienda sit, dicatur, Accipe mulier devota *&c. & loco* famulum tuum, famulam tuam. *Et sic de cæteris.*

Si absit, qui Scapulari induendus est, & ipsum solum benedicendum sit, omissis cæteris, inchoandum est à vers. Adjutorium nostrum. *usq; ad Orationem* Suppliciter. *inclusivè.*

531. Quænam observanda sint in ipsa benedictione?

CIRCA hunc benedictionis modum & formulam nonnulla animadvertenda occurrunt. I. Recipiendus (nisi infirmitate, aut alia ex causa legitimè impediatur) non modo, dum recipit Scapulare, verùm etiam cum illud benedicitur ac superiores preces recitantur, genuflectere debet: Sacerdos verò stare, saltem cum habitum benedicit; quia hoc observat Ecclesia in rebus alijs, aut similibus benedicendis, puta cereis, palmis, aqua, cineribus, &c. ac dum imponit Confratri Scapulare, eo quod actum tunc alicujus exerceat authoritatis: imò etiam ad preces stare magis convenit, juxta Ordinis Cæremoniale.

II. Sacerdos in benedicendo Scapulari roccheto sive superpelliceo vestitus, ac stola amictus esse debet, juxta consuetum Ecclesiæ ritum ac morem in similibus Ecclesiasticis benedictionibus, aut saltem pallio albo Regulari cum stola.

III. Advertendum, quod præfata benedictionis formula absolutè necessaria non sit ad validam receptionem: ad hanc quippè sufficit legitima Scapularis traditio. Præscripta tamen formula nequaquam omittenda est, absque gravi necessitate: tum, quia universali consuetudine & praxi in toto Ordine recepta est: tum, quia Constitutiones sive Cæremoniale Ordinis eam præcipiunt, & obligationem

tionem illam adhibendi imponunt : tum etiam, quia plurimum momenti habet, uti omnes ſimiles Eccleſiaſticæ Benedictiones. Videantur quæ circa hæc diſſeruimus *Parte VII. Cap. 5. num. 401. & ſeqq.*

532. IV. Advertendum tria potiſſimum contineri in ſuperiori formula. 1. *Scapularis benedictionem.* 2. *Ejusdem collationem.* 3. *Receptionem ad Ordinis ſpiritualia bona.* BENEDICTIO continetur antiph. *Suſcepimus.* cum ſubſequentibus verſibus & orationibus, &c.

Collatio illis verbis : *Accipe vir devote.* & ſequentibus.

Receptio ad Ordinis beneficia iſtis : *Ego authoritate* &c. *recipio te* &c. *& participem facio omnium bonorum ſpiritualium ejuſdem Ordinis* & cæt.

Hæc duo poſtrema videntur olim diſtincta fuiſſe, ut colligere eſt ex antiquo Ordinis Cæremoniali, atq; Statutis venerab. P. Joan. Soreth, quorum in fine legimus, modum recipiendi ad Ordinis bona ſpiritualia, nulla ſacri Scapularis facta mentione : Ergò tunc non videtur ijs tribui ſolitum, qui ad beneficia Ordinis admittebantur : aut abſque ulla benedicendi ac tradendi formula debuit conferri, quod credibile minimè videtur.

533. V. Animadvertendum ex Ordinis Cæremoniali *libr. 2. rubr. ult.* & Conſtitutionibus 4. *Part. Cap. 28.* quoad formulam recipiendi ad Ordinis beneficia, *Ego* &c. *participem te facio omnium bonorum ſpiritualium Ordinis.* &c. mutandum eſſe nomen *Ordinis* in nomen *Provinciæ*, aut *Conventus*, pro diverſitate Superiorum recipientium. Si enim ſit Generalis utetur prædictis verbis : ſi Provincialis, dicet loco illorum *hujus Provinciæ* : ſi Prior localis, *hujus Conventus* &c. quod adhuc ſervandum eſt, niſi ſpeciali ex privilegio aliud ſit conceſſum, uti pro Turonenſi ſua Provincia P. Irenæus affirmat conceſſiſſe, in perpetuum R.mum Theodorum Stratium ; ut ſcilicet, Delegati à Provinciali ad conferendum Scapulare, recipiant nomine Generalis ad beneficia totius Ordinis. Idipſum obſervatur apud noſtros Carmelitas Excalceatos, quippè non ſolùm Præpoſiti Generales utriuſque noſtræ Congregationis, verùm etiam Provinciales, ac Priores, & ab ipſis deputati, in tradendo Scapulari Confratres recipiunt ad bona ſpiritualia totius Ordinis.

Nota diverſum modum Confrarres recipiendi ad Ordinis beneficia?

534. AT dicet fortè aliquis, hæc diſtinctio nulla, ac ſuperflua prorſus videtur, cum CLEMENS VII. Confratres participes reddide-

rit, non modo bonorum spiritualium totius Ordinis Carmelitarum, verùm etiam universalis Ecclesiæ: censentur ergò ex indulto Apostolico admissi ad suffragia ac beneficia totius Ordinis, non verò unius duntaxat Provinciæ, aut Conventus, sive Generalis, sive Provincialis, sive alius quispiam eos receperit.

Duplex bonorum spiritualiũ ordo seu portio distinguitur.

RESPOND. Verùm esse quod opponitur, quoad partem à Pontifice Confratribus in bonis Ordinis assignatã, non verò de parte illa, quam ipsi Superiores Ordinis (cupientes Parthenium habitum, quem habent charissimum, suis votis ornare, atque bonis proprijs illum gerentes cumulare) liberalissimè addidêre parti à Pontifice concessæ. Romanus quippè Pontifex (sicuti supra etiam diximus *Parte III. num.* 216.) ita est Dominus bonorum Ordinis spiritualium, uti & quorumlibet aliorum Ecclesiasticorum, *ut proprium*, infrà ipsum, Superiores *Dominium* habeant: vi cujus dispensare possunt spiritualem Ordinis thesaurum: imò inter ipsos Prælatos Ordinis majores ac minores eadem servanda est proportio *Dominij* & *Dispensationis*, juxta gradum suæ jurisdictionis. Videantur, quæ *loco citat.* diximus: ex quibus etiam constat, præfatam clausulam: *Ego authoritate* &c. non esse intelligendam de parte per summos Pontifices, sed per Prælatos Ordinis Confratribus assignata ultra concessam à Sede Apostolica. Hinc sequitur, quod Confratres privabuntur participatione meritorum ab Ordine concedi solita, si dicta clausula, *Ego authoritate* &c. omitteretur, fruentur tamen parte bonorum Ordinis, uti & Ecclesiæ, à summis Pontificibus adsignata & impertita.

Romanus Pontifex quomodo sit Dominus bonorum spiritualiũ Religiosorum atq; Ecclesiasticorũ.

535. Potestas recipiendi ad Ordinis beneficia differt à potestate sacrũ conferendi Scapulare.

VI. Animadvertendum potestatem recipiendi ad Ordinis bona spiritualia distinctam esse à facultate conferendi Scapulare ex eisdem Constitutionibus: nam *Cap.* 28. *num.* 7. statuunt Reverendissimum pro tota Ecclesia, Provincialem intra limites suæ Provinciæ, tum per se, tum per alios, Priores verò tantùm per se posse conferre Scapulare: At *Capit.* 29. *num.* 2. modum describendo recipiendi ad Ordinis beneficia, dicitur id posse Priorem localem cum Capitulo Conventuali, & ex commissione eorundem quemlibet Fratrem &c. Quæ duo, scilicet *Capituli consensus*, & *facultas delegandi* non continentur in *priori Capite* quoad Scapulare tradendum à Priori locali. Ita Irenæus, & benè quoad Carmelitas Calceatos, apud Discalcea-

calceatos verò, ut supra diximus, alia viget praxis ac consuetudo.

Notandum benè hoc discrimen.

536.

Quot modis quis participare queat bona spiritualia alicujus Religionis?

TANDEM advertendum multis modis aliquem fieri participem spiritualium bonorum, quæ fiunt in Ordine aliquo Religioso. I. In quantùm illa opera bona reconduntur in thesauro Ecclesiæ, qui postmodum in universos Fideles derivatur. II. Ratione beneficij tum spiritualis, tum temporalis. Ad *primum* spectant Ordinis Protectores, Conservatores, cæteriqúe, qui in Ordine pietatem, doctrinam, disciplinam Regularem &c. promovent, Ordinis dilationem procurant, ad amplectendum Religionis institutum Fideles excitant, vocatos adjuvant &c. Ad *secundùm* Medici, Patroni, Judices &c. Benefactores seu eleemosynas largientes.

III. Ratione connexionis cum Professis, ut sunt parentes, fratres & proximiores consanguinei &c. Quo quis verò ampliùs participaverit de præfatis titulis, eo majorem bonorum operum partem acquiret. Poterit quoque aliquis pluribus simul ex enumeratis titulis benè mereri de Ordine, cui tunc pariter abundantior participatio respondebit. Nihilominùs ex circumstantijs, quas in operibus Theologi pensare solent, continget nonnunquam, ut unus uno solo titulo plus sibi comparet ejusmodi bonorum, quàm alius, aut alij pluribus. Porrò præter eos omnes modos, qui nostræ cum cæteris Religionibus communes sunt, tres assignari queunt particulares, quibus Carmeli Ordinis bona spiritualia Fideles mereri ac participare valent. I. Per sacr. Scapulare. II. Per expressam receptionem ad Ordinis bona, ore factam, juxta formulam supra traditam. III. Per similem receptionem scripto factam, id est, per *Literas Filiationis* seu *Fraternitatis* &c. verùm de his copiosiùs disseruimus supra *Parte III.* per diversa Capita.

CAPUT X.

Modus impertiendi generalem absolutionem moribundis Confratribus beatissimæ Virginis MARIÆ *de monte* CARMELO, *de qua supra* Parte V. Capite 3. & 4. *egimus.*

537. *CVm Sacerdos pro generali absolutione conferenda ingressus fuerit infirmi cubiculum, dicat:*

Pax huic domui.

Et respondebitur à socio, vel circumstantibus:

Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde imposita, more solito, stola collo, asperget ægrum in modum Crucis aqua benedicta, & postmodum circumstantes, dicens Antiph.

ASperges me Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. *Vers.* Miserere mei DEUS, secundùm magnam misericordiam tuam. Gloria Patri &c. Sicut erat &c. *Et repetita Antiph.* Asperges me &c. *Sacerdos versa ad infirmum facie dicit:*

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. DEUS meus sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo; Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde genuflexus cum omnibus adstantibus, dicet Litanias beatissimæ Virginis, ut sequitur.

Kyrie

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, miserere ei.
Fili Redemptor mundi DEUS, miserere ei.
Spiritus sancte DEUS, mis.
Sancta Trinitas unus DEUS, miserere ei.
Sancta MARIA, ora pro eo.
Sancta DEI Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Mater CHRISTI, ora.
Mater Divinæ gratiæ, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castissima, ora.
Mater inviolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Salvatoris, ora.
Virgo prudentissima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum justitiæ, ora.
Sedes sapientiæ, ora pro eo.
Causa nostræ lætitiæ, ora.
Vas spirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas insigne devotionis, ora.
Rosa mystica, ora.
Turris Davidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis Arca, ora.
Janua cæli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum. ora.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Christianorum, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apostolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora pro eo.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, parce ei Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, exaudi eum Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miserere ei.

Pater noster. & Ave Maria. *dicitur secretò: deinde subjunget Antiph.*

SUb tuum præsidium confugimus, sancta DEI Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera eum semper Virgo gloriosa & benedicta, Domi-

Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo eum Filio reconcilia: tuo eum Filio commenda: tuo eum Filio repræsenta.

℣. Ora pro eo S. Dei Genitrix.
℟. Ut dignus efficiatur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRotege Domine famulum tuum subsidijs pacis, & beatæ MARIÆ semper Virginis patrocinijs confidentem, à cunctis hostibus redde securum.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

OMnipotens & misericors Deus, qui humano generi & salutis remedia, & vitæ æternæ subsidia contulisti: respice propitius famulum tuum, infirmitate corporis laborantem, & animam refove, quàm creasti; ut in hora exitus illius, absq; peccati macula, tibi Creatori suo, per manus Sanctorum Angelorum repræsentari mereatur.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmo famulo tuo ostende virtutẽ, & sic eũ gratia tua confirmare digneris; ut in hora mortis ejus, non prævaleat contra eum adversarius, sed cum Angelis tuis transitum habere mereatur ad vitam.

OMnipotens sempiterne Deus, qui montis Carmeli Ordinem gloriosæ Virginis Matris MARIÆ sacrato titulo insignitum, sanctorum tuorum Eliæ, Angeli, Cyrilli, Alberti, Theresiæ, & aliorum plurimorum meritis decorasti, tribue ei, quæsumus, ut per eorum merita & suffragia, ab instantibus animæ & corporis malis & periculis liberatus, ad te verum Carmeli verticem, gaudens pervenire mereatur: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

538. *His absolutis solus surgit Sacerdos, & infirmum propiùs accedens interrogat,*

rogat, an fuerit confessus, aut quippiam adhuc habeat ad confitendum? si aliquid occurrat, recedere è cubiculo jubet cæteros &c. sin minùs illum exhortabitur paucis, efficacioribusq; verbis ad quosdam intimæ contritionis actus eliciendos. Quo facto infirmus (aut si ille nequiverit) aliquis alius, aut alij dicent, Confiteor &c. *& Sacerdos subjunget:* Misereatur &c. Indulgentiam &c. *cum subjecta absolutione.*

Absolutio generalis, seu Indulgentia plenaria Confratribus sacri Scapularis, in mortis articulo constitutis, impertienda.

DOminus noster JESUS Christus, Filius DEI vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam pijssimam misericordiam, recipiat Confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quomodocunque per totum vitæ decursum à te commissa: & ego authoritate illius, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, per Indulgentiam plenariam, à Sede Apostolica Confratribus beatæ MARIÆ de monte Carmelo in mortis articulo constitutis concessam, remitto tibi omnem pœnam, pro universis delictis tuis in purgatorio tibi debitam, & restituo te illi puritati, quàm in Baptismo accepisti: ita ut decedenti tibi ab hoc sæculo, clausæ sint portæ pœnarum, & apertæ januæ Paradisi: in nomine Patris, & Fi✠lij, & Spiritus sancti, Amen.

Formula alia brevior conferendi ijsdem Confratribus, in articulo mortis ndulgentiam plenariam, à Confessario ab eis electo. Ex Reverendissimi Theodori Stratij *instructione Cap 9.*

AUthoritate Domini nostri JESU Christi, & beatorum Apostolorum PETRI & PAULI, tibi indulta, & mihi commissa, concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum, quam concedere possum virtute privilegiorum Apostolicorum: si tamen hac vice moriaris, alias eam tibi reservo pro vero mortis articulo: in nomine Patris, & Fi✠lij, & Spiritus sancti, Amen.

Si infirmus Sacramentalem fecerit Confessionem, præmittet Sacerdos huic generali Absolutioni, seu indulgentiæ, more solito absolutionem à censuris, & peccatis &c. Omittendæ etiam erunt præfatæ Litaniæ ac preces, si decessus mox instare videatur, ac statim dicta generalis Absolutio impertienda erit.

539. *Admonebit quoq; infirmum, ut augustissimum nomen* JESV *sæpiùs, ore, si potuerit, sin minus corde devotè invocet, dicendo* V. G. JESU esto mihi IESUS: *vel* Bone IESU propitius esto mihi peccatori: *aut* IESU Fili David miserere mei, *&c. ad lucrandam plenariam indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum, à* PAVLO V. *concessam nostris Confratribus, de qua supra egimus* IV. Parte Cap. 5. & 6. num. 246.

Postmodum, antequam recedat, extendens manum super infirmum, sequentem dicit orationem.

DOminus JESUS Christus apud te sit, ut te defendat: intra te sit, ut te reficiat: circa te sit, ut te conservet: ante te sit, ut te deducat: post te sit, ut te custodiat: super te sit, ut te bene ✠ dicat: qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Mox subjungat, ter infirmum aqua benedicta in modum Crucis aspergendo.

BEnedictio DEI omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus✠sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Omnia ad majorem DEI, *ter Optimi, terq; Maximi,* DEIPARAEq; *Virg. ac Cælitum omnium gloriam.*



Judicio ac correctioni S. Romanæ Ecclesiæ cuncta subjicio.

INDEX

INDEX RERUM MEMORABILIUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

Omnes numeri sunt marginales.

Absolutio generalis.

POtest ex indulto *Clementis VII.* electus à Confratribus Confessarius, per generalem Absolutionem ijs indulgentiam plenariam semel in vita & mortis articulo impertiri. num. 297.

Utrum extra Sacramentalem Confessionem absolutio hæc, seu indulgentia concedi queat? 299. *& seqq.*

Utrùm pluries in mortis articulo impertiri valeat? 301

Duplex assignatur modus, quo hæc Absolutio in morte concedi potest. 302

Quando mortis articulus adesse censeatur? 303

Quando infirmo generalis hæc Absolutio impendenda sit? *ibid.*

Utrùm à moribundo Confratre expressè petenda sit hæc indulgentiæ elargitio? 304

Quid faciendum cum illis, qui de repentè rationis usu privantur? *ibid.*

Notanda differentia in concedenda hac Absolutione in vita & mortis articulo. 304

Prodest plurimum hoc *Clementis* indultum Confratribus, etsi à *Paulo V.* ijsdem concessa sit indulgent. plenar. pro mortis articulo. 298

Quâ verborum formula hæc Absolutio seu indulgent. impertienda sit? 305

Exponitur hæc formula. 305. *& seqq.*

Utrùm absenti hæc possit conferri indulgentia? 308

Modus impendendi moribundis Confratribus generalem absolutionem &c. 537. *& seq.*

Abstinentia.

Confratres litteras nescientes, & privilegio Sabbatino frui cupientes, tenentur Ferijs IV. & Sabbat. à carnibus abstinere. 90. 187. 373. & 389.

Non licet pro libitu, aut abstinentiam servare, aut Officium recitare. 390. neque etiam alternativè. 391

Quando manifesta adest, causa, aut necessitas, censetur dispensatum in abstinentia hac Confratribus præscripta. 405

Quando illa abest, non habet locum in ea dispensatio, sed commutatio. 406

An ratione Bullæ Sabbat. teneantur Confratres ijs in locis, in quibus diebus Sabbatinis permittuntur intestina &c. animalium abstinentiam servare? 408

Qui recitant Officium uti possunt Ecclesiæ dispensatione in abstinentia &c. 409

In quibus Casibus præscripta abstinentia Confratres non ita rigidè obligare videatur? 425

Quid nomine *carnium* intelligatur, in præscripta Ferijs IV. illarum abstinentia? 426

Lacticinia permittuntur, nec Confratres Ferijs IV. jejunare tenentur *ibid.* Cur Confratr.

fratr. præcipiatur abstinentia pro diebus Sabbatinis, cum ad illam Fideles omnes obligentur? 427.

Quinam Confratr. nulla videantur indigere commutatione in abstinentiâ? 428

Quando possit abstinentia commutari & permitti pulmenta cocta cum carnibus? 415

Quoties Confratres ab esu carnium Feria IV. abstinent, toties ex *Pauli V.* indulto tercentum dies indulgent. consequuntur. 241

Alexander V. Rom. Pont.

Confirmat Bullam Sabbatinam *Joannis XXII.* 40. & 91.

Cujus sit authoritatis ejus diploma? *n.* 99

Extant complura authentica hujus diplomatis apographa seu exemplaria. 104

Altare portatile.

Permittitur Confratribus usus Altaris portatilis, tempore interdicti & cessationis à Divinis. 314

Utrùm etiam quolibet tempore? *ibid.*

Potest in eo celebrari ante lucem, & post meridiē; & quomodo hoc intelligendū? 315

Quasnam conditiones in ejus usu requirat Pontifex? *ibid.*

Utrùm hoc privilegium per Concilium Tridentinum sit revocatum? 316

Amentes

Marianæ Opis & Scapularis beneficio mirabiliter ad mentem redeunt. 326

Amicitia

Quot modis sese extendat ad alios? 27

Amor Divinus

Est donorum DEI mensura. 1

Amor DEI erga Creaturas, ejusque differentiæ exponuntur. *ibid.*

Deus uno & simplici actu cuncta amat. *ibi.*

Quantus fuerit DEI in SS. Virginem amor? 71

Assumptam à Verbo humanam naturam Deus plus amat, quàm omnes Angelos. 7

Angelica Salutatio.

Signum est Prædestinationis devotio ad Salutationem Angelicam. 61

Illam negligere & horrere signum est reprobationis. *ibid.*

Recitātes ad singulas diei horas semel Salutat. Angelicam consequuntur pro qualibet vice mille dies indulgent. 279. Similiter illam semel recitantes ad pulsum pro Horis Canonicis, septem mill. dier. indulg. *ibid.* Item recitantes 3. Salutat. Angel. cum adjunctis ℣. & Orat. ad signū dari solitum post solis occasum &c. indulg. plen. *ibid.*

Recitantes decies Salut. Angel. in honorem decem Evangelicarum Virtutum B. M. V. decem millia annorum. 280

Angelus

Est melior homine, quoad conditionem naturæ. 3

Cætera omnia, quæ DEUS condidit, naturæ dignitate præcellit. *ibid.*

Naturæ Angelicæ excellentia. 3

Unde procedat hæc naturæ Angelicæ dignitas & excellentia? *ibid.*

Gratiæ diversitas in Angelis & hominibus unde desumatur. 11

Angeli in verbo cognoscunt salutem illorum, quorum sunt tutelares. 64

Angeli, alijque Cælites sibi devotis animabus in purgatorio apparent, eosque solantur. 141

Angelorum ministerio ordinariè eripiuntur Carmelo-Partheniorum Confratrum animæ Sabbato &c. è Purgatorio. 161

S. Angelus Martyr Ord. Carm.

Prædixit *S. Francisco* stigmatum impressionem. 169

Animata

In quibus excedant inanimata? 5

Quæ sit excessus hujus ratio? *ibid.*

Animæ Purgatorij, vide v. *Purgatorium.*

Animarum regimen

Quàm sit periculosum judicio S. M. THERESIÆ. 209

Apographa.

In Apographis seu Transumptis quid requiratur, ut eandem cum Autographis seu Originalibus fidem faciant? 173

Apostoli.

Quare Apostolis majora præ cæteris hominibus gratiæ dona collata sint? 12

Arbores.

Admiranda quarundam arborum crassitudo. 32

Annosam & concavam in Eremo arborem S. *Simon Stock* annis pluribus inhabitavit. *ibid.*

Idem fecêre alij quidam Sancti. *ibid.*

Auxilium Marianum.

In quo consistat speciale DEIPARÆ auxilium Confratribus Carmelo-Parth. promissum? 63. 64. & 69

Qualiter DEIPARA *S. Simonem Stock* certiorem reddiderit, de hoc speciali auxilio ejusque effectu? 64. 71. & 77

B.

Beati

In Cælo orant pro hominibus in hac vita degentibus, non modo in communi, verùm etiam in particulari. 63

Beati quo sunt sanctiores, eo magis orant pro viatoribus. 63

Utrùm Beati omnium ac singulorum hominum necessitates cognoscant? *ibid.*

An effectum suarum orationum? *ibid.*

Possunt Beati in cælis ac justi in terris alijs primam gratiam, etiam auxiliantem impetrare, 64

Utrùm quidpiam promerere valeant? 68

Beati dupliciter pro nobis orare possunt. 67.

Quando eorum pro nobis orationes exaudiantur, & quando non exaudiantur? *ibid.*

Benedicere & Benedictio.

Cui competat Scapulare benedicere? 500

Modus benedicendi Scapulare. 529

Quænam necessariò adesse debeant pro benedictione Scapularis? *ibid.*

An Scapulare cum primò recipitur, debeat necessariò esse benedictum? 401

Benedictio habitus induendi post solemnem professionem non est absolutè necessaria. *ibid.*

Benedictio Scapular. cum primum recipitur, etsi absolutè necessaria non sit, omittenda tamē non est; & quas ob causas? 401.

Quare necessaria non sit nova benedictio Scapular. quod assumitur in locum primi, amissi aut detriti? *ibid.* Quomodo novum Scapulare cum priore unum idemque sit? 402

An primum Scapulare benedictum conferat homini aliquem sanctitatis gradum, quem ille conferat novo, seu in ejus locum assumpto Scapulari? *ibid.*

Beneficentia Divina.

Beneficentia DEI erga Creaturas. 1

Quibus DEUS majora suæ beneficentiæ dona communicarit? *n.* 1. *& seq.*

Regula ad hoc dignoscendum traditur. 2

Post Christum DEUS nulli creaturæ majora beneficentiæ suæ dona contulit, ac beatiss. Virg. 8

In quos post Christum, ejusque SS. Matrem DEUS magis beneficus fuerit? 9. *& seqq.*

Beneficentia DEIPARÆ V.

Beneficentia DEIPARÆ in communi erga homines. 13. *&* 81

Quid de hac DEIPARÆ beneficentia sancti Patres senserint, uberiùs docetur. 15

Recensentur varij beneficentiæ Marianæ tituli à SS. Patribus illi attributi. *ibid.*

In quo fundetur admiranda DEIPARÆ V. generalis beneficentia? 16

In quo specialis ejusdem beneficentia? 18

Exponitur specialis Deip. V. beneficentia erga suos Fratres, ac Confratres de monte Carmelo. 19. *&* 81

Quousque sese illa extendat? 82

Beneficentia Confraternit. Carmelo-parthenia in sex Classes dividuntur.

Vide V. *Confraternitas B. M. de monte Carmelo* & sub proprijs titulis ibidem assignatis.

Bonorum Operum communicatio.

Vide Verb. *Communicatio* &c.

Bulla Sabbatina

Vnde sic dicta? 83
In quo consistat ejus effectus? 82
DEIPARA V. *Joanni XXII.* apparens jubet, ut eam promulget in Ecclesia. 83
Refertur tenor Bullæ Sabbatinæ. 90
Quo anno, mense ac die sit promulgata? 83. 90. & 174.
Nulli ætati defuêre Pontifices, qui eam Apostolica authoritate comprobarent, confirmarentque. 90 *& seqq.*
Referuntur horum Pontificum diplomata. 92. *& seqq.*
Examinantur ac ponderantur prædicta diplomata. 99. *& seqq.*
Bulla Sabbatina authenticis instrumentis asseritur. 103. *& seqq.*
Referuntur aliquot. 104.
Asseritur Decreto sacræ & generalis inquisitionis Romanæ. 98. & 123
Divini Officij authoritate. 125
Episcoporum authoritate ac suffragio. 127
Communi sententia celeberrimarum Universitatum. 131
Doctorum complurium per quatuor Ætates sibi succedentium. 132
Ejus veritas ac firmitas alijs suadetur argumentis. 133. *& seqq.*
Tribus Sæculis nullam unquam passa fuit Bulla Sabbatina impugnationem. 166
Tandem an. 1609. a quodam Inquisitore Ulyssiponense impugnatur. *ibid.*
Negotium hoc ad Romanam Curiam defertur, & discutitur. 166
Philippi III. Hisp. Regis pro illa tuenda zelus ac pietas. 167
Et Mariæ Reginæ Franciæ. 168
Item aliorum Principum. 169
Ac Reverendiss. Patris Generalis Ordin. Minorum, atque Societatis JESU. *ibid.*
Dissolvuntur objectiones Bullam Sabbat. impugnantes. 107. *& seqq.*
Cur Bulla Sabb. in Angliam potius quàm alio delata fuerit? 111
Utrùm planè interierit, aut alicubi delitescat? 172
Unde processerit aliqualis verborum diversitas in quibusdam exemplaribus Bullæ Sabbatinæ? 116
Hæc nihil obest veritati & substantiæ Bullæ Sabbat. *ibid.*
Incomparabilis Fidelium exultatio ob confirmatam Bullam Sabbatinam. 177
Expositio Bullæ Sabbatinæ. 187
Annotationes in eandem. *ibid.*

Vide plura V. *Privilegium Sabbatinum*, & V. *Purgatorium.*

Cæci

Mariani Scapularis interventu cælitùs illuminantur. 326

Carmelitarum Ordo.

DEIPARAM Carmelitarum Ordinem produxisse *Sixtus IV.* affirmat. 27
Merita ejusdem atque laudes idem *Sixtus* recenset ac commendat. *ibid.*
Illũ *Honorius III.* DEIPARA jubente confirmat. 34. & 84
Ejus æmuli divinitùs repentina morte plectuntur. 34. 224. & 84
Ex Bulla Sabb. *Joan. XXII.* & DEIPARÆ Oraculo *in* illa relato, manifestè patet SS. Prophetas *Eliam* & *Elisæum* Fundatores fuisse Ord. Carmelitarum. 90
Innumeri periêre libri Authorum Ordin. Carmelitarum. 109
An & in quo cæteros Ordines in Anglia excesserit Ordo Carmelitarum. 111
Variæ Sanctorum Classes Ord. Carmelitarum. 224
Quando Carmeli Ordo à Saracenis è Palæstina,

læstina, & monte Carmelo expulsus sit? 231
Quot annis in eo perstiterit? *ibid.*
Insinuatur Cœnobiorum, Martyrum, ac Religiosorum multitudo Ord. Carmelit. 231
Cur & quando Carmelitæ, *Fratres B.* MARIÆ *Virginis* appellari cœperint? 273
Quas indulgentias sic eos appellantibus *Vrbanus VI.* concesserit? 274
Notanda P. Raynaudi gratiæ hujus Pontificiæ ponderatio. 277
Carmelitæ primi omnium Sacellum seu Templum in honorem DEIPARÆ Virg. erexerunt. 273
Omnes Christi fideles visitando Ecclesias Ordinis Carmelitarum consequi possunt indulgentias Stationum Romanarum. 256. & *seqq.*
Lignea DEIPARÆ imago miraculosè caput inclinat, & digito Carmelitas transeuntes ostendens, eos *Fratres suos* appellat. 273
Quo tempore Carmelitæ sacrum Scapulare gestare cœperint? 25
Indulgentiæ concessæ osculantibus S. Scapulare Carmelitarum. 281
Quomodo privilegium Sabbatinum proprium sit Ordini Carmelitarum? 163
Datur in Ordine Carmelit. specialis bonorum operum communicatio. 194. Quo tempore cœperit? *ibid.* Duplex extat apud Carmelitas bonorum operum communicatio. 196. Vide plura

V. *Commemoratio bonor. Oper.*

Carmelitæ contra Witcleff ejusque asseclas maximè propugnarunt specialem bonorum operum communicationnm. 189
Utrùm ante S. *Ludovici* è Palæstina reditum Carmelitæ fuerint in Gallia? 357
S. Ludovicus Carmelitis fuit addictissimus 358
S. Eduardus Rex Angliæ intuitu Mariani Scapularis plurimum favet Carmelitis. 360
Ordo Carmelit. in quatuor præcipuè distinguitur Congregationes. 49

Carmelitæ Discalceati

Habent duas distinctas Congregationes, & quælibet suum proprium & independentem Generalem. 485
Recensentur Congregationis Italicæ, seu S. Eliæ Provinciæ. 49
Hujus Congregationis Præpositus Generalis est hoc tempore Prior montis Carmeli. *ibid.*
Utriusque Congregationis Præpositi Generales possunt, ex authoritate Apostolica, instituere Confraternitatem B. MARIÆ de monte Carmelo, seu Sacri Scapularis. 485
Carmelitæ Excalceati cum Calceatis concordiam ineunt, à Sede Apostolica confirmatam, circa erectionem Confraternitatis, & distributionem sacri Scapularis. *ibid.*

Christus.

Plenitudo gratiæ in Christo D. ac DEIPARA V. unde procedat? 7. & 8
Delectatur Christus precibus suæ SS. Matris. 64
Nemo nisi Christus Dominus potest alteri de condigno quidpiam, sed solùm de congruo promerere. 222
Christus D. promeruit omnibus tam reprobis, quàm prædestinatis gratiam & gloriam quoad sufficientiam, quoad efficaciam solis prædestinatis. 66
Christus D. præter regiam ac civilem potestatem habuit dominium spirituale in animas. 73
Christus D. legi naturali secundùm humanam naturam subditus fuit, licet nullis humanis legibus subjectus fuerit. 77

Claudi

Marianæ vestis & opis intervétu prodigiosè gressum recipiunt. 326

Claudius Aquaviva Præpositus. General. Soc. JESV. Petit à Reverendiss. P. Generali Carmelitarum facultatem suis subditis Scapulare conferendi. 132. & 169
Patronum egit Bullæ Sabbatinæ. *ibid.*

Christiani.

Chri-

Christiani Simiatici quinam dici possint? 434

Clemens VII. Rom. Pont.

Confirmat Bullam Sabbatinam *Joannis XXII.* 93. *& seq.*

Cujus sit authoritatis ejusdem Constitutio? 100.

Expenduntur nonnullæ ejus clausulæ, è quibus summa illius authoritas elucescit. *ibid.*

Quam efficaciter sola *Clementis* Constitutio Sabbatinam asserat? 101

Quid operetur *Clementis VII.* diploma circa *Joannis XXII.* & *Alexandri V.* Bullas si perditæ fuissent. *ibid.*

Magna & varia Confratribus Carmeloparthen. concessit privilegia. 289. *& seqq.*

Hæc à *Paulo V.* revocata non sunt, & ab alijs Pontificibus confirmata fuêre. *ibid.*

Clemens VIII.

Clementis VIII. Constitutio de erectionibus Confraternitatum, & communicationibus privilegiorum & indulgentiarum. 438

Quem potissimum in finem hæc Constitutio edita fuerit? 445

Quos concernat & afficiat? *ibid.*

Quas pœnas incurrant violantes hanc Constitutionem? 456

Quænam demonstrent ejusdem vim & efficaciam? 471

Quænam videantur illius imminuere authoritatem? 472

Quatuor præcipuè requirit *Clemens VIII.* in institutione legitima cujuscunque Confraternitatis. 493

Collegium.

Ad Collegium constituendum tres sufficiunt personæ. 462

Commemoratio solemnis B. M. V. &c. vide V. *Festum Commemorationis* &c.

Communicatio bonorum Operum.

Mutua datur in Ecclesia meritorum, seu bonorum operum communicatio. 188

Qualis hæc sit? *ibid.*

Præter generalem inter omnes Fideles datur alia specialis inter quosdam bonor. oper. communicatio. 189

Illam tuetur S. Thomas, ac diversi Romani Pontifices. *ibid.*

Illam impugnarunt Witcleff, alijque Sectarij. 189

Contra hos eam propugnarunt Doctores celeberrimi, maximeq; Ordinis Carmelitarum. *ibid.*

Et præ cæteris *Thomas Waldensis.* 189

In quo consistat specialis bonorum operum communicatio? 193

Quid sit specialis, quid singularis, quid generalis bonorum operum communicatio? 194

Datur in Ordine Carmelit. specialis bonorum operum communicatio? *ibid.*

Quo tempore cœperit? 194. *& seqq.*

Duplex datur in Ordine Carmelit. meritorum communio. 196

Harum una oritur ex litteris Filiationis &c.

Altera ex susceptione sacri Scapularis, 196. *&* 197. *& seqq.*

In quo hæc differat à priore, & in quo cum illa conveniat? 204

Quid nomine *Ordinis*, quid nomine *bonorum spiritualium* intelligatur in collatione Scapularis? 205

Quid participantibus conferat hæc meritorum communicatio? 205

Utrùm stante præfata communicatione Religiosis aliquid proprium remaneat? 206

Communicatio bonorum operum, quatenus meritoria, seu impetratoria plurimum prodest participanti, quod multis S. Scripturæ exemplis edocetur. 211

Utrùm non modo justis, verum etiam peccatoribus hæc profit meritorum participatio? 213

In quo indulgentiæ excedant bonorum operum communicationem, & hæc indulgentias? 214

Fructus communionis meritorum. *ibid.*

Utrùm

Utrùm diversitas aliqua inter participantes bona alicujus Religionis opera reperiatur? 215
Qua authoritate hæc meritorum communicatio in Ordine fiat? 218
Confratres Religionis nostræ admittuntur non solùm ad communionem bonorum spiritualium Ordinis, verum & totius Ecclesiæ; idque speciali modo. 219
In quo hic modus fundetur, & quanti faciendus? *ibid.*
Qua ratione Fideles omnes participes reddantur speciali modo bonorum spiritualium totius Ecclesiæ? 220
Duplici titulo potest quis frui participatione bonorum spiritualium Ordinis. 222
Participatio meritorum pntest formaliter & objectivè considerari. *ibid.*
Objectiva meritorum participatio longè fructuosior atque uberior formali. 223
Complectitur opera bona non solùm præsentia, verùm etiam præterita & futura. *ibid.*
Participatio formalis non respicit bona opera præterita; & quomodo ad eam pertineant futura? 223
Recensentur Authores, qui de hac scripsêre materia. 221

Communio.

Culpæ lethali obnoxius nequit dignè communicare, nisi præmissa confessione. 242

Commutatio.

Commutatio in præscriptis Sodalibus Carmelo- parthenijs munijs, quando locum habeat? 406
Commutatio locum habet in obligatione recitationis Horarum, abstinentiæ & jejunij. 410
In prædictis commutandi potestas competit summo Pontifici, Prælatisque Ord. Carmelit. sed diversimodè. 411
Præfectis quoque Confratern. quibusdam in locis. 412
Ac Confessarijs in casu necessitatis. *ibid.*
Quid de Confessarijs extraneis? 413
Quis Confessarius præferendus sit? *ibid.*
Quæ necessitas hic intelligenda sit? 413
Reliqui sive nostri, sive extranei &c. in his commutationibus nil valent. *ibid.*
In operibus præscriptis pro indulgentiarum lucro nulla facienda est commutatio. 414
Quis sit in præfatis commutationibus modus tenendus? 415
Quando possit abstinentia commutari, & permitti pulmenta cocta cum carnibus? *ibid.*
Ad quos alios supradicta commutatio & permissio extendenda sit? 415
Simili ratione procedendum cum ijs, qui Officium quotidie recitare nequeunt. 416
Quid observandum in commutatione operum ex duplici capite obligatoriorum? 417
Quid circa opera supererogatoria? *ibid.*

Concilium Tridentinum.

Quænam privilegia censeantur per Tridentinum Concilium esse revocata? 311
Quando privilegia dicantur adversari decretis Concil. Tridentino? 453

Concio.

Concio habenda in erectione Confraternitatis. 497
Quænam potissimum in illa exponenda sint? *ibid.*
Conciones Carmelitarum audientes indulgentias lucrantur. 281

Confessarius.

Facultas eligendi Confessarium non sufficit ad absolutionem à reservatis. 290
Quid hæc facultas ante Concilium Tridentinum, quid hoc tempore indulgeat? *ibid.*
Possunt Confratres nostri sibi eligere Confessarium, ex indulto *Clem. VII.* qui eos, à quibusvis criminibus, delictis, censurisque &c. absolvat, semel in vita & in morte, paucis exceptis. 289. 291. *& seqq.*
An præfatæ electi Confessarij facultati absolvendi à peccatis & censuris unquam hactenus derogatum fuerit? 311
Quales debeant esse Regulares, ut eligi in Confessarium valeant? 290

Cujus Ordinarij approbatio necessaria sit Confessario eligendo à Confratribus? 292
Requiritur præterea pro Regularibus approbatio proprij Superioris. 293
Hæc approbatio adeo necessaria est, ut sine illa nec licitè, nec validè Regulares possint sæcularium Confessiones audire. 295
Potest electus Confessarius Confratribus semel in vita & morte indulgentiam plenariam impertiri. 297
Utrùm extra Sacramentalem Confessionem hanc possit largiri indulgent. Confessarius? 299
Quidnam circa illam semel in vita concedendam observandum sit? 304
Qua verborum forma in illa conferenda uti debeat Confessarius? 305
Quid possit electus Confessarius circa votorum commutationem, & circa juramenta &c.? 309
Quid possint Confessarij circa commutationem operum requisitorum pro adeptione privilegij Sabbatini, *vide* supra *V. Commutatio.*
Quid circa Scapularis benedictionem ac distributionem Confessarij monialium, *vide* verb. *Scapularis benedictio* &c. 503
Quid sit à Confessario in pœnitentijs injungendis animadvertendum? 250
Quid observandum Confessario in absolvendo excommunicatum, qui tertio satisfacere obligatus est. 313

Confessio.

Quando actualis Confessio sit necessaria ad lucrandas Confratern. indulgentias &c.? 242
An habens solùm peccata venialia teneatur actualem Confessionem præmittere? 243
In quibus casibus non exigatur actualis Confessio? 244

Confraternitas.

Quænam videatur omnium esse Confraternitatum antiquissima? 19. & 29
Reijcitur Francisci Bordoni opinio de origine & antiquitate Confraternitatum. 29
Quænam sit omnium nobilissima Confraternitas? 430
Quot personæ necessariæ sint ad Confraternitatem constituendam? 461
Ad Confraternitatem etiam feminæ, servi & minores sunt idonei. *ibid.*
Quænam in illis ad hoc requirantur? 462
Non est de necessitate Confraternitatis Rector seu Præfectus. 463
Præfectus Confratern. potest esse Clericus, vel Laicus. *ibid.*
Utrùm omnes promiscuè ad Confratern. sint admittendi? 465
An vitiosi & facinorosi? *ibid.*
Tribus modis dissolvi potest Confraternitas. 466
Una duntaxat singulis in locis erigenda est Confraternitas. 446
Quomodo hoc intelligendum. *ibid.*
Quinam Regulares antiquas possint Confratern. confirmare, & novas instituere; & quomodo? 446
Requiritur ad hoc consensus Ordinarij loci. 447
Quænam privilegia, indulgentias &c. communicari queant? 448
Utrùm ipsi Institutores Confratern. gaudeant privilegijs ac indulgentijs non sibi nominatim concessis? *ibid.*
Statuta Confraternit. erigendæ examinanda approbandaque sunt ab Ordinario. 449
De quibus statutis hoc sit intelligendum? *ibid.*
Privilegia & indulgentiæ promulgandæ non sunt, nisi prævia Ordinarij recognitione. 450
Confraternitati eleemosynas colligere licet juxta formam ab Ordinarijs præscribendam. *ibid.*
Qualiter hæ sint expendendæ? 450
In quibus casibus circa hæc non requiratur Ordinarij arbitrium? 451
Litteræ erectionis Confratern. gratis omninò

ninò expediendæ. 455
Quomodo hoc intelligendum? *ibid.*
Officiales à Confratribus quando & quomodo eligendi? 457
A quo electio sit confirmanda? *ibid.*
Officiales nequeunt sibi eligere Successores. 457
Confraternitates institui nequeunt in monialium Ecclesijs. 458
Neque à Regularibus cum usu saccorum, sine Ordinarij licentia. *ibid.*
Quænam inhibita sint Sacellanis Confraternitatum? 459
Quid observandum circa Processiones Confraternitatum, maximè quoad Ecclesias Regularium? *ibid.*
Confraternitates cogi nequeunt ad Processiones, sed solùm invitari. 459
Quem in illis locum teneant? *ibid.*
Inter ipsas Confraternitates quæ præcedere debeant? 460
Non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi in certis casibus; & quid tunc observandum? *ibid.*
Tenentur Confratern. ad contributionem pro seminario Clericorum puerorum. 460
Quænam ad hoc teneantur? *ibid.*
Subduntur visitationi Ordinarij loci. 461
Recipiendi in Confraternitate an quid solvere teneantur? 464
Et quando & qualiter? *ibid.*
An hoc intelligendum de omnibus Confraternitatibus? 464
Legatum factum Confraternitati censetur relictum ad causam piam. 467
Regularibus debetur præcedentia respectu quarumcunque Confratern. & quare? 468
Confratres cereos deferentes ad latera statuæ D. Virg. ultimum locum occupant in processione: & quomodo & quare? *ibid.*
An Regulares absque suorum facultate Superiorum Confratern. aliquam ingredi valeant? 469
Falluntur, qui existimant non posse in eadem Ecclesia duas erigi Confraternitates. 475
Quænam Confraternitates specialem requirant institutionem? 480
Generales Ordinum Mendicantium possunt suarum Religionum Confraternitatem instituere. 483

Confraternitas B. MARIÆ V. de monte Carmelo.

Origo ejus in Oriente. 27. *& seqq.*
Origo ac propagatio ejusdem in Occidente. 31. *& seqq.*
Quando hæc Confraternitas cæperit appellari sacri Scapularis? 38
Quàm celebris evaserit in universo Orbe? 39. 49. *&* 174.
Carmelo-parthenia Confraternitas videtur omnium omninò antiquissima. 19 *&* 29
Quo ex titulo reddatur hæc Confraternitas illustrissima? 430
Indulgentiarum ampliſſima concessio à Sede Apostolica facta Carmelo-partheniæ Confraternitati, eximia est ejusdem prærogativa ac commendatio. 230
Non modo honorifica, verùm etiam fructuosa admodum, est hæc hujus Confraternitatis prærogativa. *ibid.*
Quis primus Romanorum Pontif. indulgentias concesserit huic Confraternitati & quo anno? 231
Quando & quomodo in Oriente defecerit hæc Confraternitas? 231
Solus Reverendiss. P. Generalis, aut ejus Vicarius instituere possunt Confraternitatem Carmelo-partheniam. 483
Idem possunt utérque Carmelitarum Discalceatorum Generalis. 485
An potestas erigendi hanc Confraternitatem delegari queat PP. Provincialibus, aut alijs? 459
Carmelitæ Calceati & Excalceati ratione erectionis Confraternitatis & distributionis Scapularium concordiam ineunt. 485
Refertur instrumentum hujus Concordiæ. *ibid.*
Quid circa erectionem Confraternitatis, & distri-

distributionem Scapularis observandum ? 485
Quid circa Processiones ? 486
Generalis nequit Vicarij Generalis circa erectionem Confraternitatis potestatem limitare, aut annullare. 487
De quo Vicario hoc accipiendum sit ? *ibid.*
Quid possit quoad hanc potestatem Vicarius Generalis Congregationis Mantuanæ ? 488
Quid PP. Provinciales ? 489
Utrùm erigi valeat in proprijs, aut alienis Ecclesijs sine Ordinarij consensu nostra Confraternitas ? 492
Instituta uno in loco Confraternitas dissolvi potest. 493
A quo id fieri debeat ? *ibid.*
Quid in erectione nostræ Confraternitatis, in alienis præsertim Ecclesijs observandum sit ? 494
Forma litterarum pro erectione Confraternitatis. 495
Concio habenda in erectione Confraternitatis. 497
Quænam potissimùm in illa exponenda sint ? *ibid.*
Liber in quo Confratrum nomina describantur adesse debet. 497
A quo benedicenda Scapularia si in alienis Ecclesijs erecta sit Confraternitas ? *ibid.*
Compendium Indulgentiarum Confraternitatis in Sodalitij Oratorio, seu Templo appendendum. 498
Utrùm Fideles Confraternitatem ingredi cupientes personaliter comparere debeant in loco admissionis seu Sodalitij ? 512
Duo genera Confraternitatum in Ecclesijs nostris dari & considerari possunt. 479
Quarum discrimen perpenditur. *ibid.*
Quando Confraternitas S. Scapularis in nostris Ecclesijs canonicè instituatur, & erigatur ? 480

Sex sunt potissimum Carmelo-partheniæ Confraternitatis beneficia.

Primum Confraternit. Mariani Scapularis beneficium, illis DEIPARÆ Verbis, *in quo quis moriens æternum non patietur* &c. comprehensum expenditur, & in quo sensu hæc verba verificentur exponitur. 55
Adducuntur & refutantur siniſtræ quorundam horum verborum interpretationes. *ibid.*
Nonnulla observanda, ad legitimum dictæ propositionis sensum, sine errore percipiendum, afferuntur. 56
Referuntur ac confirmantur legitimæ hujus propositionis interpretationes. 57. & 58. *ac seqq.*
Alterum Confraternitat. Carmelo-partheniæ beneficium, privilegium est Bullæ Sabbatinæ. 81

Vide supra V. *Bulla Sabbatina*, & infra V. *Privilegium Sabbatinum*. ac V. *Purgatorium*.

Tertium hujus Confraternitatis beneficium, communicatio est bonorum operum &c. 188

Vide supra V. *Communicatio bonorum operum.*

Quartum Confraternitatis hujus beneficium indulgentias complectitur plurimas ac maximas à Romanis Pontificibus concessas &c. 226

Vide Verb. *Indulgentiæ* &c.

Quintum Carmelo- parthen. Confratern. beneficium privilegia continet à Sede Apostolica concessa. 289. & *seqq.*

Vide Verb. *Privilegia* &c.

Sextum Marianæ Confraternitatis beneficium varia ac multiplicia complectitur, tam temporalia, quàm spiritualia, tam animæ quàm corporis, tam hujus temporis, quàm æternitatis beneficia. 319. & *seqq.*

Vide V. DEIPARA. V. *Miracula*. & V. *Scapulare*.

Confratres B. MARIÆ de monte Carmelo.

Quid requiratur, ut quis Carmelo-parthenij

thenij Sodalitij Confrater censeatur? 365
An Sodales nostri debeant se appellare Confratres & Consorores Ordinis Carmelitarum? 380
Sodales nostri, Ordinis B. MARIÆ V. de monte Carmelo Confratres nuncupantur; & quam excellens sit hujus appellationis prærogativa? *ibid.*
Confratres Carmelo-parthenij quomodo ad *S. Eliam* Prophetam pertineant? 23
Specialiori titulo ac ratione ad DEIPARAM V. pertinent. 24
Specialioribus divinæ gratiæ auxilijs adjuvantur, qui Confratres sunt B. MARIÆ Virg. de monte Carmelo. 58
Confratres Parthenij speciali fruuntur DEIPARÆ benevolentia? 33

Vide Verb. *Beneficentia DEIPARÆ.*

Cur B. Virg. solicitior sit de suorum Confratrum salute? 386
Indignus planè purissimæ Virg. beneficijs Confrater impurus. 423
Tria Confratrum genera distingui possunt. 388
Nota innumerum Confratrum numerum, in Italia maximè & Hispania. 177
Utrùm inscriptio Confratrum in album Sodalitatis sit absolutè necessaria? 418
Utrùm Confrater habitu sacro exspoliari, & nomen ejus è Confraternitatis albo expungi queat? 514
Quare & quando hoc fieri possit? *ibid.*
Recensentur privilegia ac beneficia Sodalibus Carmelo-parthenijs concessa. 431
Quænam à Confratribus munia vicissim DEIPARA reposcat? 432
Quàm lævia sint onera à DEIPARA Confratribus imposita respectu beneficiorum, quibus fruuntur? *ibid.*
Nulla Confraternitatis observantia ad peccatum ex se obligat, 399
Utrùm expediat in confessione de horum omissione aut neglectu se accusare? *ibid.*
Quid Confratribus faciendum sit, ut frui valeant primo Confraternit. beneficio. 365
Quænam bona contineantur in promissione à DEIPARA facta *S. Simoni*? 370
Quænam observanda ad illis fruendum? 371
Quænam à Confratribus, ut privilegio Sabbat. participes reddantur, præstanda? 373
Confrater contra castitatem delinquens, quomodo delictum in confessione manifestare debeat? 375
Recitantes Officium parvum B. V. satisfaciunt. 377
Non obligantur Confratres recitare Officium, juxta ritum Carmelitarum. 378
Licet hoc uti ritu magis conveniens consultumque videatur, nisi aliud obstet. *ibid.*
Non satisfaciunt huic obligationi per Officium minus Conceptionis B. V. 378
Nec per Officia pro particulari usu approbata. *ibid.*
Qui recitant Horas non tenentur ad abstinentiam Fer. 4. nisi ex consilio & laudabili consuetudine, atque ad lucrandas indulgentias *Pauli V.* 379
Horæ Canonicæ quotidie à Confratribus recitandæ sunt, nisi legitimè impediantur. 382
Quale impedimentum illos excusare valeat? *ibid.*
Horæ integrè recitandæ. 383
Non tenetur ad Officium parvum B. V. qui ex alia quacunque causa recitat Officium majus divinum. 384
Utrùm Sacerdos legitimè excusatus ab Officio divino, teneatur ratione Bullæ Sabbatinæ ad Horas B. V. persolvendas? 388
Nescientes litteras non tenentur ad preces Fratr. Laicis in Regula Carmelit. præscriptas sed ad jejunia & abstinentiam. 389
Utrùm liceat Confratribus pro libitu, aut officium recitare, aut abstinentiam servare? 390
In quibus casibus præscripta abstinentia non adeò rigidè Confratres obligare videatur? 425

Quid nomine *carnium* intelligatur in præscripta Feria 4. illarum abstinentia? 426
Lacticinia permittuntur, nec Confratres Ferijs 4. jejunare tenentur. *ibid.*
Cur Confratribus præcipiatur abstinentia pro diebus Sabbat. cum ad illam Fideles omnes obligentur? 427
Quinam nulla videantur indigere dispensatione, aut commutatione circa prædicta duo munia? 428
Error quorundam circa præscripta pro Bullæ Sabb. privilegio adipiscendo munia &c. 429
Confrater semel iterumque delinquens contra supra præscriptas obligationes, non privabitur &c. dummodo resipiscat & illis satisfaciat, 422
Quid de illis, qui per plures annos deliquerunt, & postmodum pœnitentes præscripta fideliter præstant? *ibid.*
Confratres gaudent gratijs per communicationem sibi conceisis. 499
Qui nolunt aut nequeunt præstare requisita pro privilegio Sabbatino, possunt nihilominùs frui cæteris privilegijs & gratijs. 421
Quænam præstanda sint Confratribus, ut *tertiò*, *quartò*, & *quintò* Confraternit. *beneficio* fruantur? 394. *& seqq.*
Quid illis agendum, ut beneficijs in *VI. Parte* enumeratis participes efficiantur? 397
Cur Confratribus certum quotidianumq; pensum persolvendum sit? 398
Confratres nostri participes redduntur non modo omnium bonorum spiritualium Ordin. Carmelitarum, verùm etiam totius Ecclesiæ: idque speciali modo. 219
Quid faciendum sit Confratribus, ut visitando Ecclesias Ordin. Carmelit. consequantur indulgentias Stationum Romanarum? 256
Indulgentiæ Confratribus concessæ nequeunt propria authoritate defunctis applicari? 287
Non potest unus Confrater pro alio indulgentias consequi. 284
Quis Romanorum Pontificum primus indulgent. concesserit Confratribus; & quo anno? 231
Recensentur Pontifices, qui ijsdem Confratribus indulgent. largiti sunt. 232
Quis primus in Occidente ijsdem indulgentias concesserit? 232
Utrùm ipsi Ordinis Carmelitarum Religiosi frui valeant indulgentijs Confraternitati concessis? 251
Debet quis per seipsum Confraternit. munia præstare, ut privilegijs ejus potiatur. 424
Ad Ordinis Statuta servanda, an obligentur Confratres? 381
Nonnulla Confratribus impensè advertenda adducuntur. 435. *& seq.*
Quænam Confratribus solicitè cavenda? 435
Quinam sint Confratres solùm titulo tenus? *ibid.*
Quinam exanimes? 435
Quibus competat Confratres admittere? 500. *& seqq.*
An pauperes sint recipiendi? 361
Quare pauperes non sint spernendi, sed admittendi? *ibid.*
An mulieres, pueri & puellæ? 362
An manifestè facinorosi? 363
Homines bonæ famæ & vitæ solùm admittendi sunt. 363

Sac. Congregatio universalis & Rom. Inquisitionis

Decretum ejus pro Bullæ Sabbatinæ privilegio. 98. 125. & 176

Sac. Congregatio Rituum

Examinat & comprobat *S. Simonis* revelationem, ac sacri Scapularis collationem. 41
Idem præstat circa privilegium Sabbatinum. 125
Quanta sit sacræ Rituum Congregationis authoritas? 41
Decreta sacræ Congregationis circa erectionem Confraternitatum. 457

Con-

Consuetudo.

Optima legum interpres, 476

Imò ipsa est lex non scripta, sed moribus expressa. *ibid.*

Contractus.

Contractus natura quæ sit? 385

Sabbatinum privilegium an Contractus habeat rationem? *ibid.*

Corpora Cælestia

Excedunt in perfectione cunctas res inanimatas. 6

In quo consistat, & undè oriatur hæc illorum præcellentia? *ibid.*

Creaturæ.

Unde procedat major vel minor creaturarum perfectio? 6

D.

Dæmones.

DEIPARAM V. magis Dæmones formidant, quàm omnes simul Sanctos. 64

Dæmones confitentur vel inviti gravissima damna, quæ percipit infernus ex devota Mariani Scapularis gestatione. 328

Tria inter, quæ Dæmones maximè oderunt, eosque cruciat vehementiùs, unum est, quod Carmelo- parthenium Scapulare passim feratur. *ibid.*

Sæpius illius interventu Dæmones ab obsessis corporibus expulsi sunt. 328

Illius beneficio pluries Dæmonum infestationes ac divexationes, & sagarum diabolicæ artes & veneficia repressa sunt. *ibid.*

Delictum.

Delicti gravitas unde pensanda sit? 423

Devotio.

Arrha est Salutis in DEIPARAM devotio. 60

Devotus MARIÆ nullus æternum perit. *ibid.*

Devotio ad Salutationem Angelicam signum est prædestinationis. 61

DEIPARA

Fuit orta ex tribu Regia seu Davidica, & ex Sacerdotali seu Levitica. 21

Forma DEI jure nuncupatur; & quare? 81

Unde procedat plenitudo gratiæ in MARIA? 8

Quid senserint SS. Patres de sublimitate ac plenitudine gratiæ ejus? 69

Honorum tituli, quibus DEIPARA à Sanctis PP. celebratur, 334

Quàm immensa ejus sit gloria? *ibid.*

Nihil illi impossibile. 60

Quem vult salvat. *ibid.*

Nemo perit, pro quo vel semel oraverit. 60

Non orat pro illis, qui semper peccare desiderant. *ibid.*

Non potest malè mori DEIPARA V. Cliens. 143

Cognoscit & intuetur in cælis omnium ac singulorum hominum necessitates. 63

Præcognoscit semper effectum suarum orationum. *ibid.*

Cooperata fuit Filio ad hominum Salutem. 63

Quanta sit orationis ejus efficacia? 64

Excedit in ea omnium simul Sanctorum Orationes. *ibid.*

Nihil petit à Filio, quod non obtineat. 64

Delectatur Christus ejus precibus. *ibid.*

Unum ejus suspirium superat preces Sanctorum omnium. 64

Quàm efficax & infallibilis in impetrando ejus oratio? 67

Modus orandi DEIPARÆ est nobilissimus quia habet rationem jussionis & imperrj. 78

Permulta variaque beneficia, in terris posita, hominibus de congruo promeruit. 69

Ex congruo DEIPARÆ V. meritò procedit speciale auxilium, quo mediante Confratres ejus æternum non patientur incendium. *ibid.*

Quantus fuerit B. V. in DEUM amor & amici-

amicitia, & reciprocè DEI erga illam. 71
Quare DEIPARA V. verè & propriè omnium creaturarum sit Regina & Domina? 76
In Christum Dominum patriam potestatem habuit 78
DEIPARA jure materno Filium pro nobis rogando, ei quasi imperat. 78
Data est ei omnis potestas in cælo & in terra. *ibid.*
Qua ratione illam omnes respiciant? 142
Plus intulit in Ecclesiæ Thesaurum, quàm omnes Sancti simul sumpti. 142
DEIPARA Angelis plurimis comitata *S. Simoni* apparens sacrum ei Scapulare tribuit. 37
Quosnam favores tunc ei, & suis Confratribus promiserit? 370
Ioanni XXII. Pontif. apparens, jubet, ut privilegium Sabbatinum promulget. 83
Promittit DEIP. animas Fratrum ac Confratrum suorum Sabbato ab eorum obitu è purgatorio liberare. 90
Propter ejus preces qualibet hora quodammodo mitigantur pænæ animarum Purgatorij. 142
Quare DEIPARA bona sit animabus purgatorij? *ibid.*
Innumeras è purgatorio eripit. 142
Recensentur aliquot ejus rei exempla. 143
Quibus potissimum diebus animabus in purgatorio succurrat? 144
Piè quidam credunt in ejus assumptione evacuatum fuisse purgatorium. *ibid.*
DEIPARA moriens petijt, obtinuitq; à Filio, ut omnes, qui erant in purgatorio liberarentur. 144
Quotannis in festo Assumptionis ejus in maximo numero animæ è purgatorio eripiuntur. *ibid.*
Idem quodammodo sentiunt nonnulli, de cæteris ejusdem Festivitatibus; & quidam etiam de Sabbato. 144
Idem præstat in nocte Nativitatis Dominicæ, ac Resurrectionis. 145
Recensentur & explicantur modi varij, quibus DEIP. animabus Sodalium suorum in purgatorio subvenire ualet. 159. *& segq.*
Liberatio animarum è purgatorio, ordinariè non fit per personalem DEIPARÆ descensum. 161
Legitur tamen non rarò ad purgatorium descendisse, & exinde animas eduxisse. *ibid.*
DEIPARA cohortatur viventes ad pietatem erga defunctos, præsertim *Ven. Matr. Franciscam à SS. Sacramento.* 146
Hanc pietatem sibi, Filioque suo longè acceptissimam esse testatur, *ibid.*
DEIPARÆ Dominium non metaphoricum, sed verum ac proprium fuit. 74. & 160
Hoc Imperium meritò de congruo meruisse quidam censent. *ibid.*
Quomodo participaverit Christi D. Imperium? 74
Exponitur ejusdem Imperium. 74. & 76
Quare Sodales Carmelo-parthenij speciali fruantur DEIP. benevolentia ac beneficentia? 436
Vide Verb. *Beneficentia* DEIPARÆ.
Cur maximè solicita sit de ipsorum salute? 386
Quomodo SS. Virgo DEI & Ecclesiæ mandatorum observationem, in assignandis suis Confratr. munijs, intenderit? 387
Quisnam jure dicatur Filius DEIPARÆ, & quidem specialis? 236
Indignus puritissimæ Virginis beneficijs homo impurus. 423
Lignea DEIPARÆ Imago miraculosè caput inclinat, loquitur, & digitum in Carmelitas extendit. 273

DEVS.

Consilia & opera DEI dissolvi nequeunt, humana verò dissolvuntur ac deficiunt. 133
Patet hoc in Christiana Religione, & in Carmelo parthenio Sodalitio ac privilegio. *ibid.*
DEVS intuitu insignium amicorum suorum sæpè alijs, etiam immeritis, benefacit.

Quantum apud DEVM possint unius, vel paucorum justorum apud DEVM merita? 219. & 223.

Dispensare & Dispensatio.

Dispensari nequit in illis, quæ necessaria sunt ad constituendum quempiam Confratrem Carmelo-parthen. Sodalitij. 400. quænam illa sint? *ibid.* Non potest dispensari in illis, quæ requiruntur pro primo Confraternitatis beneficio. 403

Neque in continentia Sodalibus à B. Virg. præscripta. 404

In recitatione Horarum & abstinentia &c. dispensatum censetur, quando manifesta adest causa, seu necessitas. 405

Quando illa abest, non habet in ijs locum dispensatio, sed commutatio. 406

Quid de jejunijs alijsque Ecclesiæ præceptis dicendum sit? 407

Qui Officium recitant, uti possunt Ecclesiæ dispensationibus circa jejunium & abstinentiam. 408

Vota Confratrum commutari queunt, non relaxari, aut dispensari &c. 309.

Dominium.

Dominium aliud jurisdictionis, aliud proprietatis. 73

Utrumque exponitur. *ibid.*

Dominium quot modis acquiri possit? 74

DEIPARÆ Dominium quale sit *vide* verb. *DEIPARA.*

Dubium.

Dubium, quid sit exponitur. 147

E.

S. Eduardus Rex Angliæ

Intuitu Mariani Scapularis plurimum favit Carmelitis. 360

Hoc non solùm ipse, verum & *Eduardus I. & III.* Angliæ Reges gestarunt. 344

Quot fuerint inter Angliæ Reges *Eduardorum* diversæ familiæ? 360

Eleemosyna.

Quomodo verum sit, quod Eleemosyna à peccato mundet & liberet? 59

Præclara & advertenda *S. Augustini* doctrina in Eleemosynis faciendis. *ibid.*

Sæculariũ eleemosynas benè compensant Religiosi in spiritualibus &c. 203

Hoc exemplo demonstratur. *ibid.*

Quæ eleemosynæ quantitas requiratur ad fruendum privilegio participationis bonorum omnium spiritualium universæ Ecclesiæ? 221

S. Elias Propheta

Fuit ex tribu Regia ac Sacerdotali. 21

Fuit juxta aliquorum opinionem, nepos Regis Salomonis. *ibid.*

Fuit ex eadẽ cum DEIPARA Familia. 21

S. ELIAM fuisse Fundatorem Ord. Carmelitarum patet manifestè ex DEIPARÆ asserto, in Bulla Sabbatina *Joannis XXII.* contento. 90

Sodales Carmelo-Mariani, quomodo ad S. *Eliam* pertineant? 25

Error.

Error, cui non resistitur approbatur: & veritas cum non defenditur opprimitur. 136

Quomodo hoc intelligendum. *ibid.*

Eucharistia.

Virtus SS. Eucharistiæ dupliciter considerari potest. 59

Ex se habet virtutem conferendi gratiam ac gloriam, nisi à recipiente impediatur. *ibid.*

Confratr. comitantes cum lumine SS. Eucharistiam, quando ad infirmos defertur, & pro ijsdem infirmis orantes lucrantur 5. ann. indulgent. & totidem quadrag. 241

F.

Febres Lethiferæ

Interventu Mariani Scapularis mirabiliter curantur. 326. & 329

Festum Commemorationis solemnis B. MARIÆ Virg. de monte Carmelo.

Quisnam hoc Festum instituerit? 125

Quinam Pontifices hoc Festum, ejusque Officium approbarint? *ibid.*

Privilegium Sabbatin. est inter cætera causa &

sa & fundamentum hujus festivitatis. 125
Est festum præcipuum Ordinis & Confraternit. B. MARIÆ Virg. de monte Carmelo, & quando celebretur? 238
Quid ad consequendam indulgentiam plenariam festi Commemor. solemnis B. M. V. præstandum sit, & ubinam illa obtineri queat? 245
Quid de absentibus à loco Confratern. dicendum sit? *ibid.*
Quando hoc festum transferendum non sit. 245
Convenerunt ad illud celebrandum apud Carmelitas Discalceatos anno 1612. complures Cardinales ac Prælati Romani. 176
Quid observatione dignum tunc acciderit? 176
Processio celeberrima in eo Romæ celebrata. 174. & 177
Et Ulyssiponæ an. 1613. longè celebrior. 177

Fides.

Fides quid sit exponitur. 147
In quo differat fides divina ab humana: & in quo hæc ab opinione? *ibid.*
In quo consistat certitudo media inter divinæ humanæque fidei certitudinem: & cur talis dicatur? 148
Omnes Fidei quæstiones ad summum Pontificem decidendæ referri debent. 123

Franciscus Bordonus.

Opinio ejus circa antiquitatem & originem Confraternitatum refutatur. 29

Fratres.

Quot modis aliqui inter se Fratres dici possint exponitur. 20
Datur quadripartita Fraternitas, natura, gente, cognatione & affectu. *ibid.*

Fratres B. MARIÆ Virg. Quare & quando Carmelitæ appellari cœperint, vide Verb. *Carmelitarum Ordo.*

Quas indulgentias eos sic nuncupantes consequantur, vide *ibidem* & Verb. *indulgentiæ.*

G.

Gratia.

Gratiæ diversitas in Angelis & hominibus, unde derivetur? 11
Unde gratiæ plenitudo in Christo ac B. Virgine? 7. & 8
Quid senserint SS. Patres de plenitudine gratiæ MARIÆ? 69. *Vide* V. *DEIPARA.*
Indulgentia requirit gratiam in subjecto. 229
Utrùm omnia opera, pro indulgentiæ lucro requisita, debeant fieri in gratia? 386
Utrùm debeat esse in gratia, qui Confraternitatis opera exequitur? 387
Status gratiæ non est simpliciter necessarius ad impetrandum. 64
Specialibus Divinæ gratiæ auxilijs adjuvantur Confratres B. MARIÆ Virg. 58

Gregorius XIII. Rom. Pontif.

Suo Diplomate Sabbatinæ Bullæ fidem & authoritatem auget, ac confirmat. 101
Expenduntur nonnullæ ejus Clausulæ, quæ Bullæ Sabbat. mirificè prosunt. *ibid.*

H

Historia.

An ad fidem historiæ conciliandam semper necessarius sit Scriptor Synchronus? 45
Utrùm unus ejusmodi sufficiat? *ibid.*
Discrepantia circa annorum supputationem, aliasque circumstantias accessorias, non adimit veritatem historijs quoad substantiam. 117

Honorius III. Rom. Pontif.

DEIPARA jubente Carmelitarum Ordinem confirmat. 34. & 84
Quid circa hoc prodigiosum acciderit? *ibid.*

Hora Canonicæ.

Quid nomine *Horarum Canonicarum* significetur? 377
Vide V. *Officium Divinum, & B. Virginis.*

Humana natura.

Humanæ naturæ præstantia expenditur, & unde hæc procedat aperitur. 4

Assumptam à VERBO humanam naturam DEVS plus amat, quàm omnes Angelos. 7

Hydropici

Ab aqua intercute S. Scapularis interventu divinitùs liberantur. 326. & 329

I.

Indiani.

Mira Indorum in S. MARIAM de monte Carmelo, sacrumque ejus Scapulare pietas & devotio. 355

Indulgentiæ.

Indulgentia quid? 226

Indulgentiæ aliæ plenariæ, aliæ non plenariæ; & quæ illæ? 227

Aliæ reales, aliæ locales, & aliæ personales. *ibid.*

Exponitur uberiùs quid sit personalis, quid localis indulgentia. 233

Aliæ temporariæ, aliæ perpetuæ: & quænam illæ? 227

De indulgentia per modum absolutionis, & per modum suffragij: hæc defunctis, illa viventibus competit & quomodo? 226

Aliæ indulgentiæ divisiones. 227

Indulgentiæ requisita. 228

Si minimum quid ex operibus præscriptis relinquatur non obest. 228

Opera debent esse bona ex genere suo, quamvis ex circumstantijs vitientur. *ibid.*

Nec majora opera facientes plus indulgentiæ acquirunt. 228

Contingere potest per unum idemque opus plures indulgentias acquiri. *ibid.*

Indulgentia requirit gratiam in subjecto: at non in eo, qui indulgentiam lucrari vult pro defunctis. 229

Quomodo & quando Confessio requiratur? *ibid.*

An ad indulgentias consequendas satis sit operari cum opinione probabili? 229

Quo tempore cœperit indulgentiarum usus in Ecclesia? 231

Ad indulgentiæ valorem requiritur causa proportionata & sufficiens. 266

Quid si talis omninò non sit? *ibid.*

Utrùm destructa Ecclesia indulgentia ei concessa extinguatur? 235

Quid in hoc dicendum sit dubio circa indulgent. Ecclesijs Ord. Carmelitarum concessas? *ibid.*

Peccans sub spe indulgentiarum eas consequitur. 285

Quo sensu nonnunquam dicatur per indulgentiam remitti culpam & pœnam? 113

Quomodo intelligendum illud, *indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant*: & de quibus indulgentijs? 414

Quas indulgentias *Paulus V.* revocaverit? 112. 233. & 237

Non revocavit indulgent. pro defunctis, & mortis articulo. 236

Nec indulgentias locales Regularium Ecclesijs concessas. 233

Revocavit indulgentias personales, quibuscunque Confraternitatibus concessas, & alias de novo largitus est. 237

Indulgentiæ Confratern. B. MARIÆ Virg. de monte Carmelo.

Indulgentiarũ amplissima concessio Sodalibus Mariani Scapularis facta, eximia est ejusdem prærogativa ac commendatio. 230

Non modo honorifica, verùm etiam fructuosa admodum est hæc sacri Scapularis prærogativa. *ibid.*

Quis Roman. Pontificum primus indulgentias concesserit huic Confraternitati, & quo anno? 231

Recensentur Pontifices, qui eidem Confraternitati indulgentias largiti sunt. 232

Quis primus in Occidente eidem indulgentias concesserit? *ibid.*

Indulgentia Sabbat. ab ipso Christo cœlitùs concessa fuit, & confirmata ac promulgata

gata à Pontifice, in quo differt à cæteris. 414

Referuntur verbatim tres Bullæ *Pauli V.* per quas ampliſſimas ac perpetuas indulgent. Confratern. Carmelo- parthenij Scapularis elargitus eſt. 238. *& ſeqq.*

Compendium indulgentiarum perſonalium à *Paulo V.* conceſſarum. 241

Declaratio præfatarum indulgentiarum. 242

Utrùm ad conſequendas præfatas indulgentias neceſſaria ſit actualis Confeſſio, vel ſola ſufficiat contritio? *ibid.*

Ex quo deducere liceat, requiri actualem confeſſionem. 242

An habens ſolùm peccata venialia teneatur actualem præmittere Confeſſionem? 243

In quo ſenſu verùm ſit peccata venialia non impedire conſecutionem indulgentiæ? 243

In quibus caſibus non exigatur actualis confeſſio? 244

Quid ad conſequendam indulgentiam plenariam Feſti Commemorationis ſolemnis B. M. V. præſtandum ſit? 245

Ubi illa obtineri queat? *ibid.*

Quid de abſentibus à loco Confraternitatis dicendum ſit? 245

Cum duplex detur mortis articulus, quæritur de quonam ex illis, intelligenda ſit indulgentia plenaria à *Paulo V.* conceſſa? 246

Quænam præſtanda ſint pro hujus indulgentiæ adeptione? 241

Quamdiu cenſendum ſit durare tempus Proceſſionis menſtruæ, cujus aſſiſtentiæ conceditur indulgentia plenaria? 247

Poſſunt Confratres pluries in die recitando 7. *Pater* & *Ave.* toties 40. dierum indulgentiam lucrari: & idem eſt de ſimilibus alijs indulgentijs. 248

Utrùm Confratrum nomina debeant deſcribi in Libro Sodalitij, ut dictas lucrentur indulgentias? 251

Quodnam diſcrimen intercedat inter Bullæ Sabbatinæ ac cæteras indulgentias? 386

Quomodo inter ſe differant indulgentiæ & bonorum operum communicatio? 288

Indulgentiæ Confratribus conceſſæ nequeunt propria authoritate defunctis applicari: & quomodo id fieri poſſit, exponitur. 287

Indulgentiæ locales conceſſæ viſitantibus Eccleſias Ordinis Carmelitar.

Recenſentur Feſta, in quibus Fideles viſitando Eccleſias Carmelit. varias indulgentias lucrari valent. 251

Summarium indulgentiarum localium ex Bulla *Gregorij XIII.* à diverſis Pontificibus conceſſarum. *ibid.*

Quænam in viſitatione noſtrarum Eccleſiarum facienda ſint, ut dictæ indulgentiæ obtineantur? 255

Quid in lucro harum indulgentiarum præſtandum ſit illis, qui ſacr. gerunt Scapulare? *ibid.*

Quid faciendum ſit Confratribus ac Chriſti Fidelibus, ut viſitando Eccleſias Ordinis Carmelitarum conſequantur indulgentias Stationum Romanarum? 256

Modus in Eccleſiarum viſitatione obſervandus ex mente *Sixti V.* 257

Quod diſcrimen intercedat inter indulgentias Eccleſiarum Urbis, & indulgentias Stationum? 258

Quis Pontifex primùm Stationes ordinaverit: & indulgentias pro eis conceſſerit? *ibid.*

Fideles viſitando, ſervatis ſervandis, aliquam Ordinis Carmelitarum Eccleſiam conſequuntur non tantùm indulgentias Stationum, verùm etiam Eccleſiarum Urbis. 259

Utrùm ſub conceſſione indulgentiarum Stationum comprehendantur etiam plenariæ? 260

Sub conceſſione indulgentiarum Stationum continentur etiam liberationes animarum è purgatorio. *ibid.*

Recenſentur indulgentiæ, quæ in diebus Stationum Romæ habentur. 263

Indulgentiæ Stationum pro Adventu, Quadrage-

dragesima, Festisq; mobilibus. 264. *& seqq.*
Quæ sit ista indulgentia & peccatorum omnium venia, quàm verè pœnitentibus pollicitus est *Honorius III.* & quæ pro illius consecutione præstanda sint? 267
Idem est concedere peccatorum omnium veniam, ac indulgentiam plenariam. *ibid.*
Possunt Fideles quotidie visitando Ecclesiam aliquam Ordinis Carmelitarum hanc adipisci indulgentiam. 267
At non pluries uno eodemque die. *ibid.*
Utrùm hæc indulgentia concessa sit intuitu Religionis Carmelitanæ, & annumeranda indulgentijs, visitantium Ecclesias illius? 268
Quænam præstanda sint cupientibus obtinere hanc plenariam indulgentiam? *ibid.*
Possunt præterea Fideles visitando Ecclesias Ordinis Carmelitarum in pluribus anni diebus indipisci indulgentiam plenariam. 269
Enumerantur hi dies. *ibid.*
Utrùm pro his indulgentijs sufficiat unica Ecclesiæ visitatio? 271
Visitatio Ecclesiæ ut sit congrua, debet esse pia, & quid ad hoc requiratur? 272
An indulgentia concessa visitanti Ecclesiam &c. pluries eadem die obtineri queat? 286

Indulgentiæ aliæ cunctis Fidelibus concessæ.

Indulgentiæ intuitu Ordinis Carmelitarum concessæ. 273
Compendium diversarum atque amplissimarum indulgentiarum à *Sixto V.* ad instantiam PP. Carmelitarum Discalceatorum in perpetuum concessarum. 278
Indulgentiæ pro reverenter nominantibus SS. nomina JESUS & MARIÆ. *ibid.*
Pro recitantibus Litanias de nomine JESU aut de B. Virg. Lauretanas. 278
Pro invocantibus dulcissimum Nomen MARIÆ. 279
Pro recitantibus ad singulas diei horas semel *Ave MARIA.* *ibid.*
Item ad pulsum pro Horis Canonicis. 279
Pro recitantibus 3. *Ave MARIA.* cum adjunctis ℣. & Orat. ad signum dari solitum post solis occasum. *ibid.*
Pro recitantibus decies *Ave MARIÆ* in honorem decem Evangelicarum Virtutum DEIPARÆ Virg. 280
Pro recitantibus quinquies *Pater* & *Ave.* in honorem quinq; Vulnerum Christi &c. *ibid.*
Item quindecies Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam in honorem omnium plagarum Salvatoris &c. *ibid.*
Pro venerantibus Conceptionem immaculatam DEIPARÆ Virg. &c. 280
Pro osculantibus Scapulare Carmelitarum. 281
Pro audientibus Missam ac Conciones. &c. *ibid.*
Indulgentiæ plenariæ pro Festis *SS. Ioseph, Teresiæ, Angeli & Alberti.* 281

Infirmi.

Quomodo & quinam infirmi consequi valeant Bullæ Sabbatinæ privilegium? 420
Quidnam consequantur illi, qui primùm tempore infirmitatis sacrum Scapulare recipiunt? *ibid.*

Instrumentum.

Quænam requirantur ad authenticum legitimumque instrumentum? 103

S. Joannes Evangelista

Cur semper coram suis repetierit Discipulis hæc verba: *Filioli diligite alterutrum?* 59

Joannes XXII. Roman. Pontif.

Quis fuerit, quando electus in Pontificem, & quando obierit? 83
DEIPARA ei apparens mandat, ut Privilegium Sabbatinum promulget. *ibid.*
Quid censendum de hac ejus revelatione? 84
Asseritur ac confirmatur hæc ejus revelatio diversis monumentis atque argumentis. *ibid.*
Reperiuntur in hac revelatione conditio

nes omnes à S. Thoma requisitæ ad Divinam revelationem. 85

In designando hujus revelationis tempore discrepant Authores. 86

Unde hæc orta sit dissensio? *ibid.*

Hæc Authorum dissensio non tollit revelationis veritatem. 89

Censent nonnulli iteratò DEIPARAM *Joanni* apparuisse, & duplicem Bullam Sabbatinam edidisse. 88. Quo anno, mense ac die Bullam Sabb. publicaverit? 83. 90. & 174

Quinam Pontifices *Joannis* Successores omni ætate eam comprobaverint ac confirmaverint? 90. & *seqq.*

Vide plura V. *Bulla Sabbatina.* & V. *Privilegium Sabbatinum.*

Permultæ Bullæ à *Joanne XXII.* editæ hoc tempore non amplius extant in Bullarijs. 172

Concessit omnibus SS. MARIÆ nomen invocantibus sexaginta dies indulgent. 279

Justitia DEI.

Justitia DEI generalis seu providentialis quid sit, & quænam ad illam pertineant? 70

Varijs nominibus à Doctoribus appellatur & exponitur. *ibid.*

Non est contra justitiam DEI vindicativam, si quandoque nonnullæ animæ citiùs è pœnis purgatorij liberentur, quàm earum exigebat reatus. 120

Justus

Per sua bona opera sibimetipsi promerere potest augmentum gratiæ, & gloriæ, ac vitam æternam. 190

Ac proximis complura cũ temporalia, tum spiritualia bona. *ibid.*

Justus non modo pro alijs mereri, verùm etiam satisfacere potest. 191

Etiam de condigno & ex justitia. *ibid.*

Justus transfundens in alium suam satisfactionem non se prorsus spoliat fructu abstersionis reatus sui: imò amplius sibi prospicit quoad meritum gratiæ & gloriæ. 191

Quantùm possint unius, vel paucorum justorum apud DEUM merita? 219 & 213

Quantùm nonnunquam unus [solus] justus prosit integræ civitati ac regioni? 223

L.

Leo XI. Roman. Pontifex

Marianum à pueritia gestavit Scapulare, 346

Noluit illud sibi aufferri, dum creatur Pontifex Papali habitu indueretur, & quare? *ibid.*

Quàm eximium demonstrarit affectum æstimationemque ergà illud? 346

Licentia interpretativa.

Quomodo inter se differant licentia *interpretativa*, & *præsumpta* per futuram ratihabitionem? 511

Litteræ Apostolicæ.

Quot illarum sint genera? 99

Aliæ *Bullæ*, aliæ *Brevia*, aliæ *Signaturæ* nuncupantur; & quidnam illæ sint? *ibid.*

Exponitur discrimen inter *subreptitias* & *obreptitias* litteras. 102.

Quænam tales dicantur? *ibid.*

Litteræ Filiationis.

Litteræ Filiationis, seu Fraternitatis quid sint? 196

Varijs nominibus apud diversos insigniri solent. 197

Illas impugnavit Witcleff. 196

Per quos distribui soleant, & in qua forma? 197

Formula litterarum Filiationis. *ibid.*

Satisfit nonnullis dubitationibus circa formulam illam occurrentibus. 198

Recensentur privilegia, quæ ex Apostolico indulto per has litteras communicari valent. 199

Utrùm, si priusquam distribuantur, ac dentur benefactoribus, moriatur eas concedens P. Generalis, distributæ post mortem, factum teneat? 201

Utrùm hæ literæ defunctis communicari valeant?

valeant? *ibid.*
An conceſſæ viventibus, etiam poſt mortem illis proſint? 201
Proponuntur quædam ſeriò obſervanda in concedendis literis Filiationis. 202
Utrùm literæ Filiationis conceſſæ ab uno Generali, eo defuncto, aut amoto expirent? *ibid.*
Cur in literis Filiationis de meritis Sanctorum Ordinis mentio fiat? 207
Meritorum tam anteriorum quàm præſentium repræſentatio apud DEUM pollet vi impetrativa. *ibid.*
Diſcrimen inter receptos ad Ordinis beneficia per Scapulare, & per literas Filiationis. 217
Confratres noſtri & literas Filiationis habentes redduntur participes non ſolùm bonorum ſpiritualium Ordinis, verùm & totius Eccleſiæ, idque ſpeciali modo. 219
In quo hic modus fundetur & quanti faciendus? *ibid.*
Aſſignatur quadruplex Benefactorum genus, quibus literæ Filiationis concedi queunt. 215

S. Ludovicus Rex Franciæ.

Utrùm ante *S. Ludovici* & Palæſtina reditum Carmelitæ fuerint in Gallia? 357
Carmelitis addictiſſimus fuit. 358
Carmelo-Marianum Scapulare geſtavit. *S. Ludovicus* cum tota Regia Familia. 343
Hoc atteſtantur antiquiores ac recentiores Scriptores. 357. *& ſeqq.*
Satisfit nuperi Scriptoris ſecus ſentientis objectionibus. 356
Quas indulgentias ad petitionem *S. Ludovici* conceſſerit *Clemens IV.* SS. nomina JESUS & MARIÆ venerantibus. 279

M.

S. MARIA.

Nullus perit invocato MARIÆ nomine, 338
Non ex ſexus, ætas, ſtatus vel conditio humani generis, quin neceſsè habeat auxilium MARIÆ implorare. 62
Impoſſibile eſt nos præmiari ſine MARIÆ ſuffragio. *ibid.*
Vide de his eximium Witcleff Hæreſiarchæ teſtimonium. 62
Omnes SS. MARIÆ nomen invocantes conſequuntur ſexaginta dies indulgent. 229
Omnibus idem nomen ore reverenter nominantibus conceſſit *Sixtus V.* viginti quinque dies indulgentiarum. 278

Vide Verb. *DEIPARA.*

Martyres.

Martyrum Ordinis Carmelitarum multitudo admiranda. 231

Maximilianus Bavariæ Dux, Elector Sac. Rom. Imperij.

Quando, & à quo Marianum Scapulare receperit, & quid illi contulerit. 352
Complures militiæ Principes, militumque millia, ejus exemplo permoti, eundem Parthenium habitum à Ven. P. *Dominico* à JESU MARIA eodem tempore accepere. *ibid.*

Meritum.

Meritum aliud eſt perfectum, aliud minùs perfectum: hoc *de congruo*, illud *de condigno* nuncupatur. 68
Meritum de condigno eſt meritum juſtitiæ, meritum de congruo eſt meritum amicitiæ. 190
Nullum meritum de congruo, quantumvis magnum, attingit perfectionem meriti de condigno. 190
Eſt tamen unum meritum de congruo majus altero, & perfectiùs, varijs ex circumſtantijs. *ibid.*
An & quomodo meritum de congruo ab impetratione diſtinguatur? 68
Merito congruo poteſt quis proximo complura temporalia ac ſupernaturalia dona promerere. *ibid.*
Quid neceſſarium ſit ad merendum alteri de congruo? 68

Expo-

Exponitur uberiùs ratio meriti congrui. 70
Utrùm necessariò excludat promissionem DEI? *ibid.*
Illud quod redditur à DEO ratione meriti congrui, non ex gratitudine, misericordia, aut liberalitate, sed ex quadam DEI justitia confertur. 70
Quænam illa sit justitia? *ibid.*
Vide V. *Justitia DEI.*
Nemo nisi Christus potest alteri de condigno quidpiã mereri, sed solùm de congruo. 222
Permulta ac varia DEIPARA Virgo in terris posita hominibus de congruo promeruit. 69
Quantùm possint apud DEUM unius vel paucorum Sanctorum merita. 119. & 223
Quantùm præstent mundo unius duntaxat Religionis merita. 219
Meritorum communicatio, vide V. *Communicatio bonorum operum.*

Miracula.

Cur DEUS per SS. Virginem, aliosque Cælites tanta operetur prodigia? 47
Cum ad confirmationem alicujus veritatis DEUS patrat miraculum, attestatur loquenti ac proponenti eam veritatem. *ibid.*
Utrùm tota miraculi virtus refundenda sit in hominis fidem? 47
Cur Christus Dominus in patrandis miraculis, ut plurimum physicum contactum adhibuerit? *ibid.*
Miracula revelationem subsequentia quid demonstrent? 53
Innumera interventu Mariani Scapularis divinitùs edita sunt miracula. 47. 134 & 319
Admiranda intra & supra terram ejus beneficio prodigia contigêre. 320
Prodigia quæ intra aquam patrata sunt recensentur. 321
Prodigia in aëre. 322
Prodigia circa elementum ignis. 323
Prodigia circa fera animalia. 324
Innumera omnis generis prodigia. 325
Permulti ut servarentur à morte æterna, servati fuêre ad tempus divinitùs à morte temporali. 315
Mortuis vitam, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis ac paralyticu gressum &c. restituit. 326
Omnis generis morbos divinitùs fugat. *ibid.*
Steriles ac parturientes cœlitùs adjuvat. 327
Malignos spiritus expellit, atque eorum infestationes reprimit. 328
Magorum ac Sagarum veneficijs divinitùs obstat, vimq; & effectum cohibet. *ibid.*
Vide V. *Scapulare.*

Missa.

Audientes Missam Carmelitarum, seu aliorum Regularium quocunque tempore, pro qualibet vice lucrantur centum dierum indulgentias. 281

Monasteria.

Ingens Monasteriorum ac Religiosorum Ordinis Carmelitarum olim multitudo. 231
Manus adjutrices Monasterijs Ordinis Carmelitarum porrigentes, redduntur participes omnium bonorum spiritualium totius Ecclesiæ. 220

Morbus.

Omnis generis morbi, etiam lethiferi, medio sacro Scapulari, divinitùs persanati sunt. 326. & 329

Moribundi.

Quomodo DEIPARA V. moribundos, qui sacrum ejus gestarunt Scapulare, adjuvet, ut æternum non patiantur incendium? 58
Vide plura V. *Absolutio generalis.*

Mortis articulus, & periculum.

Quid sit mortis articulus, quid periculum, & quomodo differant inter se? 310
Periculum mortis aliud est *certum*, aliud *probabile*, aliud *dubium.* *ibid.*
Articulus mortis duplex est, videlicet *verus* & *præsumptus*: & quinam hic & ille sit? 246
De quonam intelligenda sit indulgentia ple-

plenaria à *Paulo V.* Confratribus pro mortis articulo concessa? *ibid.*

Potest electus à Confratribus Confessarius ex indulto *Clementis VII.* eos in mortis articulo à censuris & casibus reservatis absolvere & plenariam indulgentiam largiri. 297

Prodest plurimum hoc *Clementis* privilegium Confratribus, licet etiam gaudeant præfata à *Paulo V.* concessa indulgentia plenaria pro mortis articulo. 298

An pluries in mortis articulo hoc privilegio uti possint? 301. & 310

Non est frustaneum privilegium absolvendi à reservatis in mortis articulo, etsi in eo reservatio omnis evanescat. 310

Quid per mortis articulum in hac materia intelligendum sit? *ibid.*

Potest absolutio toties, quoties hic articulus occurrerit, impendi. 310

Quando mortis articulus adesse censeatur, & quando præfata indulgentia plenaria infirmo impertienda sit? 303

Vitandum periculum, ne moribundus sine indulgentia decedat. *ibid.*

Qua verborum formula hæc indulgentia impertienda sit? 305. 537. *& seqq.*

Quænam circa illam clausulam: *si hac vice moriaris* &c. animadvertenda & observanda sint? 307

Vide plura V. *Absolutio generalis.*

Mortui.

Non semel per DEIPARAM interventu Sac. Scapularis mortuis vita reddita est. 326

Confratres, qui corpora quorumcunque defunctorum ad sepulturam associaverint, & pro eorum animabus ad DEUM oraverint, centum dies indulgentiarum consequuntur. 238. & 241

Utrùm literæ Filiationis defunctis communicari valeant? 201

An concessæ viventibus etiam post mortem illis prosint? *ibid.*

Motu proprio.

In quo distinguantur concessio facta *motu proprio* & *ad instantiam* &c. 101

Nicolaus V. omnes indulgentias à Romanis Pontific. prædecessoribus suis Ordin. Carmelit. concessas, *motu proprio*, duplicando confirmavit, & alias novas præterea adjunxit. 253

Pius V. an. 1566. confirmavit *motu proprio* Sabbatinum Privilegium. 96

Munia & obligationes Confratrum, vide V. *Confratres B. MARIÆ de monte Carmelo.*

Mutus.

Diva Carmelitana pluries mutis per sacrum suum habitum loquelam contulit. 326

N.

Nobilis: Nobilitas.

Quis apud DEUM nobilis & illustris censeatur? 354

Quem virtus deficit ignobilis habetur. *ibid.*

Vera nobilitas unde admetienda? 32

Nomen.

Confratrum nomina, an debeant necessariò inscribi albo Confraternitatis? 418

An hæc inscriptio sit omninò necessaria ad fruendum indulgentijs à *Paulo V.* concessis. 251

Licet planè necessaria non videatur hæc inscriptio, tutiùs tamen & consultiùs adhibetur: & quare? 419

O.

Officiales.

Officiales à Confraternitate quando & quomodo eligendi? 457

A quo electio sit confirmanda? *ibid.*

Officiales nequeunt sibi eligere successores. 457

Officium divinum, ac B. Virg.

Ut Confratres Carmelo-Parthenij litteras nescentes Sabbatino fruantur Privilegio, debent inter alia ijs præscripta, Officium divinum, aut saltem parvum B. Virginis recitare. 373

Recitantes Officium parvum B. Virginis satisfaciunt. 377
Debet Officium integrè, & quotidiè, nisi legitimè impediantur recitari. 382. & 383
Quale impedimentum illos excusare possit? 382
Non obligantur Officium recitare juxta ritum Carmelitarum. 378
Hoc tamen ritu uti magis conveniens consultumque videtur, nisi aliud obstet. 378
Non satisfit huic obligationi per Officium minùs Conceptionis B. M. V. *ibid.*
Nec per Officium pro particulari usu approbatum. 378
Recitantes Officium non tenentur ad abstinentiam feriæ 4. nisi ex consilio & laudabili consuetudine, & ad lucrandas indulgentias *Pauli V.* 379
Non tenentur ad Officium parvum B. Virg. qui ex alia quacunq; causa recitant Officium majus divinum. 384
Utrùm Sacerdos legitimè excusatus ab Officio Divino, teneatur ratione Bullæ Sabbat. ad Horas B. V. persolvendas. 388
Utrùm liceat Confratribus pro libitu, aut Officium recitare, aut abstinentiam servare? 390
An Fratres nostri Laici, qui legere norunt, teneantur recitare Officium parvum B. Virg. 392
In recitatione Officij dispensatū censetur, quando manifesta adest causa seu necessitas. 405
Quando illa deficit, non habet in ea locum dispensatio, sed commutatio. 406
Qui Officium recitant, uti possunt Ecclesiæ dispensatione circa abstinentiam. 408
Officij Divini authoritas unde emanet? 41
Divinum officium non continet secundum omnes sui partes doctrinam fidei. 125
Divini officij authoritate asseritur & probatur *S. Simonis Stock* revelatio, & sacri Scapularis donum ei cœlitùs collatum. 41
Ejusdem authoritate asseritur & firmatur privilegium Sabbatinum. 125

Opera bona.

Quodnam discrimen intercedat inter opera bona Beatorum ac Viatorum? 157
Justi per sua bona opera sibimetipsis promereri possunt augmentum gratiæ & gloriæ: & proximis complura, cum temporalia, tum spiritualia bona. 190
Opera bona ut sint satisfactoria, debent esse pœnalia. 191
Utrùm quodvis opus bonum sit satisfactorium satisfactione propriè dicta? *ibid.*
Bona opera præterita in quantùm satisfactoria applicari amplius alijs nequeunt, possunt tamen in quantum meritoria. 207
Specialis communicatio bonorum operum consistit in duplici illorum valore, meritorio scilicet & satisfactorio. 193
An quis possit valorem satisfactorium anteriorum suorum bonorum operum sibimetipsi applicare pro solutione pœnæ peccati novitèr commissi? 208

Vide V. *Communicatio bonor. Operum.*

Ex indulto *Pauli V.* Confratribus Carmelo-parthenijs quodcunque opus bonum pietatis, aut charitatis exercentibus, toties pro quolibet talium operum centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxantur. 238. 241

Opinio

Quid sit exponitur? 147

Oracula vivæ vocis.

Quænam vivæ vocis Oracula ab *Vrbani VIII.* revocata fuerint? 275
Privilegia vivæ vocis Oraculo concessa, & ab alijs Pontificibus ex *certa scientia* innovata, ac de novo concessa, non fuère per Constitutionem *Vrbani* revocata. 276

Oratio.

Unde orationi adveniat vis impetrativa? 63
Impetratio potissimùm innititur gratiæ ac misericordiæ divinæ *ibid.*

Qua-

Quænam bona per orationem impetrari valeant? 63
Status gratiæ non est simpliciter necessarius ad impetrandum. 64
Quatuor conditiones necessariò requisitæ ad infallibilem impetrationem. 67
Quare quandoque orationes etiam piè & ritè factæ non exaudiantur? 65
Quomodo prædestinatio Sanctorum precibus juvetur? *ibid.*
Cælites orant pro hominibus in terra degentibus, non solùm in communi, verùm etiam in particulari. 63
Cælites quo sanctiores eo ampliùs orant pro viatoribus. *ibid*
Oratio considerari potest, ut *impetratoria*, ut *satisfactoria*, & ut *meritoria*. 157
Quomodo conveniat Cælitibus. *ibid.*
Modus orandi DEIPARÆ est nobilissimus, quia habet rationem jussionis & imperij. 78
Qui pro alijs orat, pro semetipso laborat. 210

Oratio Dominica.

Quilibet semel dicens in Ecclesijs Carmelitarum Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam, pro vivis & defunctis consequitur 40. dierum indulgentias. 252
Cuncti recitantes quinquies Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica in honorem quinq; Vulnerum Christi, & quinque dolorum SS. Virginis consequuntur decies mille dies indulgentiarum. 280
Recitantes verò quindecies Orationem Dominicam & Salutat. Angelicam in honorem omnium plagarum Christi pro existentibus in peccato mortali, pro qualibet vice veniam tertiæ partis suorum peccatorum. 280

Ordinarius.

Ordinarij approbando Regulares, illos tantùm judicant idoneos, jurisdictionem verò non tribuunt, quàm immediatè recipiunt à Pontifice. 294
Cujus Ordinarij approbatio necessaria sit Confessario, eligendo à Confratribus, juxta indultum *Clementis VII.*? 292
Confraternitates subduntur visitationi Ordinarij loci. 461

Vide plura V. *Confraternitas.*

Utrùm erigi valeat in proprijs, aut alienis Ecclesijs sine Ordinarij consensu nostra Confraternitas? 492

P.

Participatio meritorum.

Vide Verb. *Communicatio bonorum operum.*

Quàm sit insigne Confratern. Carmelitanæ beneficium hæc meritorum participatio? 222

S. Paulus Apostolus.

Quomodo intelligendum sit illud ejus dogma 1. *ad Tim.* 2. DEUS *omnes homines vult salvos fieri?* 59. & 66

Paulus III. IV. & V. Rom. Pont.

Comprobarunt hi tres Pontifices Mariani Scapularis *S. Simoni Stockio* cœlitùs collati donum. 40
Confirmarunt ijdem Bullam Sabbatinam *Ioannis XXII.* 95. 96. & 98
Expenditur Decretum *Pauli V.* pro privilegio Bullæ Sabbatinæ. 123
Hoc Decretum habet rationem definitivæ sententiæ; & quid inde sequatur? *ibid.*
Theophilus Raynaudus docet *Thom. Hurtadum* quid censendum, & quomodo loquendum sit de hoc Decreto. 124
Quas indulgentias *Paulus V.* revocaverit? 112. 233. & 237
Non revocavit indulgentias pro defunctis & mortis articulo. 239
Nec indulgentias omnibus Christi Fidelibus concessas. 257
Nec indulgentias locales Regularium Ecclesijs concessas. 233
Concessit amplissimas ac perpetuas, plenarias & non plenarias, per tres distinctas

Bullas, Confraternitati Carmelo- partheniæ indulgentias. 238. *& seqq.*

Quas indulgentias cunctis Christi Fidelibus, intuitu immaculatæ Conceptionis B. V. largitus sit? 280

Pericula.

Marianus habitus salus est in periculis &c. 319. *& seqq. & 329*

Insinuantur innumera, præsentissima, gravissimaque pericula, in quibus S. Scapulare Confratribus divinitùs profuit, ac salvavit. 330. *& seq.*

Pestis.

Pestem prodigiosè fugat Marianum Scapulare. 326. *& 329*

Philippus III. Rex Hispan.

Mira ejus in Divam Carmelitanam pietas. 167

Mavult redditus annuos ærarij sui Regij diminui, quàm subditorum suorum erga illam devotionem. *ibid.*

Scribit in favorem Bullæ Sabbatinæ ad *Paulum V.* energia & pietate plenas litteras: similesque ad Cardinal. & suum in Urbe Oratorem. 167

Philippum II. Parentem suum pijssimum æmulatus Carmelo- parthenio Sodalitio nomen dedit, sacrumque gessit Scapulare. 349

Piè credibile.

Quot modis sint, & dicantur aliqua piè credibilia? 154

Pietas.

Duo extrema in quibusvis pietatis exercitijs vitanda proponuntur. 80

Quas indulgentias lucrentur Sodales Carmelo- parthenij quodcunque pietatis opus exercentes? 238. *&* 241

Pœnitentiæ.

Pœnitentiæ injungi solitæ pro peccatis sunt in duplici differentia. 250

Quomodo intelligendum sit, per indulgentias relaxari pœnitentias à Confessario injunctas, seu quomodolibet debitas? *ibid.*

Quid à Confessario animadvertendum sit in injungendis pœnitentijs? 150

Pontifex Romanus.

Romani Pontifices sunt *Os & Lingua Ecclesiæ*, ex sensu SS. Patrum. 121

Omnes Fidei quæstiones ad eos decidendæ referri debent. 123

Quàm mereatur fidem Pomani Pontificis sententia? 84

Pontifex in his quæ ad fidem pertinent labi nequit. 148

Quanta sit Romani Pontificis authoritas?

Quando ex cathedra loquatur? *ibid.*

Quæ fides ei debeatur in rebus maximi momenti, esto eas de fide esse non decernat? 148

Pontificum revelationes maximi semper æstimatæ sunt in Ecclesia. 84

Referuntur aliquot illorum revelationes. *ibid.*

Quid possit Pontifex circa ereptionem animarum è purgatorio? 163

Quis Romanorum Pontificum primus indulgentias concesserit Confraternitati Carmelo- partheniæ, & quo anno? 231

Referuntur Pontifices, qui eidem Sodalitio indulgentias largiti sunt. 232

Quis Pontificum primus in Occidente indulgentias illi impertitus sit? *ibid.*

Quinam Pontifices approbarint festum Commemorationis solemnis B. MARIÆ Virg. de monte Carmelo? 152

Recensentur nominatim novem Pontifices, qui Carmelo- Parthenium gestarunt Scapulare. 346

Prædestinatio.

In prædestinatione duo considerari possunt: scilicet ipsa prædestinatio divina, & ejus effectus. 65

Quando, & quomodo vocatio sit effectus prædestinationis? 66

Quomodo prædestinatio Sanctorum precibus juvetur? 65

Præde-

Prædestinatio est radix omnium bonorum spiritualium. 332
Ejus incertitudo. *ibid.*
Prædestinationis signa varia. 333
Singularis in DEIPARAM pietas potissimum prædestinationis signum. *ibid.*
Cur pia gestatio S. Scapularis signum sit prædestinationis? 336
Prædestinatio ad gloriam executioni mandatur Mariani Scapularis beneficio. 337

Præfectus Confraternitatis

Potest esse Clericus vel Laicus. 463
Nulla gaudet potestate coactiva, habet tamen fraternalem. *ibid.*
Sine illo Confraternitas subsistere potest. 463
Quid possint Præfecti Confraternitatis quibusdam in locis circa commutationem &c. vide Verb. *Commutatio.*

Privilegia.

In quo differant privilegium & indulgentia? 289
Quid sit privilegium? quid indulgentia? *ibid.*
Privilegia Sodalitio Carmelitano à Sede Apostolica concessa, à *Paulo V.* nullatenus revocata fuère; ideoque illis hoc etiam tempore frui queunt. 289
Possunt eligere Confessarium, & qualis ille esse debeat? *ibid.*
A quibus censuris & delictis hic eos absolvere possit? 291
Quid hæc eligendi facultas ante Concilium Tridentinum, quid hoc tempore indulgeat? 290
Quales debeant esse Regulares, ut eligi in Confessarium valeant? *ibid.*
Cujus Ordinarij approbatio necessaria sit Confessario eligendo à Confratribus? 292
Pro Regularibus requiritur etiam approbatio proprij Superioris? 293
An hæc approbatio sit absolutè necessaria, ut licitè & validè possint audire Confessiones Confratrum? 295
Confessarius electus potest ex indulto *Clementis VII.* Confratr. indulgent. plenariam impertiri semel in vita & in morte. 267
Utrùm hæc facultas largiendi indulgentiam plenariam omnium peccatorum sit revocata à *Paulo V.*? *ibid.*
Quantum prosit Confratribus hoc privilegium, etsi à *Paulo V.* ijsdem concessa sit indulgentia plenaria pro mortis articulo? 298
Utrùm extra Sacramentalem Confessionem hæc plenaria indulg. concedi queat? 299
Utrùm hæc indulgentia pluries in mortis articulo impertiri valeat? 301
Exponitur duplex modus, quo hæc indulgentia in morte concedi potest. 302
Utrùm à moribundo Sodale petenda sit expressè hæc indulgentia? 304
Quid agendum cum illis, qui de repente rationis usu privantur? 304
In concedenda indulgentia hæc plenaria semel in vita & mortis articulo differentia quædam advertenda est. *ibid.*
Quâ verborum forma hæc indulgentia impertienda sit? 305
Exponitur hæc formula. *ibid. & seq.*
Quænam circa illam clausulam, *si hac vice moriaris* &c. observanda sint? 307
An absenti hæc possit indulgent. conferri? 308
Potest præterea electus Confessarius Confratrum vota omnia, demptis quatuor, aut, juxta alios quinque, commutare. 309
Vota verò Confratrum commutari queunt non relaxari aut dispensari &c. *ibid.*
Juramenta autem relaxari possunt. 309
Non est frustraneum privilegium, quod habent Confratres, ut absolvantur à reservatis in mortis articulo, etsi in eo omnis reservatio evanescat: & quare? 310
Quid per mortis articulum in hac materia intelligendum sit? *ibid.*
Potest absolutio toties, quoties occurrerit hic articulus, conferri. 310
Privilegia debent esse in usu, ut vi illorum quis absolvatur. 311

Quis & qualis usus requiratur & sufficiat? *ibid.*

Quænam privilegia per Tridentinum Concilium revocata sint? 311

Quinam casus excipiantur, & quando ab his etiam electus Confessarius absolvere queat? *ibid.*

Advertendum discrimen inter reservatos à jure & ab homine. 312

Quid de Simonia, alijsque casibus à *Stratio* relatis dicendum sit? *ibid.*

Quid operetur privilegium supra adductum circa casus non reservatos? 313

Quid de irregularitate &c.? *ibid.*

Permittitur etiam Confratribus usus Altaris portatilis, tempore interdicti & cessationis à Divinis. 314

Imò quolibet tempore. *ibid*

Potest in eo celebrari ante lucem & post meridiem, & quomodo hoc intelligendum? 315

Quasnam conditiones requirat Pontifex in usu hujus privilegij? *ibid.*

Quid circa Eucharistiam, aliorumve Sacramentorum usum permittatur Confratribus tempore interdicti? 317

Quid circa sepulturam eodem tempore? 318

Privilegium Sabbatinum

In quo consistat? 82

Origo ejus. 83

DEIPARA Virgo *Ioanni XXII.* Pontifici apparens, mandat, ut Privilegium Sabbatinum promulgeat. 83

Refertur Bulla *Ioannis* per quam privilegium hoc publicavit. 90

Nulli ætati defuêre Pontifices, qui Privilegium Sabbatinum Apostolicâ Authoritate comprobarent confirmarentque. *ibid.*

Referuntur horum Pontificum Diplomata. 92. *& seqq.*

Examinantur ac ponderantur prædicta Diplomata. 99

Asseritur authenticis instrumentis. 103

Asseritur Decreto S. Romanæ & generalis Inquisitionis. 98. *&* 113

Divini Officij authoritate. 115

Episcoporum authoritate ac suffragio. 117

Communi judicio ac sententia celeberrimarum Universitatum. 131

Harum sententiæ duplici ex capite authoritas accrescit. *ibid.*

Plurimorum suffragio Doctorum per quatuor ætates sibi succedentium. 132

Ejus veritas ac firmitas alijs suadetur argumentis. 133. *& seqq.*

Synopsis rationum, quibus privilegium Sabbatinum asseritur. 179

Privilegium Sabbatinum à Christo D. immediatè concessum, à Pontificibus verò solùm publicatum fuit. 481

Pontifex prohibere potest promulgationem privilegij Sabbatini, sed non impedire ejus effectum. *ibid.*

Ex quo inferri possit Sabbatinum privilegium divinum esse opus, non hominum commentum. 133

Explanatur enucleatiùs promissio DEIPARÆ de liberatione suorum Sodalium è purgatorio in Sabbato. 114

Demonstratur utilitas privilegij Sabbatini 246

Sabbatinum privilegium an contractus dici possit? 385

Cur hoc privilegium de veritate minimè suspectum sit? 123

Fuit divinitùs revelatum, & authenticè in Ecclesia promulgatum. 121

Qua certitudine credendum sit privilegium Sabbatinum? 147

De eo rationabiliter dubitari nequit: & cur? 149

Nec opinio propriè loquendo de eo haberi. 150

Est certum certitudine media, inter divinæ, humanæque fidei certitudinem. 151

Privilegium Sabbatinum proprium est Ordini Carmelitarum. 153

Cæleste est ac divinum non terrenum aut humanum. *ibid.*

Acri-

Acriter à nonnullis hac noſtra ætate impugnatum fuit Sabbatinum privilegium: vetùm multò acriùs à DEIPARA aſſertum. 106
Quibus id modis præſtiterit? *ibid.*
Quomodo obviandum ſit adverſarijs Sabbatinum privilegium oppugnantibus? 101
Quid illis timendum, cavendumque ſit? *ibid.*
Diſſolvuntur objectiones illud impugnantes. 107. *& ſeqq.*
Quàm fuerit paſſum hoc privilegium anno 1609. in Luſitania impugnationem, & quinam Reges, Principes, Cardinales, Prælati, Religionumque Generales, in Romana Curia pro illo aſſerendo, tuendoque laboraverint, vide V. *Bulla Sabbatina.*
Quid præſtandum ſit Confratribus, ut privilegio Sabbatino fruantur. 90. 373. *& ſeqq.* *Vide* de hoc plura V. *Confratres B. MARIÆ Virg. de monte Carmelo.*
Illi, qui nolunt, aut nequeunt præſtare requiſita pro Sabbatino privilegio, poſſunt nihilominùs frui cæteris privilegijs & indulgentijs. 421
Quomodo, & quinam infirmi lucrari valeant Sabbatinum privilegium? 420
Conditiones à Carmelitis neceſſariò obſervandæ ad gaudendum privilegij Sabbatini effectu. 393

Proceſsio.

Quid circa proceſſiones obſervandum ratione initæ concordiæ inter Calceatos & Excalceatos Carmelitas? 486
Quamdiu cenſendum ſit durare tempus proceſſionis menſtruæ, cujus aſſiſtentiæ conceditur indulgentia plenaria? 247
Quis modus in procedendo ſit obſervandus? *ibid.*
Quid obſervandum circa proceſſiones Confraternitatum, maximè quoad Eccleſias Regularium? 459
Confraternitates cogi nequeunt ad proceſſiones, ſed ſolùm invitari. *ibid.*
Quem in illis locum teneant? *ibid.*

Prophetæ: Prophetiæ.

Dupliciter à DEO moveri ſolent, & inſtrui Prophetæ. 53. & 129
Magna intercedit inter hos duos modos differentia quoad certitudinem. *ibid.*
DEUS cuncta, quæ ad inſtructionem fidelis populi neceſſaria ſunt revelat Prophetis. 53
Quænam Prophetiæ cenſeantur eſſe altioris ordinis, & quare? 129

Purgatorium.

Quanta ſint purgatorij tormenta? 82
Poſt univerſale judicium nullæ manebunt animæ in purgatorio. 120
Utrùm ultrà decennium nullæ ibidem detineantur? *ibid.*
Angeli, alijque Cælires ſibi devotis animabus in purgatorio apparent, eaſque ſolantur. 141
DEIPARÆ ob orationes qualibet hora quodammodo mitigantur pœnæ animarum purgatorij. 142
Innumeros è purgatorio eripit. *ibid.*
Recenſentur aliquot ejus rei exempla. 143
Quare MARIA bona ſit animabus purgatorij? 142
Quidam piè credunt in Aſſumptione ejus evacuatum fuiſſe purgatorium. 144
DEIPARA moriens petijt, obtinuitque à Filio, ut omnes, qui erant in purgatorio liberarentur. *ibid.*
Quotannis in feſto Aſſumptionis ejus, in maximo numero animæ è Purgatorio eripiuntur. 144
Idem fermè ſentiunt nonnulli de cæteris ejuſdem Feſtivitatibus: & quidam etiam de Sabbato. *ibid.*
DEIPARA cohortatur viventes, & præ cæteris Ven. Matr. *Franciſcā à SS. Sacramento* Carmelitanam Diſcalceatam ad pietatem erga animas purgatorij. 146
Imperium in animas purgatorij, ex natura rei ad ſolum DEUM pertinet. 157
Quâ ratione ad Chriſtum ut hominé? 157

Cœli-

Cælites suis solùm suffragijs in purgatorium agunt. *ibid.*

Discrimen inter opera viatorum ac Beatorum quoad juvandum animas purgatorij. 157

Possunt Beati suis sibi superfluis in hac vita satisfactionibus animas purgatorij juvare. 157

Designatur alius modus, quo Cælites subveniunt animabus purgatorij. *ibid.*

Utrùm Beati & Iusti in hac vita possint impetrare animabus purgatorij gratuitam pœnæ remissionem. 158

Exponitur quomodo status purgatorij sit status justitiæ & non gratiæ *ibid.*

Recensentur & explicantur modi varij, quibus DEIPARA animabus Confratrum suorũ in purgatorio subvenire valet. 159. *& seqq.*

Qui impensiùs DEIPARAM coluerit, citiùs è purgatorio liberabitur. 423

Liberatio Confratrum è purgatorio ordinariè fit ministerio Angelorum, & non per personalem DEIPARÆ descensum. 161

Legitur tamen non rarò ad purgatorium descendisse, atque exinde animas eduxisse. *ibid.*

Vide V. *DEIPARA.*

R.

Regulares.

An Regulares absque suorum facultate Superiorum Confraternitatem aliquam ingredi valeant? 469

Regularibus debetur præcedentia respectu quarumcunque Confratern. & quare? 468

Quinam Regulares possint Confraternitates antiquas confirmare, & novas instituere, & quomodo? 424

Vide V. *Confraternitas.*

An Ordinarij approbando Regulares illis jurisdictionem conferant? 294

Quales debeant esse Regulares, ut eligi in Confessarium valeant? 290

Præter Ordinarij approbationem requiritur pro Regularibus approbatio proprij Superioris. 293

Sine hac Regulares, nec validè, nec licitè Confessiones Sæcularium audire queunt. 295

Utrùm alij Regulares virtute communicationis privilegiorum participes sint privilegij Bullæ Sabbatinæ. 163

Quid faciendum aliorum Ordinum Regularibus in Carmelo-partheniam Confraternitatem admitti cupientibus? 527

Reservatio peccatorum.

Est in Ecclesia potestas, quædam reservandi peccata judicibus superioribus. 290

De facto quædam sunt peccata reservata Papæ, quædam Episcopis, & quænam illa sint? *ibid.*

Discrimen inter reservata à jure, & ab homine. 312

Facultas eligendi Confessarium non sufficit ad absolutionem à reservatis. 290

In mortis articulo omnis evanescit reservatio. 310

Revelatio Divina

Quid sit, & quænam requirantur ad Divinam revelationem? 52. *&* 85

Referuntur quatuor præcipuè regulæ ad dignoscendas, discernendasque Divinas revelationes. 52

Quo signo dignoscatur Divinus afflatus ac revelatio? 53

Miracula revelationem subsequentia arguunt Divinam fuisse, atque excellentem. *ibid.*

Divinæ revelationi nihil deest eorum ad quæ ordinatur. 53

Quot modis mens Prophetæ in revelatione Prophetica moveatur? *ibid.*

DEUS cuncta, quo ad instructionem fidelis populi necessaria sunt revelat Prophetis. 53

Referuntur nonnullæ summorum Pontificum revelationes. 84

De revelatione *S. Simonis Stock*, & *Ioannis XXII.* vide V. *S. Simon Stock* & V. *Ioannes XXII.*

Rob.

Rob. Bellarminus, Card. S. R. E.

Quid præstiterit pro asserendo, tuendoque privilegio Bullæ Sabbatinæ. 132. *&* *Robertus.* 169. *&* 176

S.

Sabbatum

Cur DEIPARÆ dicatum sit? 115

Promisit *Ioanni XXII.* animas Fratrum ac Confratrum suorum, præscripta ab ea munia observantium, Sabbato ab eorum obitu purgatorij pœnis eximere. 90

Cur præ cæteris hebdomadæ diebus Sabbatum DEIPARA deputaverit liberationi animarum Fratrum, Confratrumque suorum è purgatorio? *ibid.*

Cur Christus sibi complacuerit in Sabbato, & complura miracula in eo patraverit? 115

Sabbatina indulgentia ab ipso Christo cœlitùs concessa fuit, confirmata verò & publicata à Pontifice, in quo differt à cæteris. 424

Sabbatina Bulla, & Sabbatinum Privilegium Vide V. *Bulla Sabbatina*, & V. *Privilegium Sabbatinum.*

Sacramenta.

Quid circa Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum usum tempore interdicti ex indulto *Clementis VII.* permittatur Confratribus nostris? 317

Salus.

Aliorum salus dupliciter desiderari ac peti potest. 66

Cur sacrum Scapulare à DEIPARA nuncupetur *Signum salutis & salus in periculis*? 319. *&* *seqq.*

Quomodo DEUS velit omnes homines salvos fieri? 66

Sancti.

Possunt Sancti dupliciter pro nobis orare. 67

Quando eorum pro nobis orationes exaudiantur, & quando non exaudiantur? *ibid.*

Quinam Sancti magis orent pro viatoribus? 63

Utrùm Sancti in cælo possint impetrare animabus purgatorij gratuitam pœnæ remissionem? 158

Quot, quibusque modis Sancti subvenire possint eisdem animabus? 157. *&* *seq.*

Quomodo prædestinatio juvetur Sanctorum precibus? 65

Classes variæ Sanctorum Ordinis Carmelitarum. 224

Sanctorum Catalogus.

Utrùm Catalogo Sanctorum adscribi queat, qui hinc decedens pœnitentiæ Sacramento purgatus, viaticum atque extremam unctionem ritè percepit? 79

Satisfactio.

Quænam necessaria sint ad legitimam pro altero satisfactionem? 192

Opera bona ut sint satisfactoria, debent esse pœnalia. *ibid.*

Debet talium satisfactio operum, ut prosit alteri, specialiter eidem applicari. 192

Utrùm Prælarus subdito invito possit operum ejus satisfactionem alijs applicare? 206

Valor satisfactorius bonorum operum, quo in plures distribuitur, eo minùs singuli participant. 206

Unde hoc procedat? *ibid.*

Alia differentia inter participantes per modum satisfactionis, & per modum impetrationis, seu meriti de bonis aliorum operibus. 206

Bona opera præterita in quantum satisfactoria, applicari amplius alijs nequeunt, possunt tamen in quantum meritoria. 207

Utrùm S. M. *Teresia* suas aliquando præteritas satisfactiones alicui defuncto communicarit? 209

In quo sensu dici possit satisfactiones præteritæ alijs communicari? 207

Satisfactio unius justi pro alio censetur esse de condigno, & ex justitia. 222

In quibus Religiosorum operibus satisfactorijs Confrat. ordinariè communicent? 206

In quibus casibus valeat quis proprias satisfactiones in alium transferre, licet in præsenti ipse transferens illis egeat? 210
Maximo cum lucro id sæpius fieri. *ibid.*
Justus transfundens in alium suam satisfactionem non se prorsus spoliat fructu abstersionis reatus sui: imò ampliùs sibi prospicit quoad meritum gratiæ & gloriæ. 191
Qui per semetipsos satisfacere possunt, non sunt incapaces alienæ satisfactionis. *ibid.*

Scapulare

Quid sit & unde dictum? 25. & 515
Variæ ejus nuncupationes ac mysticæ significationes exponuntur. 26. 515. *& seqq.*
Quare appelletur *Vestis Apostolica*? & ab alijs *Habitus Angelicus*? 516
Scapulare alio nomine *superhumerale* & *analabus* à PP. nuncupatur. 25. *& seq.*

Scapulare Carmelo-parthenium.

In quo discrepent Scapulare Religiosorum Ord. Carmelitarum & Confratrum? 517
Quo tempore Carmelitæ sac. Scapulare gestare cæperint? 25
An & quale gestarint tempore legis scriptæ? *ibid.*
Cur non gestarint Scapulare Orientales Carmelo-parthenij Confratres? 30
Sacrum Scapulare à DEIPARA cœlitùs *S. Simoni Stock* collatum est. 37
Recensentur Pontifices Mariani Scapularis donum ac collationem comprobantes. 40
Idem asseritur Divini officij authoritate, ac sacræ Rituum Congregationis. 41
Expenditur authoritas Romani Pontificis, sacræque Rituum Congregationis. *ibid.*
Recensentur Theologi ac Historiographi ejusdem veritatis testes. 43
Idem astruitur authoritate vetustissimi Codicis manuscripti Bibliothecæ vaticanæ. 44
Quid de hac veritate senserit Joannes Balæus Episcopus hæreticus? 46
Confirmatur eadem veritas miraculis innumeris, interventu Mariani Scapularis, paratis. 47
Antiquissima item, continuaque traditione, 48
Penes quos hæc vigeat traditio, & quanæ sit authoritatis? *ibid.*
Idem probatur ex summa celebritate Confraternatis sacri Scapularis. 49
Idipsum confirmatur plurium exemplo Sanctorum, quibus vestes à DEIPARA donatæ aut monstratæ sunt. 50
Marianum Scapulare jugis scatebra est spiritualium donorum, signum salutis æternæ, nota prædestinationis. 338
Tessera est & pignus benevolentiæ Marianæ. *ibid.*
Marianum Scapulare instrumentum est exploratæ pietatis. 29
In quo cum arcu cælesti conveniat? 30. & 51
Sacrum Scapulare est signum quoddam initi fœderis ac taciti pacti, quo DEIPARA quasi obligavit liberalitatem suam ijs, qui ex pietate illud gestant. 51
Discrimen inter vestes multis Sanctis à DEIPARA donatis, & Scapulare Marianum. 50
Prærogativa sacri Scapularis præ reliquis Carmelitarum vestimentis. 51
Quomodo per sacrum Scapulare incalescat anima? 431
Privilegiorum Carmelitici Scapularis omnes Fideles frui possunt. 50
Signum est Confraternitatis inter D. Virg. ac Carmelitas initæ. 58
Gestans Marianum Scapulare æternum non peribit, quantum est ex parte gratiæ copiosioris, quàm illi B. Virgo impetrabit instituto sacri Scapularis. 59. 65. & 71
Utrùm & qua certitudine certus sit, de æterna salute Marianum *ritè* gerens Scapulare? 79
Quid sit sacrum Scapulare gerere *nudè materialiter*, seu *physicè*: quid *formaliter* seu *moraliter*, quid *spiritualiter ac ritè*? 56. & 366
Exponitur quomodo gestatio sacri Scapula-
ris

ris non sit inutilis &c. 65

Dæmones confitentur damna, quæ percipit Orcus ex pia sacri Scapularis gestatione? 328

Nunquam ac nusquam Marianum Scapulare, ejusque privilegia, impugnata fuere, quin etiam mirabiliter divinitùs & humanitùs propugnarentur. 133

Quantò magis ab adversarijs hic Marianus habitus ac cultus turbinibus appetitur & oppugnatur, tantò amplius ac felicius increscit & inclarescit. 355

Omnis conditionis, sexus & ætatis homines per universum Orbem jam olim gestarunt, hodieque gestant Marianum Scapulare. 38

Marianum gestarunt Scapulare superioribus sæculis S. LUDOVICUS IX. Rex Franciæ cum universa Regia Familia. 343

S. EDUARDUS II. Rex Angliæ; & *Eduardus I. & III.* Angliæ Reges. 344

Rex Scotiæ illius temporis. 345

Alphonsus de la Cerda filius *Alphonsi* Castellæ Regis. 343

Henricus Dux Lancastriæ, & N. Comes Nortumbriæ. 344

Ioannes V. & B. FRANCISCA de Amboisia Duces Armoricæ. 345

B. ANGELA de Arena. ibid.

Proxima & nostra ætate inter alios summos Pontifices GREGORIUS XIII. & XIV. CLEMENS VIII. LEO XI. PAULUS V. GREGORIUS XV. URBANUS VIII. INNOCENTIUS X. & ALEXANDER VII. Hic miram pietatem suam in Divam Carmelitanam, sacrumque ejus Scapulare, ipso inaugurationis suæ in Pontificem die, raro prodidit exemplo. 346

Inter Cæsares *Ferdinandus II. & III. Leopoldus I.* Austriac. & *Ferdinandus IV.* Romanorum Rex. 348

Inter Augustas *Eleonora* Mantuana, *Maria* Austriaca, *Eleonora* Junior Mantuana, & *Margareta* Austriaca. ibid.

Inter Reges Reginasque Hispaniarum *Philippus II. & III. Margareta & Maria Anna* Austriacæ. 349

Inter Reges ac Reginas Franciæ *Henricus IV.* & *Ludovicus XIII. & XIV. Maria* Medicæa, & *Anna* Austriaca. 351

Inter Reges Reginasque Poloniæ *Sigismundus III. Vladislaus* & *Ioannes Casimirus. Maria Anna, Constantia ac Cæcilia Renata.* 351

Inter Reges Lusitaniæ *Sebastianum.* 351

Recensentur complures Augustissimæ Austriacæ Domûs Principes, qui sacro hoc Schemate insigniri voluêre. 350

Duces & Electores Bavariæ. 352

Duces Neoburgici, Lotharingiæ, Sabaudiæ, Mantuani, Hetruriæ & Parmenses. 353

Familiæ Gentilitiæ Romanæ. 347

Ecclesiastici Sacri Romani Imperij Electores. ibid.

Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, &c. sacrum Scapulare gestantium numerus subduci nequit. 347

Admirabilis hominum concursus postulantium sacrum Scapulare; & unde hic ortum duxerit. 242

Mira non modo Europæorum, verùm etiam Indorum ad Carmelit. Scapulare pietas. 333

Lethiferæ & gravissimæ quæque ægritudines Mariani Scapularis beneficio divinitùs curatæ sunt. 329

Incendia prodigiosè restinguit: à fulmine conservat: globorum, pilarum & glandium vim & vires retundit: à mala morte præservat. 330

A collisione liberat, à suffocatione in aquis, alijsque præsentissimis periculis. 331

Steriles ac parturientes cœlitùs adjuvat. 317

Mortuis vitam, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis ac paralyticis gressum &c. prodigiosè restituit. 326

Malignos spiritus expellit, atque eorum infestationes reprimit. 328

Magorum ac Sagarum veneficia divinitùs coercet, & enervat. ibid.

Vide alia prodigia in terra, aqua, aëre & igne, ac feris animalibus, &c. cælitùs patrata,

ta, Verb. *Miracula.*

Scapulare benedicere ac distribuere.

Cujus debeat esse materiæ Scapulare? 518
Cujus coloris? 519
An diversi coloris uti liceat? *ibid.*
Quid de acu pictis, aut ex serico confectis sentiendum? 520
Cujus debeat esse magnitudinis sacrum Scapulare? 521
An DEIPARÆ imagine insigniendum? 522
In qua corporis parte, & quomodo gestandum? 528
Laudanda illorum pietas, qui cum illo tumulari eligunt, miraculisque comprobata. *ibid.*
Quid agendum, si Scapulare amissum, ac usu, vetustateq; consumptum fuerit? 725
Utrùm illud, quod denuò assumitur, sit benedicendum? *ibid.*
An Scapulare cum primò recipitur debeat necessariò esse benedictum? 401
Quid faciendum illi, qui Scapulare dimisit, aut longo tempore ferre intermisit? 526
Modus benedicendi Scapulare, recipiendique Confratres. 529
Quibus competat Confratres admittere, Scapulare benedicere ac distribuere? 500
Quid possint circa hæc Commissarij seu Visitatores Generales aut Provinciales? 501
Quid Vicarij Mantuanæ Congregationis? 502
Quid Vicarij Sanctimonialium? 503
Quid earum Confessarij ac Sacellani? *ibid.*
Priores locales apud Carmelitas Calceatos delegandi quoad hæc carent potestate, apud Excalceatos gaudent illa. 504
Quid possint alij Regulares, aut Sæculares Sacerdotes, quando in illorum Ecclesijs erecta est nostra Confraternitas? 505
Quid obtinuerit circa hoc Reverendissimus *P. Claudius Aquaviva* pro Societate JESU? *ibid.*
Utrùm Laicis à R. P. Generali, aut alijs delegandi potestatem habentibus delegari possit facultas Scapulare conferendi &c.? 506
Quid Laicis tali in casu observandum sit? 507
Qui Scapulare confert indulgentias propria authoritate conferre non censetur. *ibid.*
Designatur modus alius distribuendi per Laicos Scapularia. 508
Utrùm receptus per præsumptam de futuro ratihabitionem Superioris validè sit receptus? 509
Quomodo inter se differant licentia interpretativa & præsumpta per futuram ratihabitionem? 811
Potestas recipiendi ad Ordinis beneficia differt à potestate sacrum Scapulare conferendi. 535
An pauperes sint recipiendi in nostrum Sodalitium? 361
Quare pauperes non sint spernendi, sed admittendi? *ibid.*
An mulieres, pueri & puellæ? 362
An manifestè facinorosi? 363
Homines bonæ vitæ & famæ solùm admittendi sunt. 363
Utrùm Fideles Confraternitatè ingredi cupientes debeant personaliter comparere in loco admissionis, seu Sodalitij? 512
Utrùm Confratres habitu sacro expoliari, & nomina eorum è Sodalitij albo expungi queant? 514
Quare, & quando hoc fieri possit? *ibid.*

Senense Carmelitarum Cœnobium.

Summa ejus antiquitas demonstratur. 28

Sepultura.

Quid ex indulto *Clementis VII.* permittatur Carmelo-parthenijs Confratribus tempore interdicti circa sepulturam? 318
Quas indulgentias consequantur Confratres comitantes corpora defunctorum ad sepulturam, & pro eorum animabus DEUM orantes? 238. & 241

S. SIMON Stock.

Compendiosum ejus elogium. 31
Nobili seu Regia fuit ortus prosapia in Au-

Anglia? 32
Ab infantia fuit cultus DEIPARÆ studiosissimus. *ibid.*
Nota rem admirandam de illo adhuc infante. 38
Duodennis in eremum secessit. 32
Unde cognomen *Stock* illi inditum sit? *ibid.*
Cœlitùs ipsi de pane prospicitur. 32
Angelorum consortio frequenter perfruitur. *ibid.*
Carmelitarum in Angliam adventus divinitùs ei innotescit. 33
Sanctimonia illorum illectus ijs aggregari postulat. *ibid.*
Palæstinã petit loca sancta lustraturus. 33
In *Carmelo* monte delitescens manna cælesti à DEIPARA sexennio reficitur. *ibid.*
Redit in Angliam, & mirè DEI gloriam, animarumque salutem promovet. 33
Cœlitùs doctissimus evadit, complurésque conscribit libros. 35
Eligitur in Generalem Ordinis Carmelitarum. 36
DEIPARÆ cultum ac legum Regularium observationem apud subditos mirificè promovet. *ibid.*
DEIPARA Angelis plurimis comitantibus SIMONI apparet, ac sacrum eidem SCAPULARE confert. 37
Quinam summi Pontifices hanc ejus revelationem ac sacri Scapularis traditionem comprobaverint? *ibid.*
Revelatio *S. Simoni* nostro à DEIPARA Virgine communicata fuit divina: & qua ratione talis dicatur? 52
Reperiuntur in illa conditiones omnes à Theologis requisitæ ad Divinam revelationem. *ibid.*
Eidem applicatur quædam S. Thomæ doctrina de revelationibus Propheticis. 53
Revelatio S. SIMONIS quoad omnia in illa contenta fuit certissima. 54
Fuit excellens intra genus visionum corporalium, imò absolutè, & in omni genere. *ibid.*
Quænam præterea eodem tempore S. SIMONI cælitùs revelata fuerint? 54
Quænam bona contineantur in promissione à DEIPARA facta S. SIMONI? 370
Ubinam, quando, & quomodo obierit S. SIMON? 38
Recensentur miracula, quæ in ejus obitu contigêre? *ibid.*
Tria potissimùm testatam faciunt SIMONIS nostri Sanctitatem. 46

Sixtus IV. & V. Rom. Pontific.

DEIPARAM sacrum Carmelitarum Ordinem produxisse affirmat *Sixtus IV.* 27
Ordinis ejusdem merita commendat, & laudes commemorat. 27
Recenset Pontifices, qui ab anno 867. & deinceps Carmelo-parthenijs Confratribus indulgentias largiti sunt. *ibid.*
Sixtus V. ad instantiam PP. Carmelitarum Discalceatorum concedit amplissimas ac perpetuas indulgentias cunctis Christi Fidelibus. 278
Refertur earum compendium. *ibid.*

Sodales & Sodalitium, vide *Confratres & Confraternitas.*

Spiritualia bona.

Quid nomine *spiritualium bonorum* in collatione S. Scapularis intelligatur? 205
Duplex distinguitur spiritualium bonorum ordo seu portio. 534
Quàm inadæquabiliter præcellentiora sint bona spiritualia quibusvis temporarijs? 332
Romanus Pontifex quomodo sit Dominus bonorum spiritualium Regularium atque Ecclesiasticorum? *ibid.*
Quot modis quispiam participare queat spiritualia bona alicujus Religionis? 536
Qua ratione Fideles omnes participes reddantur omnium spiritualium bonorum universalis Ecclesiæ? 220
Confratres Religionis nostræ admittuntur non solùm ad communionem bonorum spiritualium Ordinis, verùm etiam totius

tius Ecclesiæ idque speciali modo. 219
In quo hic modus fundetur, & quanti æstimandus. ibid.

Statuta Confraternitatis.

Statuta Confraternitatum erigendarum, examinanda, approbandaque sunt ab Ordinario. 449
De quibus statutis hoc sit intelligendum? ibid.
Statuta quædam Confraternitatis Carmelitarum. 498

Steriles.

Steriles ac parturientes divinitùs adjuvat Marianus habitus, & suffragium. 327

T.

Templum.

A quibus primum omnium Templum, seu Sacellum in honorem DEIPARÆ erectum sit? 273
Quando, & quo in loco? ibid.

Testificari.

Religiosis in causis proprijs sui Ordinis ac Monasterij testificantibus fides debetur, & tanquam juridicum eorum testimonium recipiendum est. 85

S. M. TERESIA.

Quàm sit periculosum judicio S. M. TERESIÆ regimen animarum? 209
Utrùm aliquando suas præteritas satisfactiones alicui defuncto communicarit? ibid.
In ejus festo 15. Octobr. possunt cuncti Christi Fideles, præmissa sacra Confessione ac Communione, visitando aliquam Carmelitarum Discalceatorum Ecclesiam indulgentiã plenariam consequi. 281

Thesaurus Ecclesiæ.

Extat in Ecclesia Thesaurus communis satisfactionum Christi ac Sanctorum. 208
Quis ejus clavem habeat? ibid.
Præter communem Ecclesiæ Thesaurum, nullus datur alius communis, aut privatus satisfactionum Thesaurus. 208
DEIPARA Virgo plus intulit in Ecclesiæ Thesaurum, quàm omnes Sancti simul sumpti. 141

Thomas Waldensis, Ord. Carmelit.

Hujus opera à *Martino V.* qui illum VALIDUM ECCLESIÆ ENSEM appellabat, per Bullam incipientem, *Placuit nobis*, &c. approbata fuêre. 189
Nemo illo uberiùs, nervosiùs ac solidiùs Witcleff, ejusque asseclas impugnavit. ibid.
Quam mereatur fidem & authoritatem ejus sententia? 189
Vir fuit eximiæ sanctitatis ac doctrinæ. ibi.

Traditio.

Traditio omni memoria superior, quàm mereatur fidem, & cujus sit authoritatis? 48
Revelatio S. SIMONIS, & traditum ei cœlitùs *Scapulare* asseritur antiquissima, continua, constantissimaque traditione. ibid.
Penes quos hæc extet traditio, & quantæ sit authoritatis? 48
Simili traditione asseritur, & confirmatur Sabbatinum Privilegium. 135
Transumptum vide V. *Apographum.*

V.

Veritas.

Veritas cum non defenditur opprimitur. 136

Vestis.

Vestes non calefaciunt corpus. 431
Per Marianam Vestem incalescit anima: & quomodo id fiat? ibid.
Vindicativa DEI Justitia. Vide Verb. *Justitia DEI.*

Visiones.

Triplex genus visionum, seu apparitionum assignatur ac declaratur. 51
Visionum aliæ sunt corporales, aliæ imaginariæ, & aliæ intellectuales. ibid.
Tribus modis corporalis visio, seu apparitio fieri

fieri potest. 52
Quænam necessaria sint ad percipiendum mysterium per visionem revelatum? 53
Quis sit visionum finis? 84

Ultio Divina

In adversarios Ordinis Carmelitarum. 34. 84. & 273.

Voluntas DEI.

Voluntas DEI *antecedens* & *consequens* quæ sit exponitur. 59

Vota.

Potest ex indulto *Clementis VII.* electus à Confratribus Confessarius, omnia eorum vota, demptis quatuor, commutare. 309
Vota Confratrum commutari queunt, non relaxari, aut dispensari, &c. *ibid.*

Vrbanus VI. Rom. Pont.

Concessit an. 1380. omnibus Christi Fidelibus, Ordinem Carmelitarum, seu Fratres ejusdem Ordinis, *Ordinem*, seu *Fratres beatissimæ DEI Genitricis MARIÆ de monte Carmelo* appellantibus, si in gratia extiterint, indulgent. trium annor. & totidem quadragenarum. 274
Hanc indulgentiam confirmarunt *Sixtus IV. Julius II.* & *Gregorius XIII.* *ibid.*
Hæc indulgentia nunquã fuit revocata. 275

Witcleff.

Rarum Joan. Wicleff Hæresiarchæ de DEIPARÆ communi ac speciali erga omnes omnino homines beneficentia testimonium. 62
Impugnat specialem bonorum operum communicationem. 189
Et literas Filiationis, seu Fraternitatis. 196
Quo tempore hæreses suas seminarit? *ibid.*
Illum oppugnarunt ac confutarunt diversi Doctores Ord. Carmelitarum, quorum nonnulli nominatim referuntur. 189

BENEVOLO LECTORI.

NE mireris, si nonnulli irrepserint in hoc Opus errores: verùm memineris, Typographæum, errorum Officinam, rectè à quibusdam nuncupari; & ab alijs, inter cætera impossibilia, immunitatem à Typographiæ erroribus accenseri, nec Argi oculos ad eos impediendos sufficere; maximè, si Author non semper adsit, dum sub prælo desudat Opus, & magna desit Typographorum diligentia. Errata graviora hîc collecta simul & correcta habes: alia leviora, maximè spectantia ad interpunctionem omissam, aut vitiatam, ad absurdam majorum, minorumque characterum immutationem, aut inversionem, & ea, quæ fortè graviora, properantem relegentis aciem effugerunt, tu pro tua prudentia facilè inter legendum advertes, ac pro tua humanitate benignè condonabis.

Pag.

Pag.	Lin.	Menda	sic emenda.
11	19	unicujusque	uniuscujusque
16	17	quid vero	quod vero
19	marg	Irenæa	Irenæus
29	20	cui	ævi
30	18	protasse	portasse
35	30	stautere	statuere
45	24	varitable	veritable
53	9	DEIPAPA	DEIPARA
61	32	Thomus	Thomas
62	7	quid illud	qui illud
67	26	verbo	verba
72	18	extiguat	extinguat
77	9	sine	sive
	marg	quantum B. V.	quam B. V.
86	marg	Nonato	Novato
104	33	quatum	quantum
135	19	& quod	& quotquot
	11	tertia	à tertia
168	4	docenta	docent cum
	7	alias	alios
182	3	contigeret	contingeret
185	17	indicat	indicant
186	34	Ferti linquario	Forti linguario
188	34	parte 2.	parte 7.
191	12	an. 1522	an. 1577.
	14	Rhodonense	Rhedonense
192	penul	Heytius	Hoytius
194	9	adeptione	adoptione
	12	Satarrus	Satorrus
	22	Honghen	Ionghen
	25	Nonognostico	Nomognostico
	35	Narravius	Marraccius
195	9	Academica	Academia
	26	quæstione 20	quæstione 27

Pag.	Lin.	Menda	sic emenda.
196	1	Bordie des Carmes	l' Ordre des Carmes
197	14	Philocatus	Philocalus
	15	Peonologia	Iconologia
198	3	Neopolitanus	Neapolitanus
	16	Tuscanus Taucherus	Tussanus Foucherus
	22	Retaceo	Reticeo
199	14	servent	fervent
204	15	posthumo	postremò
205	5	stabiliendum	stabiliendam
207	24	ob lenes	ob leves
208	14	libet	licet
	29	Paulinus	Raulinus
211	18	omittam	omitto
	32	quid nobis	quid non
216	20	affirmant	affirmat
230	10	deporta	deportat
300	11	ex hoc	ex hac
313	15	dispensatur	dispensantur
315	17	benefacium	beneficium
317	31	appicentur	applicentur
361	6	du	duo
359	ult.	Constantins	Constantinus
415	20	præbat	probat
	23	descedant	discedant
432	1	diligenter	diligentes
432	24	cælestam	cælestem
447	17	Carmeliti	Carmelitici
467	ult.	remsisse	remisisse
505	5	respodentem	respondentem
551	31	locatibus	localibus
558	2	humeroram	humerorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


95
Th
4882